

ACTA COLLOQVII RATISBONENSIS

DE NORMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ, ET CONTROVERSIARVM Religionis Iudice,

AVTHORITATE

CONSENSV, ET IN PRÆSENTIA SERENISSIMI PRINCIPIS, AC DOMINI DOMINI MAXIMILIANI, COMITIS PALAtini Rheni, Vtriusq; Bauariæ Ducis, &c. Et Illustrissimi quoque Principis ac Domini Domini PHILIPPI LVDOVICI, Comitis Palatini Rheni, Ducis Bauariæ, Comitis in Veldentz & Sponhaim, &c. habiti Anno M.DCI.

EDITA

EIVSDEM SERENISSIMI DVCIS MAXIMILIANI *voluntate, optima fide, juxta authenticum Exemplar.*

S. Marie de Scala

Cum gratia & Priuil. Cæs. Maiest. &c.

MONACHII.
EX TYPOGRAPHIA *Nicolai Henrici.*

M. D CII.

AD LECTOREM

HAbes, CHRISTIANE LECTOR, Acta colloquij Ratisbonensis non ita pridem inter Catholicos, & Confeßionis Augustanæ Professores instituti, quod in publicum eo præcipuè consilio datur, vt sparsas ab Aduersarijs vbiq; locorum calumnias diluat, & veritati contra tot & tam varia figmenta iam paßim hinc inde sparsa patrocinetur.

Antequã verò ad hæc acta euoluenda accedas, de nonnullis capitibus te admonitum oportet. Quorum Primum est; Omnia hæc bona fide, ex Protocollo, vt vocant, subscriptionibus eorum, qui ad hoc munus deputati fuerant, confirmato, expressa & publicata esse, ne litera quidem immutata, nisi vbi vel cæco manifestum erat, Librarij lapsum esse, resq; sensum alioqui nihil prorsus attinebat: quanquàm & hîc calamo nimis indultum non est, cum satius esse videretur, errata quantumuis perspicua retinere, quàm vel minimam fraudis, fideiq; violatæ suspicionem subire. Ad oram tamen libri, vox quã contextus ratio postulabat, interdum adscripta est,

addito asterisco: quod signum in ipsa quoq; orationis iunctura & structura subinde appositum est, si quando vox correctionis indiga occurrebat. Errores autem typographicos in fine libri correctos inuenies.

ALTERVM, Acta hæc sine vllis notis ideò edi, vt quid dictũ factumq́; sit, planius & clarius elucescat, animo legentis non in aduentitijs explicationibus, sed in sola vtriusq; partis oratione occupato. Si quid obscurius videbitur, eius explanandi non deerit alia occasio, vt & refellẽdi illius, si quid ab Aduersarijs adductum, intactum fortè alicui permansisse videbitur. Hoc enim tametsi vix vnquam acciderit, quando Aduersarij quippiam ad institutũ pertinens adferebant, facilè tamen euenire potuit, Aduersarijs non breuiter & concisè disputantibus, sed prolixas declamationes texentibus, quas vniuersas memoria comprehendere, difficilè accidat etiam illi, qui memoria multum valet, nisi quis nouo disputandi more, arrepto calamo, scribæ instar, singula disserentis verba excipere, chartæq; mandare velit, quod ab oppositæ partis Collocutoribus factũ.

TERTIVM, Collocutores catholicos verba sua ad calamum Notarijs non dictasse, præsertim primis

&

& posterioribus diebus, (quod etiam Protocolli subscriptiones testatum faciunt) neq; enim ad dictationem, sed ad disputationē se vocatos arbitrabantur. Aduersarios autem non modò argumenta sua, iam anteà in librum relata, ex eodem libro ad verbum conceptis verbis recitasse, sed cùm illis, tùm alijs proponendis non paulò tractiorem & lentiorem vocem adhibuisse, quàm soleant disciplinarum Professores, cum in schola Auditoribus ex cathedra dictata tradunt, quod quanti tædij plenum fuerit, quilibet his in rebus non hospes intelligit.

QVARTVM, Partes argumentantis & respondentis diligenter distinguendas, nec à respondente probationes, sed ab argumentante exspectandas & expetendas esse. Qui hoc memori mente recondet, is clarè perspiciet, quoties hæc duo officia Aduersarij cōfuderint, & quoties cum probationibus destituerentur, ab illis, quorum munus erat, probationes allatas dissoluere, probationes postularint, inq; materias à proposito argumento penitus alienas digressi, versatili linguæ frena laxarint. Jllud item hæc Acta docebunt, nihil minùs præstitiße istos, quàm quod leges Colloquij præscribebant, videlicet vt dialecticè seu syllogisticè dissereretur. Statim enim o-

peram dederunt, vt à disputationum angustijs, ad campos liberæ declamatiōis, vbi loquacitas regnat, excurrerent. Nec vlla ratione à communibus locis in gradum rursus ac lineas restitui potuerunt.

QVINTVM, caue ne impingas, cũ tam crebra, & densa, & tanto verborum strepitu ab Aduersarijs allata scripturæ testimonia leges. Memineris ipsum Dominum Maiestatis sacrarum literarum testimonijs à Sathana appetitum. Si, inquit, filius Dei es, mitte te deorsum. Quare? scriptum est enim, inquit; Magnoperè nobis doctrina loci istius attendenda atq; retinenda est, *ait Vincentius Lyrinensis*, vt tanto Euangelicæ authoritatis exemplo, quando aliquos Apostolica seu Prophetica verba proferre contra catholicam fidẽ viderimus, diabolum per eos loqui minimè dubitemus.

Vincent. Lyrinens. contra Hæres. cap. 37.

DEMVM illud te non prætereat Lector, quod tuo bono scire potes. Inuenies Seß. XIII. pag. 144. col. 2. manu indice, pro voce, TRADITAM, suppositam esse vocem, DESCRIPTAM, eorum studio, quorum commodo. Sed dictum esse, TRADITAM, non solùm norunt ij, qui præsentes Colloquio fuêre, sed etiam tùm antecedentia & consequentia eiusdem

dem loci, tùm Protocolla à Notarijs Catholicæ partis seorsim excepta, tùm ea, quæ Sessione prima, & decima, circa traditionem illam librorum Canonicorum apud Aduersarios in confesso fuisse intelliges, tùm in primis ipsum Originale & authenticum exemplar Protocolli manu Reuisorum & Notariorum vtriusq; partis subscriptum, in quo vox, TRADITAM, *leui litura ita oblita est, vt legi nihilominus ab omnibus possit, luculenter demonstrant. Quid autem hæc Aduersariorum diligentia sibi velit, quisq; prudens suo Marte, absq; cuiusquam admonitu, inspecto & perlecto eo loco, facilè intelliget. Sed iam sat Præfationis, candide & veritatis amans Lector, in cuius gratiam hæc Acta in lucem proferuntur. Tu his fruere, & vale.*

ACTA

ACTA COLLOQVII RATISBONENSIS.

SESSIO PRIMA.

ANNO DOMINI 1601.

28./18. Mensis Nouembris.

Nachdem die Durchleuchtigiste / Durchleuchtige Hochgeborne Fürsten vnd Herrn / Herrn Maximilian Pfaltzgraue bey Rhein / Hertzog in Obern vnd Nidern Bayrn / ꝛc. vnd Herr Philipps Ludwig Pfaltzgraue bey Rheyn / Hertzog in Bayrn / Graue zu Veldentz vnd Sponhaim̃ / vnsere Genedigiste vnd Genedige Fürsten vnd Herrn / eines freundlichen gesprächs / in Religions vnd glaubens sachen / sich mit einander freund: Vetterlich: verglichen / vnd zu wircklicher anstellung derselben den 26./16. Nouembris, allhie zu Regenspurg glücklich beeder seyts eynkommen / Also ist den 28./18. eiusdem, auff dem Sal deß Rathauß zu bemeltem Regenspurg / allda nit allain Höchst: vnd hochermelte beede Fürsten / neben den auch Durchleuchtigisten / Durchleuchtigen Hochgebornen vnsern Genedigisten vnnd Genedigen

Fürsten vnd Herrn/ Herrn Alberto Pfaltzgrauen bey Rheyn/ Hertzogē in Obern vnd Nidern Bayrn/ ꝛc. dañ auch Herrn Wolffgang Wilhelm Pfaltzgrauen bey Rheyn/ Hertzogen in Bayrn/ Grauen zu Veldentz vñ Sponhaim̃/ ꝛc. sich in der Person befundē/ sonder auch die beeder seyts benanten Collocutores, Theologi, Notarij vnd andere/ in zimblicher anzahl versamlet gewesen/ nachfolgende proposition, wie sie auff vorgehende vergleichung/ auffs Papier gebracht/ offentlich ex charta verlesen/ vnd sonsten im gantzen Colloquio von einer session zur andern procediert worden/ wie vnterschidlich hernach folget.

PROPOSITIO.

DIe Durchleuchtigiste/ Durchleuchtige/ Hochgeborne Fürsten vnd Herrn/ Herr Maximilian Pfaltzgraue bey Rhein/ Hertzog in Obern vñ Nidern Bayrn/ ꝛc. vnd Herr Philipps Ludwig/ auch Pfaltzgraue bey Rheyn/ Hertzog in Bayrn/ Graue zu Veldentz vnd Sponhaim̃/ Geuettern/ vnsere Genedigiste vnd Genedige Fürsten vnd Herrn/ setzen in kainen zweiffel/ alle vnd jede gegenwertige Personen/ Geistlichs vnd Weltlichs/ hohen vnd nidern standts/ seye nit weniger bewust/ als es auch hin vnd wider/ in dem heiligen Reich/ Teutscher Nation/ nunmehr ruchtbar vnd erschollen/ daß jhre Fürstl: Durchl: vnd Gn: in Religions vnnd glaubens sachen/ ein freund: vertrewlich colloquium vnd gespräch in dero Fürstlichen præsentz vnd gegenwert/ zwischen beeder Jhrer

FFürstl:

FFürstl: Durchl: vnd Gn: Theologis anstellen vnd fürgehen zulassen/bedacht vnd entschlossen sein/Inmassen dann jhr FFürstl: Durchl: vnd Gn: sich eben zu solchem ende/ einer persönlichen zusamenkunfft allhero in deß Heyligen Reichsstatt Regenspurg/ mit einander freundlich verglichen/ vnd vngeacht viler discommoditeten vnd vngelegenheiten/ auch hindan gesetzt/ anderer beeden jhrer FFürstl: Durchl: vnd Gn: diser zeit obligenden schweren vnnd wichtigen occupationen, geschäfft vnd verrichtungen/ gemachten veranlaß nach/verschinen tägen/ allhie in der Person/ angefunden vnd eyngestellt. Wie nun solch löblich vnd wolmainent intent vnd vorhaben/ auß recht Christlichem vnnd Fürstlichem menigklichen wolbekantem eyffer/ damit beede jhre FFürstl: Durchl: vnd Gn: jhr die Religion/ glauben vnd gewissenssachen/ vorderst angelegen sein lassen/ Auch andern mehr hochbewegenden tapffern motiuen vnd bedencken/ hergeflossen/ auch ainig vnnd allein/ zu der ehr deß Allmächtigen Gottes/ vnd erbawung seiner thewr erkaufften Kirchen/ religiosè gemaint vnd angesehen/ Also sein auch beede Jhre FFürstl: Durchl: vnd Gn: der vngezweiffelten getrösten guten zuuersicht/ man werde solch vorhabent/niemand zu offension, ainigen verfang vnd nachthail/angestellt Christlich gespräch vnd vnterredt/ in Religions vnd glaubenssachen/von beeden jhren FFürstl: Durchl: vud Gn: als fürnemmen fridfertigen/ hocherleuchten/ gehorsamen Fürsten vnd Glidern deß Reichs/ zu verweißlicher vnnötiger fürwitz/ sinistrè vnd vngleich zuuermercken/ oder auch sonsten/dasselbig in andere weg zu culpiren, zu tadeln oder zuuerschimpfen/ durchauß kaine billiche/ verantwortliche/ vnd befugte vrsach haben. Sonder vilmehr/ jhre FFürstl: Durchl: vnd Gn: bey menigklich beuorab frommen Gottßförchtigen/ der warheit propugnatorn vnd liebhabern/ ausser widerwertigen verdacht/ vnd allerdings wol entschuldiget seyn. Wann dann beede höchst: vnd hoch-

gedachte Fürsten/zu schleiniger befürderung / vnd richtiger fortsetzung/ der veranlasten Christlichen collocution vnd gesprächs / sich hie beuor allberait mit einander freund: Vätterlich verglichen/was nit allein für dißmal beeder seyts / das argumentum vnd materia, vorstehender freundlichen disputation sein/ sonder auch wie vñ welcher gestallt in jhrer FFürstl: Durchl: vnd Gn: Fürstlichen hochgeehrten gegenwärth/colloquendo vtrinq; procediert,vnd verfaren werden söll. Alßdann zu der verordneten Colloquenten vnd Disputatorn besserer vnd sicherer nachrichtung / so wol die formalia,als materialia futuræ disputationis, in etliche gewisse capita vñ propositiones,schrifftlich verfast vnd zusamen getragen/ Daneben auch die Collocutores beederseyts namhafft gemacht/ deputiert vnd verordnet worden/ vnd es nun mehr an dem/ das in Gottes namen zu der disputation oder gespräch selbsten geschritten / vnd demselben sein gebürender anfang gegeben werde / So erjnnern demnach beede FFürstl: Durchl: vnd Gn: derselben verordnete Theologos,sonderlich die Colloquenten, hiemit bey jhrem gewissen gnädigist/ gnedig/ vnd gantz ernstlich ermahnent / obangeregte verfaste leges & propositiones, vnter wehrender disputation vñ gespräch/ von anfang biß zu desselben endlichen schluß / mit besonderm vleiß strictè zuobseruieren, vnd in acht zunemmen / Insonderheit aber nit allein res ipsas, vnd die proponierte Theses (dauon für dißmals vtrinq; allein zuconferieren, bericht zugeben vnd zunemen/ darauff / auch als den statum controuersiæ mit sonderm fleiß fürnemblich zusehen sein wirdet) ohne ainiche vergebenliche tergiuersation,vmbschwaiff oder absprung/rectà vnd stracks anzugreiffen/ vnd dieselbe liberè,ohne allen scheuch frey öffentlich zu impugniern, auch respectiuè zuuerantworten vnd zuuerthedigen / vnd sich hierinnen klarer/ verständlicher/ wöluernemlicher / langsamer / lateinischer Sprach zugebrauchen / Daneben aber mit vnnöthigen / weit-

läuffigem

läuffigem declamitirn, so wol verdießlichen/vnerbawlichen wortgezänck/beeder jhrer FFürstl: Durchl: vnd Gn: wie auch deß gantzen hochansehelichen Auditorij, in gebürendem respect schuldigklichen zuuerschonen/sonder auch sich alles sophisticierens, verbitterlichen/ heßlichen calumnierens, vnnutzlichen cauillirens, der wörter/vnd andern vnzimblichen schumpfierens/vnd ehrenrühigen verunglümpffens der Personen/so wol auch deß verhinderlichen eynredens/turbirens, vnd jrrmachens/gäntzlich zuenthalten/vnd dagegen in jhren actionibus, reden vnd gebärden/Theologischer sanfftmuth/moderation vnd beschaydenheit/zubevleissigen/vnd sonsten gegeneinander freundlichen/gelindt/fridfertig/schidlich/auch in allem dermassen zubezeugen vnd zuuerhalten/wie sich in dergleichen fällen (da es vmb hoche vnd göttliche glaubens vnd gewissens sachē allein zuthun) in allweg gebürt/vnd fromen/gottßförchtigen fridliebenden Theologis ohne das gezimbt/vnd wol ansthehet/sie es auch an jenem grossen tag/vor dem angesicht deß gerechten Richters vnd Hertzenkundigers Jesu Christi/vnd dann gegen jhren Herrschafften/vnd menigklichen mit gutem gerühwigem gewissen/getrawen zuuerantworten/vnd damit man zu jhrem selbst rhum vnd lob im werck erspüren möge/daß dise freundliche disputation vñ gespräch/allein zu der ehr vnnd glori deß Allmächtigen/ergründtung vnnd bestättigung/der allein seligmachendē warheit/erbawung deß nechsten/so dann erhalt: vnd vermehrung Christlicher Gott wolgefälliger ainigkait/vnd rechtgeschaffnen/beständigē vertrawens/Christlich angesehen vnd fürgenommen/alßdann vilhöchst vnd hochermelt Ihr FFürst: Durch: vnd Gn: den verordneten Collocutorn, vnd andern anwesenden Theologis beeder Religionen/genedigist vnd genedigklich antrawen/vnd den getrewen/Allmächtigen Gott von hertzen bittent/sein Allmacht sölchem vorstehendem geistlichem colloquio vnd gespräch selbsten genedigklichen præsidiern, beywo-

ten/vnd es mit seinem heiligen Geist/ dahin genedig vnd miltigklichen dirigiern vnd richten wölle/ damit es allein zu den ehren seines allerheiligisten Namens/ erweitterung seines Reichs/ auch viler Menschen erleuchtung/ zeitlicher vnd ewiger wolfahrt/ vnd also obs erklärten ende vnd effect, dahin es fürnemblich gemaint/fruchtbar vnd ersprießlich außschlagen/ geraichen vnd gedeyen möge. Welches also höchst: vnnd hochgedachte/ jhre FFürstl: Durchl: vnd Gn: zum eingang/ genedigist: vnd genediger wolmaynung/ erjndern zulassen für nothwendig ermessen/ Vnnd sein beynebens jhre FFürstl: Durchl: vnnd Gn: den gegenwirtigen Fürsten mit freundt: Vetterlichem Brüeder: vnd Vätterlichem willen den vbrigen anwesenden Personen aber sambt vnd sonders/mit Fürstl: gnaden wol genaigt.

CAPI-

CAPITA INSTRVCTIONIS PRO COLLOCUTORIBUS.

I.

GLoria Dei, Ecclesiæ salus, veritatis inquisitio, & propositæ quæstionis illustratio, collocutoribus suprema lex, & vnicus in disputando scopus esto.

II.

Sententiam suam, de norma doctrinæ & cultuum, deq; controuersiarum religionis Iudice, affirmatiuis & negatiuis thesibus comprehensam pars vtraq; perspicuè proponat.

III.

Vbi ad ipsum disputationis actum, & in arenam descensum fuerit, post terminorum Theologicorum ad præsentem disquisitionem pertinentium breuem & necessariam declarationem, ab aduersa parte requisitam, recta sine ambagibus ad examen thesium & argumentorum procedatur.

IV.

Collocutores argumenta syllogismo, vel alia in Logicis probata argumentandi forma includant.

V.

Agant modestè & placidè, loquantur clarè & perspicuè, vt intelligi, tardè, vt dicta percipi possint. Ad quæsita respondeant disertè, affirmando, vel negando vel distinguendo.

VI.

Fugiant Sophisticam à scopo propositæ quæstionis, declinantem, neq; recto pede ad cuiuslibet argumenti veram confirmationem, vel confutationem procedentem.

Vitent

VII.

Vitent conuitia, clamores, strepitus, intempestiuas interpellationes, quibus necessaria rerum explicatio interrumpitur, & otiosas & inutiles declamationes.

VIII.

Proposito argumento liceat collocutori paucis deliberare cum collegis de vera & solida responsione, hac enim disputatio non ingenij ostentandi, sed veritatis inquirendæ & illustrandæ gratia, est instituta.

IX.

Excusso quantũ satis videbitur argumento authoritate Principum progressus fiat ad alia.

X.

Notarij iurati bini ex vtraq; parte deligantur, qui dicta fideliter excipiant; & singulis sessionibus finito colloquio, in præsentia Theologorum & Politicorum, partis vtriusq; Protocolla conferant, eaq; conformatis per omnia exemplaribus, reciprocé facta subscriptione, & obsignatione permutentur.

XI.

Neutra pars priuato arbitrio conetur abrumpere colloquium, sed eo potius elaboret vtraq;, vt propositum thema de norma fidei & iudice controuersiarum, cunctis suis partibus excutiatur & illustretur. Atq; sic colloquio non nisi de voluntate Principum, suprema manus imponatur.

DOCTOR ALBERTVS HVNGERVS PROCANCELLARIVS ACADEMIÆ Ingolstadiensis.

SERENISSIMI & ILLVSTRISSIMI Principes, Domini clementissimi intelleximus ego & collegæ mei prælectam propositionem, & daturi sumus operã diligenter, huic prudentissimæ admonitioni vt pareamus per omnia. Illud verò rogamus eos, qui contrà disputaturi sunt, vt

vt amicè & placidè nobiscum conferant, hoc & nos vicissim facturos pollicemur. Ante omnia autem protestamur ego & collegæ mei, nihil nos velle hac disputatione præjudicare, communi causæ fidei catholicæ, sed hoc tantum laboraturos, facturosque, vt veritas magis patescat & elucescat. Quam rem, vt sua gratia & benedictione, quàm benignissimè prosperare velit DEVS Opt. Max. suppliciter precamur. Reliquum est, vt qui contrà disputaturi sunt, suæ nunc assertionis probationem aggrediantur. Quòd videlicet sacra scriptura, sola & vnica sit regula & norma, adeoq; & Iudex omnium controuersiarum religionis. Nos Deo iuuante respondebimus.

IACOBVS HAILBRVNNER, DOCTOR SVO ET COLLEGARVM NOMINE respondet ad propositionem.

SERENISSIMO *Principi ac Domino, Domino Maximiliano, Comiti Palatino Rheni, vtriusq; Boiariæ Duci. Ill.mo quoq; Principi ac Domino, Domino Philippo Ludouico, Comiti Palatino Rheni, Boiariæ Duci, Comiti Veldentiano & Sponhamensi, &c. Dominis nostris clementissimis gratias, quas animo concipere possumus maximas, debita subiectione humiliter agimus, quod præsentem conuentum & congressum solennem maturo consilio instituere, eidemq; posthabitis omnibus alijs, ijsdemq; arduis & grauissimis negotijs, ac hyberni itineris molestijs præsto esse, imò verò præesse non fuerunt dedignati, agnoscimus ex hoc, & multis alijs indubitatis indicijs vtriusq; Principis in religionem suam, studium ac zelum flagrantissimum. Deũ oramus omnipotentem, vt Principum serenitati, atq; Ill.mæ celsitati hanc quam religionis & Ecclesiæ causa susceperunt molestiam, in hoc præsenti & futuro seculo largissimè compenset, nec dubitamus, singulari quodam Dei consilio, ac spiritus sancti instinctu hoc negociũ fuisse susceptum, qui per amicam hanc & familiarem collocutionem errantibus quibusdam, viam veritatis cœlestis, clementer commonstrare, in orthodoxis verò vel rectè sentientibus, veritatem illam fortius obsignare constituerit. Quod vt fiat, pro nostra erga vtriusq; religionis Principes Dominos nostros clementissimos, cæterosq; Auditores omnes & singulos humillima atq; Christiana affectione, ardentissimis votis optamus & precamur.*

Ad nos quod attinet, parati sumus secundum admonitionem S. Petri Apostoli rationem reddere eius, quæ in nobis est, quamq; Ecclesias curæ nostræ commissas docemus fidei ac spei cuiuis petenti, nosq; á Deo patre nostro & Sal-

natore Christo haud vulgari beneficio affectos esse opinamur, dum occasio nobis offertur opportunissima, religionem nostram, hactenus multis in lucem editis scriptis, falsitatis, vanitatis, hæreseos, publicè falso tamen insimulatam, defendendi, atq; ostendendi, eam minimè falso aut hæretico, sed verè christiano, antiquo, catholico, & Apostolico, adeoq; firmissimo atq; immoto inniti fundamẽto. Comparuimus igitur eó libentius, & in omnibus aduersæ partis postulatis, quantũ salua veritate & conscientia potuimus, cessimus eó liberalius, ne Ser.rum Principum pium ac laudatiss.um institutum, turbare, impedire, causæ nostræ diffidere, aut collocationem detrectare velle videremur.

In legibus, quarum in propositione nonnulla facta est mentio, non est quod quicquã desideremus, sed eas verbo Dei & præsenti instituto conuenientes esse arbitramur; Ideoq; obedientiam haud grauatim pollicemur, nec quicquam magis in votis habemus, quàm vt omissis ambagibus, sophisticationibus, disceptationibus scholasticis, cauillationibus, logomachijs, conuitijs, nihil aliud in medium afferatur, quàm quod ad veritatis inuestigationem, adeoq; ad gloriam Dei, & Ser.rum. Principum, auditorum totiusq; Ecclesiæ salutem ædificationem pertinere videbitur.

Nos in re tam graui & ardua, omniumq; nostrum temporalem & æternam salutem concernente, de qua coram tribunali Christi in tremendo illo iudicio, quod præ foribus esse scimus, respondendum erit, non tam coram principibus & frequenti Auditorum cœtu, quàm coram ipso Deo & Angelis, gratiã largiente eo, de cuius gloria agitur, de proposita præter spẽ atq; exspectationẽ nostram, in dubium vocata quæstione, placidè vt iussi sumus, conferre, atq; simplici, plano & perspicuo sermone vti studebimus, memores dicti cuiusdam B. Augustini, quod in his rebus non ornamenta, sed documenta quærenda sint, humiliter sperantes, omnia, quæ & nunc, & in progressu colloquij, in medium allaturi sumus, præsertim veró si palàm & aperto ore profiteamur, quod corde, credimus, ab ipsorum Principum Serenitate & Celsitate, nec non á reliquis Dominis auditoribus clementer & benignè acceptum, veritati deniq; manifestatæ cuius desiderio omnes tenemur, locum datum iri. Quandoquidem veró ad eam rem, maiorem in modum nobis opus est Dei patris nostri omnipotentis, Christi supremi disputatoris & ἀρχιποιμένος nostri, Spiritus quoq; S. gratia, ac donis per gratiam sine quibus nihil boni cogitare, nedum facere aut perficere possumus. Ideo ad sacratissimæ illius Trinitatis opem, & auxilium supplices confugimus, coniunctisq; votis toto pectore oramus.

Omnipotens æterne Deus, cœlestis pater, veritatis fons & scaturigo, te deuota mente, & ex imis animorum nostrorum visceribus rogamus & inuoca-

mus

mus, vt nostro huic conuentui, & colloquio clementer adesse, tuoq; spiritu, consilia, cogitationes, dicta & facta nostra, paternè gubernare velis, quó nimirum ea, ad veritatem cœlestem inuestigandam & illustrandam, atq; adeo ad nominis tui gloriam, & ecclesiæ ædificationem promouendam accommodata sint & idonea. Tu Domine Iesu Christe, seruator & redemptor noster vnice, qui puer 12. annos natus, & inter Doctores Hierosolymitanos repertus, sapientiæ tuæ cœlestis admirabile specimen edidisti, nec non diserta voce nobis promisisti, quod vbi duo vel tres in nomine tuo congregati sint futuri, tu in medio illorum te præsentem exhibiturus, tuoq; spiritu eos, qui vocem tuam audiunt in omnem veritatem sis ducturus, te supplice corde rogamus, vt nos in veritate (quæ sermo tuus est) sanctifices, atq; præsenti instituto largiter benedicas, nostrumq; colloquium, ad nominis tui sanctificationem ad regni tui amplificationem & sanctissimæ tuæ voluntatis executionem benignè dirigas. Veni etiam sancte spiritus, ac reple tuorũ corda fideliũ, tuiq; amoris ignẽ in eis accende, qui per diuersitatem linguarũ cunctarum, gentes in vnitate fidei congregasti. Amen. Pater noster

R. P. DOCTOR IACOBVS GRETSERVS.

Ser.mi & Ill.mi Principes Domini clementissimi, etsi hodiè more veteri & catholico, huic conuentui, Spiritus sancti præsentiam optauimus, & vt speramus impetrauimus: quia tamen iam iterum videtur esse opus, vt & nos hoc loco eiusdem præsentiam petamus, faciemus id quotquot adsumus flexis genibus, vt eò faciliores nostræ preces spiritui sancto adueniant. Rogo igitur omnes & singulos ex orthodoxis & catholicis Auditoribus, vt mecum genua flectant & orent; Veni sancte spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diuersitatem linguarum cunctarum gentes in vnitate fidei congregasti.

Vers. Emitte spiritum tuum & creabuntur.
Resp. Et renouabis faciem terræ.

Deus qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Recitata precatione, addidit D. Gretserus, incipiant Domini Doctores proponere sua argumenta sigillatim, nos ad singula conabimur respondere breuiter, scholasticè, dialecticè, neq; enim Dialectica Theologum dedecet.

D. IAC. HAILBRON.

Constat quade re præsens disputatio sit instituta, consultū ergo esse videtur, vt theses examinentur. Inprimis vero vtriusq; partis theses de norma doctrinæ & controuersiarum Iudice legantur. Ideoq; vbi recitata fuerit thesis aduersæ partis, nos quoq; theses nostrás publicè recitabimus.

D. GRETSERVS.

Legit suam thesin ex chatta.

THESIS quam Deo Opt. Max. adiuuante Theologi Bauarici in disputatione Ratisbonensi probandam & defendendam susceperunt. Sacra scriptura non est Iudex omnium controuersiarum fidei & religionis Christianæ. Est quidem norma infallibilis, verum nec sola nec vnica, sed præter hanc necessario admitti debent traditiones, & Ecclesiæ definitiones, Doctorumque Orthodoxorum consensus.

Albertus Hungerus Academiæ Ingolstadien. Procancellarius.
Iacobus Gretserus Soc. Iesu SS. Theologiæ D. & Professor Ingolstadii.
Antonius Vvelser SS. Theolog. D.
Vvolfgangus Hanneman. SS. Theolog. D.

Hæc contradicit omnibus Thesibus vestris, quarū quamuis sint numero XII. re autem tantum vna est. non igitur necessarium erit omnes legere, sed solummodo primam.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Legit Theses Theologorum Augustanæ confessionis.

THEOLOGORVM AVGVSTANÆ CONFESSIONIS authoritate & voluntate Ill.mi Principis ac Domini, Domini Philippi Ludouici Palatini, &c. Ratisbonæ congregatorum. Theses.

DE VNICA NORMA DOCTRINÆ ET controuersiarum Religionis Iudice.

I.

Verbum DEI Prophetarum, Euangelistarum, & Apostolorum scriptis comprehensum, doctrinæ cultus ac fidei Christianæ vnicam, certam, atq; infallibilem normam, regulam ac mensuram, cui propter ipsum Deum authorem fides per se habenda sit, indubitanter agnoscimus.

I I.

Idipsum controuersiarum Religionis omniū, inter eos præsertim, qui Christiano-

ſtianorum nomen ſibi vendicant, Iudicem aut ſane vocem Iudicis ſupremi quem omnes agnoſcere, timere ac venerari tenemur, conſtituimus.

III.

Quod cum verbo Dei ſcripto concordat, recipiendum & approbandum, quod diſcordat, ſimpliciter, & ſine omni exceptione repudiandum, & damnandum eſſe cenſemus.

IV.

In verbo illo diuino omnia, quæ nobis ad veram Dei ac voluntatis diuinæ agnitionem, adeoq́; ad ſalutis æternæ conſecutionem, nec non ad cultus Deo placentes neceſſaria ſunt, ſufficienter contineri minimè dubitamus.

V.

Quæcunq́; ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt, ſatis perſpicuè & dilucidè in vtroq́; nouo præſertim teſtamento, nobis ob oculos poſita eſſe, Dei beneficio agnoſcimus.

VI.

Vnicam hanc tamq́; certam, perfectam, perſpicuamq́; normam fidei & cultuum, parati ſumus, per Dei gratiam, ex ſcriptura ſacra palàm tueri.

VII.

Neq́; hanc ſententiam nouam eſſe, ſed à SS. quoq́; Patribus approbatam ipſorūmet teſtimonijs claris & perſpicuis oſtendere conſtitutum nobis eſt. Non quod vel in hac quæſtione, vel ſpeciatim in articulis controuerſis, doctrinam noſtram Patrum ſcriptis ſuperſtruamus (vnum enim ſolidum & immotum fundamentum, cùm hic, tùm alibi, Dei omnipotentis verbum ſcriptum agnoſcimus) ſed vt appareat, huic noſtræ aſſertioni præter meritū impingi nouitatis notam, quaſi ea ſanctæ & orthodoxæ vetuſtati planè fuerit incognita.

VIII.

Quin hoc ipſum affirmatum noſtrum, de vnica norma & Iudice ſcripturæ ſacræ vſq́; adeo nouum non eſt, vt eiuſdem luculenta veſtigia, & aperta quædam teſtimonia, in ipſo etiam Iure Pontificio (quod apud aduerſarios authenticum eſſe conſtat) manifeſtè reperiantur.

IX.

Aliam religionis normam, alioſq́; Iudices, quocunq́; vocentur nomine, ni-

si ex prædicto verbo Dei infallibili doctrinæ suæ rationes exponant, in re tam ardua, nostramque salutem concernente, de qua nobis omnibus coram tribunali Christi respondendum erit, admittere non possumus.

X.

Qui dogmata quædam religionis, quæ in S. literis nec expresse continentur, neque inde bona consequentia deduci possunt, necessario credenda, aut cultus quosdam citra scriptum Dei verbum vel mandatum, ab hominibus excogitatos, ipsi Deo gratos, vel etiam meritorios esse opinantur, deniq; dissentientes hanc ob causam hæreseos insimulant, haud leuiter errare sentimus.

X I.

Verbum Dei θεόπνευστον in rebus præsertim ad humani generis salutem pertinentibus, imperfectionis, obscuritatis, aut ambiguitatis arguere, debita ac religiosa ergà authorem obseruantia & deuotione prohibemur.

X I I.

Recens aduersæ partis pronunciatum, quo prædictam vnius normæ ac Iudicis constitutionem, omnium hæreseon, & confusionis Babylonicæ causam atq; scaturiginem esse dictitat, minimè catholicum, & in vera Ecclesia Christi inauditum esse arbitramur.

PALATINI THEOLOGI.

Iacobus Hailbronner. D.
Philippus Hailbronner. D.
Abraham Manne. S.
Thobias Bruno. D. S.
M. Magnus Agricola.
Christophorus Morold. D.
David Schram.
Henricus Tettelbach. D.

THEOLOGI SAXONICI.

Ægidius Hunnius. D. } Electorales.
David Rungius. }
M. Ioannes Fladungus. Vinariensis.

BRANDEBVRGICI ONOLDINI.

M. Abdias Vvickner.
M. Laurentius Lælius.

Vvirten-

VVIRTENBERGICI.

Andreas Osiander. D.
M. Fœlix Bidembach.

Lectis thesibus, addidit D. Iacobus Hailbronner: Hesterna luce relatione accepimus, nobis permitti sub initium disputationis, vnica nostra norma, regulæ, mensura fidei, religionis, doctrinæ & cultuum Christianorum probationes in medium afferre, idq; nobis ab aduersa parte concedi: Quod ipsi quoq; æquitati consentire putamus; secundum tritum illud: Affirmanti incumbit probatio. Itaq; parati sumus, vnum atq; alterum ex S. scriptura in medium proferre argumentum. Vrget autem necessitas, vt nostra propugnemus, & aduersæ partis opiniones oppugnemus. Quapropter ab aduersarijs declaratio theseos ipsorũ petenda, vt vna pars alteram rectius intelligat. Legit Thesin Bauarorum Theologorum denuò, & subjecit D. Hailbronnerus: hic primùm desideramus, quod negatiuè asseritur, S. scripturam non esse normam fidei, &c. quis verò alius Judex constituendus, cum non sit expressum, rogamus, vt non dedignetur aduersa pars Judicem illum nobis designare. Deinde asseritur in hac ipsa thesi, præter normam infallibilẽ S. scripturam, necessariò admitti debere traditiones, & Ecclesiæ definitiones. Ibi necessariò petimus, vt aduersarij palam & in specie nobis significent, quæ sint illæ traditiones & Ecclesiæ definitiones, quæ normæ verbi diuini scripti sint adiungendæ; earumq; traditionum & definitionum Catalogum vel oretenus, vel scripto nobis exhibeant, audituri per gratiam Dei nostram sententiam, vbi hac in re nobis fuerint humaniter gratificati, tum ad probationem nostræ normæ progrediemur.

D. GRETSERVS.

Quis sit Iudex non opus est dicere, siue enim constituamus Pontificem, siue Conciliũ generale, siue Pontificem cnm concilio; Iam solumodo incumbit vobis probare S. scripturam solùm esse normam, quod si non probaueritis, iam causa cecidistis. Videtur abstinendum ab eisdem quæstionibus, & ad illa tendendum, quæ primam thesin vestram confirment. Rogamus igitur vt aduersarij veniant statim ad suam probationem, & altera quæstio est superuacanea. quia hæc suo loco clarescet, cum vel argumentis vel alijs probationibus eò fuerimus adacti.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Nostro iudicio est necessaria, maiorem igitur in modum rogamus, vt Iudex ille nobis nominetur quo modo enim Christianus Judicem illũ implorare

& in

& in causis dubijs consulere poterit, si non certò constat, quis sit? Nos vidimus & legimus scripta Aduersariorum, & animaduertimus ipsos non per omnia consentire; Alij enim Ecclesiam, alij SS. Patres, eorumq́; consensum, alij Pontificem cum concilio, & eo quidem, in quo omnes catholici conueniunt. Alij & quidem recentiores solum Pontificem Iudicem constituunt, neq́; verentur addere, quod ille in decretis fidei, non possit errare, siue studium adhibeat, siue non, siue cum consensu, siue sine consensu Cardinalium decernat. Constat quòd quidam hanc doctrinam in publicam lucem ediderit; quando igitur constat, non planè conformem & vnam esse Aduersariorum opinionem, ideo non grauabuntur dicere, quem Iudicem præter sacram scripturam agnoscere velint.

D. GRETSERVS.

Faciamus compendium verborum, Domini probent solam scripturam esse vnicam normam, nos respondebimus. Non est necesse, nos ostendere nostrum Iudicem. nam Catholici benè sciunt, quis sit Iudex controuersiarũ, præsertim cum & vobis non sit ignotũ quid sentiamus.

D. IAC. HAILBRONNER.

Nostrum erit, non tantùm affirmare, & theses nostras confirmare, sed etiam aduersæ partis doctrinam oppugnare. Quod fieri nequit, donec intelligamus, eam satis esse claram. Ideoq́; vt fieri possit, petimus denuò nominari Iudicem, tum propter Principes, tùm propter reliquos auditores.

D. GRETSERVS.

Aduersarij debent probare illam thesin, ex promisso. postea agamus dialecticè. non debent examinare nos. qui promittit aliquid principibus, seruare tenetur, sed Domini promiserunt probare suas theses, ergo seruare tenentur.

D. IACOB. HAILBRONNER.

Quod promisimus, id Domino volente præstabimus. Norunt autẽ Domini, se aliquoties in scriptis petijsse à nobis, vt terminorum explicationem non denegemus, & nos sumus polliciti, quam etiam si volueritis, audietis. Æquum igitur est, vt & vos Iudicis terminum explicetis. Iudicium ergo ferant Illustrissimi Principes. Extant multa de hac re scripta, sicut Aduersarijs constat, in quibus hac doctrina oppugnatur, non immeritò igitur poscimus, nominari Iudicem, nec pudebit Aduersarios sui Iudicis, & terminos haud molestè explicabunt, quia nihil certi in scriptis editis legimus.

D. GRET-

D. GRETSERVS.

Video duos terminos; Iudex eſt ille, qui Ius dicit, qui lites cognoſcit, qui cognitis cauſis fert ſententiam, lites dirimit, alteri parti abſolutionem, alteri damnationem annunciat. Norma eſt id, ad quod aliquid exigitur, ſiue probatur. Iam ad oppugnationem aut probationem, nihil intereſt, ſcire, quis ſit ille Iudex, vobis enim incumbit probare. In progreſſu adferentur argumenta, & cogemur prodere illum Iudicem: Dicemus igitur, quando vi argumentorum adigemur,

D. IAC. HAILBRONNER.

Non generaliter quæritur, quid ſit Iudex. quando quæritur de Iudice huius Vrbis, tum ille eſt nominandus, Ita quando quæritur de Iudice controuerſiarum religionis, ille quoq; nominandus erit, & eò magis, quò magis Reipub. Chriſtianæ intereſt, vt certus ſit Iudex, cuius ſententiæ in arduis illis religionis cōtrouerſijs ſit ſtandum. In definitione normæ nihil deſideramus. Petimus ne Domini Aduer: Ill.mum hoc auditorium reſponſione illa neceſſaria detineant, nobisq; theſin perfectam, exhibeant, quia nos Iudicem noſtrum expreſsè nominauimus.

D. GRETSERVS,

Tum nō eſt nominandus Iudex in ſpecie, quando non eſt neceſſe vt nominetur: hic nō eſt neceſſe vt nominetur, ergo non nominetur: probatur minor, quia iſta theſis poteſt, & debet probari ex pactis, quamuis de iudice non conſtet, licet ignoretur, quis ſit noſter Iudex,

D. IAC. HAILBRONNER.

Neceſſitas nominationis iam antè eſt oſtenſa, ſi in politicis negotijs neceſsè eſt vt nominetur Iudex, certè in controuerſijs magis arduis neceſſe eſt, vt nominetur, iam vero neceſse eſt in politicis, vt nominetur Iudex, vt partes litigantes ſciant, cuius ſententiam audire debeant, ergò multo magis neceſsè eſt, vt in negotio religionis nominetur iudex,

D. GRETSERVS,

Reſ.o ad maiorem, quando eſt adeundus Iudex, & ſententia eius exquiritur, neceſsè eſt vt nominetur, ſed quando diſputatur de duobus Iudicibus, vter verus ſit, ſecus. Domini nolunt adire noſtrum Iudicem, probent igitur ſuum. Nam quando aduerſa pars allegat ſuum Iudicem, tum debet probare illum, non autem agitur hic quis ſit Iudex, ſed an ſit.

D. IAC. HAILBRONNER.

Non sufficienter responsum. Cum enim quaeritur de iudice, quis sit ille index, tunc partes expresse dicunt, quem putent esse iudicem, quamuis alius alium nominet. Cum igitur nos S. scripturam tanquam vocem iudicis agnoscamus, idcirco & Aduersae partis iudex nominetur: quia omni contentione hoc saeculo vestri iudicis authoritatem contra nostram Ecclesiam tueri conamini. Puto vestrum iudicem satis esse celebrem hoc saeculo. ideo non molestum erit vobis, eum iam palam nominare, alioquin apparebit, thesin vestram esse imperfectam & mancam. Obsecro igitur, Domini non detineant diutius eos, qui categoricum responsum expectant, vt pactis satisfaciamus.

D. GRETSERVS.

Inexpectata est ista mora. Tunc enim solummodo necesse est nominare Iudicem, quando est adeundus, si quis diceret iste vel iste est consul, ego verò dicerem, esse alium, & ille vellet certis rationibus probare, eum esse consulem, quem ipse nominauit, tunc non necessarium foret, vt ego meum nominarem. Petimus ergo vt progredi liceat ad probationem thesis. Si nostra thesis est imperfecta, postea perficietur.

D. IAC. HAILBRONNER.

Vos procul dubio aequè debetis explicare terminos vestrae thesis, vt nos, subiectum ergò explicare non recusabitis, quod & necesse est. Probatio n. requirit subiectum. Normam quidem nominatis generaliter, iudicis verò expressam mentionem non facitis. Ideoq; vt constet nobis, quis sit ille iudex, nominate. Et cum molestum sit, eandem petitionem saepius repetere, cuius culpa nobis non imputanda, ideo denuò petimus, nobis nominari iudicem, non enim possumus progredi, nisi prius perfectam thesin nobis exhibeatis.

D. GRETSERVS.

Nos non sumus probantes, vel opponentes, sed respondentes. Pollicemur nos soluturos omnia argumenta, quocunq; in genere afferantur: & suo tempore & loco, nominabimus etiam nostrum Iudicem. Iam non necessè est, vt vos sciatis nostrum, sed vt probetis vestrum.

D. IAC. HAIBRONNER.

Aduersarij in scriptis suis, terminorum explicationem sæpius petierunt. Si igitur negotium futurum sit mancum, quando ista thesis non erit perfecta tum redundabit culpa in aduersarios. Nos non dubitamus, quin Serenissimi illustrissimiq; Principes & omnes Auditores iudicaturi sint, æquam esse hanc petitionem.

D. GRETSERVS.

Nos sumus Respondentes, & respondebimus ad singula argumenta. Explicationem terminorum iam antea dedi dicendo, quid sit Iudex, quid norma. Nihil aliud hodie faciemus, nisi Domini liberent suam fidem.

D. IAC. HAILBRONNER.

Necesse est vt nominetur Iudex, quem oppugnare debemus.

D. ALBERTVS HVNGERVS.

Primò. Termini sunt explicati. Quis autem sit noster Iudex non est termini explicatio. I I. persistamus in illo exemplo de Iudice, si quis promittit se certis argumentis ostensurum, quis sit Iudex ciuitatis, alter autem negat, tenetur sanè affirmans probare, etiamsi alter omnino taceat. Prius necessè est probari, S. scripturam esse Iudicem controuersiarum, idque ex promisso domini probare tenentur. Nos suo loco & tempore, & nostrum probabimus Iudicem.

D. IAC. HAILBRONNER.

Thesis illa de Iudice non solùm debet esse negatiua, sed etiam affirmatiua, Quando negatiuè respondeo de quodam Iudice, debeo etiam addere affirmatiuam declarationem. Vos dicitis sacram scripturam non esse Iudicem, ergo addite declarationem, quis alius sit Iudex.

D. HVNGERVS.

Non est necessè; procedite vos eo modo, quem theses illæ de colloquio cum Pontificijs ineundo nuper editæ præscribunt.

D. HVNNIVS.

Cum mihi occasio in sinum quasi delabatur, aliquid extra ordinem commonefaciendi, peto me clementer audiri. Methodus illa, quam D.

Hungerus vrget, omninò probatur nobis, sed quando quæritur de hac thesi: An necesse sit, & an omnino requiratur, vt Iudicem vestrum designetis, certum est, quod nos non tradiderimus imperfectam materiam, sed plenam in thesi & antithesi. Æquum igitur est, vt & vos perfectam nobis exhibeatis thesin, aliàs nos essemus deterioris conditionis quàm vos, cum vos nostras theses habeatis in manibus, nos vero vestras non integras. Quapropter integram vestram materiam necesse est, vt nobis tradatis, aliàs non poterimus progredi. Cur pudet vos nominare Iudicem vestrum, cum nos nominauerimus nostrum, vt constet de confessione ante conflictum? Proinde cathegoricè respondendum est, quis sit iudex.

D. GRETSERVS.

Ad probandam illam thesin non est necesse dicere quis sit, probetur prius thesis vestra, nos nostri Iudicis non pudet; quem suo loco & tempore nominabimus.

D. HVNNIVS.

Cur accepistis nostram sententiam, in thesi & antithesi & præterea, quare non similiter Iudicem sicut normam nominastis? **Man sol dem Kindt einen namen geben.**

D. GRETSERVS

Non est necessarium, quia Domini tenentur probare hoc, quod scriptura sit norma; Et hoc possunt probare, quamuis ignorent nostrum Iudicem.

VTRINQVE PROVOCATVM EST AD vniuersum Auditorium.

D. HVNNIVS.

Rogamus Ser.os & Ill.os Principes humiliter, vt per mandatum iniungant Aduersarijs nominationem sui Iudicis.

D. GRETSERVS.

Vos debetis prius liberare vestram fidem.

D. IAC. HAILBRONNER.

Probatio non solum consistit in asserendo nostro dogmate, sed etiam in oppugnando cõtrario, ad quod necesse est, vt sciamus, quis sit vester iudex. Cum autem nolueritis, nos ipsi pace vestra nominabimus vestrum Iudicẽ, ex scriptis Gregorij de Valentia.

D. GRE-

D. GRETSERVS.

Non est necesse; protestor coram toto Auditorio, nos hoc loco nihil habere negotij cum Gregorio de Valentia viro aliâs doctissimo. probetur thesis.

D. JA. HAILBRONNER.

Gregorius de Valentia, in sua Analysi fidei catholicæ, pag. 148. Residet (inquit) illa summa Ecclesiæ authoritas &c. in Christi Vicario summo Pontifice, siue vna cum Episcoporum concilio, siue absq; concilio, res fidei definire velit. Et pag. 325. siue studium adhibeat, siue non. Quæro an hæc vestra quoq; sit sententia.

D. GRETSERVS.

Thesis vestra debet probari ex promisso principibus facto. Nos suo tempore respondebimus, quod Gregorius de Valentia scripsit, id nihil ad vestrarum thesium facere probationem. Nec progrediemur donec id præstabitis, quod Ser.mis & Ill.mis Principibus promisistis.

D. JA. HAILBRONNER.

Petimus nobis perfectam thesin tradi.

D. GRETSERVS.

Imperfectio nostræ thesis non obstat, quò minus possit probari vestra thesis.

D. HVNNIVS.

Nos parati sumus ad probandam thesin nostram. Quia vero vos non debetis esse melioris conditionis quam nos, par est, vt nobis in thesi & antithesi, perfectam materiam & confessionem exhibeatis. Jam quæritur de methodo, an non ante conflictum debeat constare de integra materia. Nec opus est, vt toties regeras, probationem thesis, & liberationem fidei nostræ. Cur accepistis theses nostras?

D. GRETSERVS.

Ego potius quæro, cur acceperitis nostras theses, si non fuerunt integræ?

D. J. HAILBRONNER.

Eramus in procinctu, cum traderetur nobis vestra thesis, cum vos dicatis scripturam S. non esse Judicem, sed alium quendam, dicite ergo quis sit: aliâs suspectum reddetis vestrum Judicem per tergiuersationem vestram.

D. GRETSERVS.

Non est necessarium, affirmanti enim incumbit probatio, suo tempore honorificentissimè, & summa cum reuerentia nominabimus nostrum iudicem.

D. HVNNIVS.

Petrus ait priore 3. cap. quouis tempore reddendam esse rationem fidei.

D GRETSERVS.

Quandò est necessarium.

D. HVNNIVS.

Quicquid pracipit Petrus, est necessarium: Petrus pracipit quouis tempore reddendam esse rationem fidei; Ergo est necessarium.

D, GRETSERVS.

Respondeo ad maiorem. Quouis tempore esse necessarium, nego; sed aliquando, concedo.

D. HVNNIVS.

Si vllo tempore fuit necessariū, certè hoc tempore maximè necessarium est.

D. GRETSERVS.

Praecepta affirmatiua non obligant, nisi certis conditionibus. Petrus loquitur de animo, vt animus semper sit promptus & paratus ad rationem reddendam. Ita ego omni tempore paratus sum nominare meum Iudicem, sed illo quo teneor.

D. HVNNIVS.

Apostolus manifestissimè contradicit explicationi vestrae, imò de actu confessionis, & non solùm de animo prompto loquitur. Nos iudicium committimus, illustrissimo auditorio.

Ser. Dux Bauariae cum suis priuatim collocutus est.
Ita & Illust. Princeps Palatinus Rheni cum suis, &c.

D GRETSERVS.

Quia Serenissimi & Illustrissimi nostri Principes interposuerunt suā authoritatem, & voluerunt vt nominemus nostrum Iudicem, nominabimus equidem, hac tamen lege, vt postea, sine vlteriori cunctatione descendatur ad probationes thesium, & videbunt Domini nos non rubore

libore suffundi cum nominant nostrum Iudicem: idq; facimus non ex debito, sed in gratiam Serenissimorum & Illustrissimorum Principum.

D. IAC HAILBRONNER.

Agimus gratias Serenissimis & illustrissimis principibus, pro interposita authoritate, & petimus, vt post iudicem nominatum etiã traditiones specificentur.

D. GRETSERVS.

Id nullo modo iam: sed suo tempore faciemus, satis iam habetis.

SERENISSIMVS PRINCEPS MAXIMIL.

Concessimus vobis aliquid, concedatis & vos aliquid nobis.

D. HVNNIVS.

Faciemus & acquiescimus in clementissima voluntate Celsitudinis vestra.

D. GRETSERVS.

Iudex generalis, legitimus, ordinarius omnium controuersiarum, quæcunq; possunt oriri in negocio religionis, est Pontifex Romanus; siue solus definiat aliquid, siue definiat cum Concilio generali. Iste Iudex semper est infallibilis, quando ex cathedra definit, vt Pontifex, nulli errori obnoxius; & speramus, hoc die & hac ipsa hora, hoc munere iudiciario fungi sanctissimum D. nostrum, Clementem VIII. Pontif. Opt. Max. &c. Hactenus non tàm fuit disputatio quàm contentio; disputetur scholasticè.

D. IAC. HAILBRONNER.

Sententiam nostram iam probabimus 1. ex ipsa scriptura, 2. ex Catholico antiquitatis consensu, eo tamen fine quem in thesi quadam ostendimus. Deniq; ex iure Canonico, eo quoq; fine, quia ille liber apud vos habetur authenticus.

Ex scriptura sacra aliquot in promptu habemus argumenta, qua vna vice non possunt proponi, multò minus examinari, ideoq; vnum, & si tempus supererit, alterum quoq; proponam.

PRI-

PRIMVM ARGVMENTVM.

In rebus fidei, religionis, & cultuum, id tantum, quod nec additionem, nec detractionem patitur, pro norma est agnoscendum & vsurpandum: Solum verbum Dei scriptum, nec additionem, nec detractionem patitur, ergò illud solum pro norma fidei, religionis, & cultuum est agnoscendum.

D. GRETSERVS.

Ad maiorem Res.º concedi posse, minorem nego.

D. IAC. HAILB.

Probatur minor, 1. ex mandatis & testimonijs sacræ scripturæ, in quibus à Deo ipso additio & detractio in verbo suo, & eo quidem scripto seuerissimè prohibetur. Deut. 4. vers. 2. Deut. 5. vers. 32. Deut. 12. vers. 32 prouerb. 30. vers. 6. Ezech. 20. vers. 18. Hæc præcepta de nullo alio, quam scripto verbo explicantur. Exod. 24. vers. 3. & 4. Quod enim Deus ore præcepit, id ex eius mandato etiã scriptum est, & eo tempore duntaxat ad scriptum verbum alligatus fuit populus Israëliticus.

Testimonia de verbo scripto. Exod. 24. vers. 3. & 4. eodem cap. 5. vers. 7. Exod. 34. vers. 27. Deuter. 31. vers. 9. Deut. 27. vers. 26. Gal. 3. vers. 10. Deuter. 17. vers. 8 Ios. 1. vers. 7. 3. Reg. 2 vers. 3. 4. Eandem normam vniuerso Israëli, Iudicibus, & in solennibus comitijs commendat. Ios. 23. vers. 6. 3. Reg. 2. vers. 3. Dauid scriptum verbum Salomoni testamentum mandauit, 4. Reg. 17. vers. 37. Illud mandatum Dei repetitur, & de verbo scripto explicatur. Ex illis allegatis luce meridiana clariùs elucescit, omnia illa dicta de nullo alio, quam de scripto verbo esse intelligenda, neq; aliud fuisse verbum scriptum, quam voce prædicatum. Quod enim Deus ore tenus populo mandauit, id omne scriptum est, sequitur ergo quod verbum scriptum meritò debeat esse norma.

D. GRETSERVS.

Ad dicta de additione & detractione: Resp. prohiberi additionem, quæ repugnat verbo scripto, non autem illam, quæ verbo scripto est consentanea, cuiusmodi sunt traditiones, Ecclesiæ definitiones, & orthodoxus patrum consensus. Id omne si adijciatur ad normam, consonat summopere verbo Dei scripto, & nititur infallibili authoritate, æquè ac verbum Dei scriptum, licet in modo aliqua sit diuersitas: nam quod non omnis additio ad S. scripturam prohibeatur (de detractione siquidem non contendo) inde patet, plæraq; testimonia sunt ex Deu.

Post

Post Pentateuchum accesserunt libri Iosue, Prophet. &c.tamen nemo reprehendit; quia illi libri, fuerunt consentanei sacræ scripturæ. Sequitur ergo quòd dissentaneæ, & non consentaneæ additiones prohibeantur. Præterea illa consequentia non est bona, si dico; Dominus vetuit aliquid adijci ad legem scriptam; Ergò lex scripta sola est norma religionis. Nego conseq. nam ponendo traditiones, definitiones Ecclesiæ, patrum consensum, nihil adijcitur scripturæ, cum non repugnent; Salomon illas solas additiones reprehendit, quæ verbo Dei scripto contrariæ fuerunt. Itaq; non video, quid per illa testimonia probatum sit; consequentias tuas prius mihi probari cupio.

D. IAC. HAILBRONNER.

Respondeo 1. quod attinet additiones quæ repugnant verbo scripto &c. apparet ex claro verbo, generaliter & indefinitè omnes additiones esse prohibitas, nam eo ipso quod aliquid additur, expresso Dei verbo repugnat. Additiones omnes generaliter sunt prohibitæ, etiam bona intentione, consilioq; bono, ad honorem Dei factæ, quod exemplis multis ex S. scriptura probabimus. Ad libros Iosue & Prophetarum quod attinet, nihil fuit additum, ratione dogmatum & cultuum, sed solùm, historiæ recitatæ sunt, & præcepta Mosis repetita: Itaque reuerà nulla fuit additio. Deinde illa præcepta, non fuerunt Deo, sed hominibus data, & Deo liberum fuit, subindè nouas reuelationes progressu temporis addere, hominibus verò nihil prorsus addere licet, etiamsi additiones illæ non videantur pugnare cum verbo Dei scripto, licet bona intentione fiant. Demonstrauimus ergo omnes esse prohibitas additiones. Ad Conseq. Respondeo. Quod iam non sit nobis propositum per allata testimonia Iudicem demonstrare, sed normam, aliud enim est Iudicem demonstrare, aliud normam. Iudex verò ex norma sequitur per se directè. S. scriptura tum temporis populo Israelitico fuit vnica norma & regula religionis & cultuum; Ergo debuit sanè esse & Iudex, sicut Christus Mosen & scripta Mosaica Iudicem constituit Ioan. 5. Itaque firmum manet illud argumentum, omnes additiones & detractiones, prorsus esse interdictas, peto vt nobis ostendatur, quæ fuerint traditiones Ecclesiæ veteris testamenti Deo placentes, & non scriptæ.

D. GRETSERVS.

Ostendemus suo tempore. In Syllogismo nego antecedens. Ad id: Deus potest addere, sed homo non potest addere. Respondeo etiam traditiones esse Verbum diuinum, sed non scriptum, & esse eiusdem authoritatis, ac scriptum. Definitiones Ecclesiæ fiunt ab ipso DEO,

D sed

ſed per Eccleſiam, adeoq; non immediatè vt ſcriptura, quæ eſt quaſi calamus velociter ſcribentis, ſed tamen eandem vim habent. Eodẽ modo altera acceſſio normæ infallibilis, eſt etiam ab ipſo Deo, qui Eccleſiæ dedit paſtores, ſic nihil humanum, prorſus nihil, ſed quæcunq; adduntur ſunt infallibilia. Quòd autem dicebas, illas acceſſiones non fuiſſe nouas; Reſpondeo illud eſſe permirũ. Continetur ne totum nouũ teſtamentũ in Pentateucho? Vbi aliquid in Pentateucho de Baptizandis infantibus præceptum, vel de fide Chriſtiana, vbiq; prædicanda? Quòd dicis ſcripturam eſſe vnicam normam, & non iam agi de Iudice &c. id mihi placet, ſed quod dicis S. ſcripturam eſſe regulam, Ergo etiam Iudicem, falſum eſt, licet antecedens eſſet verum, tamen conſequens negarem.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Negat aduerſarius omnes traditiones eſſe prohibitas, ſed nulla allata eſt ratio, Ego prouoco, ad verba quæ manifeſta ſunt, in quibus abſq; omni limitatione & exceptione, mandatum, ne quid addatur, vel detrahatur &c. Deinde quia Dominus negat, omnes additiones eſſe prohibitas, ſcire cupio, quæ additiões regibus, principibus, ſacerdotibus, in Eccleſia Veteris teſtamenti fuerint conceſſæ, præter ſcriptum Dei Verbum. Itaq; omninó opus erit, vt expreſſè oſtendatis, quæ fuerint illæ additiones, non prohibitæ. Traditiones etiam eſſe verbum Dei, licet non ſint ſcriptæ, nego; in ſcriptis veteris teſtamenti lego, & in ſcriptis noui teſtamenti, traditiones Eccleſiæ Iudaicæ non ſcriptas, Deo vehementer diſplicuiſſe. Præterea quod dicitur, acceſſiſſe noua quædam dogmata librorum Canonicorum, diſcernendum eſt inter tempus veteris & noui teſtamenti. Veteris teſtamenti Eccleſiæ ne latum quidem vnguem, à verbo ſcripto deuiare licuit. Quod verò Dominus in nouo teſtamento, noua quædam dogmata reuelauit, illa præfigurata eſſe nouimus in veteri teſtamento, quamuis argumento hoc non demonſtretur judex ſed norma, non tamen video, quomodo non etiam judex, poſſit ex illa demonſtrari, vt legitur Ioan. 5. Vbi ſcriptis Moſaicis Chriſtus ipſe judicium iſtud attribuit. Itaq; omnino æſtimo, omnes Auditores intelligere, argumentum noſtrum eſſe immotum.

D. HVNNIVS.

Solutio veſtra tunc conſtabit ſalua, ſi nobis oſtendetis, quòd in veteri teſtamento fuerint tales non ſcriptæ traditiones, quæ non in ſcriptis Moſis & Prophetarum fuerint contentæ, peto nobis exhiberi catalogum traditionum.

D.GRET-

D. GRETSERVS.

Traditiones veteris testamenti sunt. I. Remedium pro peccato originali in fœmellis. I I. Remedium pro peccato originali infantium, qui moriebantur ante octauũ diem I I I. Item libros Mosis esse Mosis, esse canonicos, esse verbum Dei. Ergo in veteri testamento, præter Verbum Dei scriptum, erant quædam alia non scripta. Item in veteri testamento erant Doctores, qui legem explicabant, quorum explicationi standum erat; vt Iudices, summus Sacerdos, cuius vocem qui non audiret, iubebatur occidi; Illa vox putabatur infallibilis & Vox Dei. Pontifices dirimebant lites, ex cathedra Mosis explicabant, quisnam esset sensus illius legis. Ideo Christus populum remittit ad illos Doctores dicens: quæcunq; dixerint vobis, facite; sicut iam in nouo testamento habemus traditiones, habemus Doctores, ita & in veteri testamento; si in veteri testamento, omnia illa potuerũt addi, saluis ꝓhibitionibus, quare non in nouo testamento, sine violatione illarum prohibitionum, possunt addi traditiones? In nouo testamento traditio est, Euangelium Ioannis haberi pro Euangelio Ioannis.

D. IAC. HAILBRON.

Petit Aduersarius principium.

D. IACOBVS GRETSERVS.

Quod D. Iacob. dicebat, se non de Iudice, sed de norma acturum, approbo, sed non est bona consequentia. In veteri testamento verbum scriptum fuit norma fidei, Ergo etiã Iudex; nam aliud est norma, aliud Iudex, aliud lex, aliud regula. Quod ad testimonium Ioan. 5. Istud inprimis Ioannes dicit, quòd debeant Iudæi in die nouissimo iudicari secundum legem Mosis. Iam si quis iudicatur secundum regulam, non potest idcirco regula esse Iudex, nam in ciuilibus, non ipsa lex, sed princeps seu homo, qui fert sententiam, est Iudex, quamuis metaphoricè lex pro judice accipiatur. Sancti patres aliquando ita loquuntur, sed impropriè. Quod omnes additiones, quæ pertinent ad dogmata & ad cultum, sint prohibitæ, nego; Et data est instantia superius; sed illas additiones tantum esse prohibitas dico, quæ repugnant verbo scripto si verò non repugnãt, est traditio in scriptura non prohibita. Deinde respondeo me non petere principium, quia argumentans, non respondens, petit principium. Probetur antecedens.

D. HVNNIVS.

Duo sunt membra responsionis: prius est ad quæstionem propositam, alterum ad argumentum D. Iacobi. Quod ad posterius membrum, responsum relinquo Collegæ meo. Ad quæstionem quod attinet. An populus Israeliticus habuerit traditiones ratione fidei & cultuum, extra Mosis scripta. Respondeo ad 1. vbi nulla lex, ibi nulla præuaricatio; Iam in veteri testamento de fœmellis nulla lex data erat de suscipiendo sacramento initiationis; Ergo nulla apud eos præuaricatio: quomodo ergo liberatæ sunt, cum non fuerint circumcisæ? Respondeo ex promissione Genes. 17. Ero Deus tuus & seminis tui; sub hoc semine etiam fœmellæ comprehensæ fuerunt, saluæ igitur factæ sunt fœmellæ, ex promissione, quæ facta est Abrahæ, & semini eius. Deinde ad alterum &c. ex scripto verbo iterum Respond: Vbi nulla lex, ibi nulla præuaricatio; Iam verò masculis ante octauum diem morientibus, non fuit data illa lex circumcisionis, proinde Deus in casu necessitatis immediata sua virtute, in illis operatus est regenerationem, & sacramentis suã gratiam non ita alligauit, vt extra illa in casu necessitatis non possit ferre opem. Libros Mosis esse Mosis, conceditur esse hanc traditionem testimonium Ecclesiæ Dei, quæ testari poterat, libros Mosis in arcam esse depositos, postquam verò illa traditio, in hominum animis fuit sancita & confirmata, Ecclesia iam hoc suo officio fuit defuncta, Non autē est quæstio de traditionib. de quibus vtrinq; inter nos conuenit, sed de his secundum quas dogmata inter nos & inter vos controuersa, cognoscenda & dijudicanda sunt; alienè igitur hoc à vobis affertur; Iam quod attinet in veteri testamento fuisse Doctores, quorum judicio fuerit standum; scio allegari hac in parte, locum Deuter. 17. Is verò nihil facit ad assertionem huius solutionis, nam in eo loco Deus loquitur de causis partim ciuilibus, partim de rationibus lepræ cognoscendæ, quæ cognitio fuit sacerdotibus tum temporis commissa. Ita enim verba habent, si difficile & ambiguum apud te Iudicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicium inter portas tuas videris, verba variari, surge, & ascende ad locum &c. Deinde conditionaliter loquitur Deus, & expreßè addit, iuxta legem. Summos Pontifices constat sæpius errasse: Ergo non fuit simpliciter standum illorum sententiæ. Testatur exemplum Caiphæ, qui sententiã tulit contra Christum vt Pontifex è cathedra, in concilio generali, sicut & Vrias & Pontifices tempore Hieremiæ, grauissimè errarunt. Iam vides igitur, non posse constare illam solutionem. Quod dicitur Christum remisisse populum ad cathedram Mosis &c. id militat pro nobis contra vos, nam certum est, quòd Pharisæi, tunc occuparunt cathedrã Mosis, & tamen actu ipso errarunt, si illi potuerunt errare, sicut grauiter errarunt, cur nõ & Pontifex?

D. GRET-

D. GRETSERVS.

BreuiterRespondebo 1. quod dictum est de fœmellis, &c. ego illud antecedens non concedo, distinguo tamen; Non enim ideo fœmellæ damnabantur, quòd fuerint transgressæ legem illam circumcisionis latam, sed quòd peccauerint in Adamo. De paruulis ante octauum diem mortuis non ostenditur locus in scriptura tota, qui promittit illis beatitudinem. Deus potest; ergo facit; nego consequentiam, quia neq; in scriptura, neq; alibi habetur.

Locus Deu. 17. qui indicabunt tibi iudicij veritatem &c. supponimus, quòd Pontifex sit judicaturus iuxta legem: & tàm erat certa illa sententia vt nolentem illam sequi, iubeat supremo supplicio affici.

Caipham errasse concedimus; sed negamus spiritum sanctum, tum temporis fuisse in sacerdotibus infallibiliter, quia appropinquante passione Christi, authoritas illa cessauit paulatim. Alij dant alias solutiones, sed mihi placet hæc.

D. HVNNIVS.

Initio Respondeo quòd ratione primaua illius & originalis transgressionis puellæ fuerint reæ æternæ damnationis, tamen non existimo D. Doctorem fore tam durum Iudicem, vt damnet omnes fœmellas, ante annos discretionis mortuas,

D. GRETSERVS.

Respondeo fuisse remedium aliud, quo quæ non vsæ fuerunt, damnatæ sunt. Omnes enim quæ non alijs vsæ sunt remedijs, damnatæ sunt.

D. HVNNIVS.

Quod nam illud fuit remedium, altissimum enim est silentium, de illo remedio in omnibus scripturis veteris testamenti, Iudæorum, antiquitatis & Patrum.

D. GRETSERVS.

Si fuisset mentio facta in scripturis, non esset traditio, sed verbum diuinum scriptum.

D. HVNNIVS.

Vnde verò habes?

D. GRETSERVS.

Puto aliquem locum extare in Augustino.

D. HVNNIVS.

Fuerunt ne fœmellæ ex ſemine Abrahæ?

D. GRETSERVS.

Fuerunt quidem ex ſemine ſecundum carnem, non autem ſecundum ſpiritum & benedictionem. Et illud dictum non poteſt applicari ad illas fœmellas, quæ non fuerunt vſæ alio remedio.

D. HVNNIVS.

Remedium illud dico fuiſſe meritum Chriſti, quod retrò etiam operabatur, ad fœmellas in veteri teſtamento. Ad diſtinct. Reſpond. 1. promiſſio quidem facta eſt ſemini Abrahæ ſecundum carnem, ſed ita, vt vigore illius promiſſionis ſanctificetur, & fiat ſemen Abrahæ etiã ſecundũ ſpiritũ & benedictionẽ.

D. GRETSERVS

Nego ſine ſigno externo fuiſſe emundatas fœmellas.

D. HVNNIVS.

Latro in cruce fuit ne baptizatus?

D. GRETSERVS.

Baptiſmate ſanguinis.

D. HVNNIVS.

Reduco igitur, poſſe homines ſaluos fieri ſine externo ſacramento regenerationis: Si latro in nouo teſtamento in cruce potuit ſaluari virtute meriti Chriſti ſine baptiſmate; Ergo etiã fœmellæ in veteri teſtamẽto ſine circũciſione.

D. GRETSERVS.

Non ſequitur, potuerunt; Ergo factæ ſunt. Latro habuit etiam martyrium.

D. HVNNIVS.

Quæro an latro, virtute ſui ipſius martyrij, an vero vigore Chriſti Martyrij fuerit ſaluatus?

D. GRETSERVS.

Omnes ſaluamur virtute paſſionis Chriſti; ſi ipſe patienter tulit ſupplicium latro, tunc vigore quoq; illius ſupplicij ſaluatus fuit.

D. HVNNIVS.

Quæro an martyrium Chriſti, ad eluenda omnia peccata Latronis fuerit ſufficiens? an verò debuerit accedere aliud aliquid, nempè propriæ paſſionis meritum?

D. GRETSERVS.

Hæc eſt planè alia materia. D. HVN-

D. HVNNIVS.

Si latro in nouo testamento cum resipiscit, non opus habet eiusmodi sacramēto & externo baptismo, sequitur quod neq; fœmella, opus habuerint in veteri testamento, eiusmodi sacramento.

D. GRETSERVS.

Nego Consequen. à Latrone ad fœmellas veteris testamenti: Quæro vtrum latro fuerit circumcisus?

D. HVNNIVS.

Haud dubiè: Sed quæro vtrum fuerit baptizatus?

GRETSERVS.

Latro per priuilegium non habuit opus baptismate ; nam baptismus eo tempore nondum obligabat, nec erat præceptus.

D. HVNNIVS.

Imò obligabat, quia tunc temporis Christus Apostolis dederat mandatum baptizandi. Ioan. 3. & 4. Præterea si Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi, Ergò etiam propitiatio pro peccatis fœmellarum est.

D. GRETSERVS.

Christus est propitiatio, quo ad se, secundum sufficientiam, sed non sine externo remedio, quia applicatio requiritur. Insuper & id dico; Latroni aliud fuisse tributum priuilegium, aliâs enim sequeretur, omnium Ethnicorum filios fuisse participes propitiationis.

D. HVNNIVS.

Si potuit latro sine externo medio regenerationis saluari, Ergo etiam fœmellæ veteris testamenti.

D. GRETSERVS.

Negatur hæc sequela, si enim non habuerunt remedium externum damnat scriptura omnes fœmellas, ante annos discretionis mortuas.

D. HVNNIVS.

Notetur hoc, quod D.D. omnes fœmellas veteris testamēti, sine externo remedio, & infantes nouæ legis, absq; baptismo decedētes dānet, quod ego nō dixerim.

D. IAC. HAILBRONNER.

Deut. 17. Esa. 8. Legimus: Si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Ibi remittuntur Iudæi ad scriptū verbū cū comminatione. Ioā. 5. est qui iudicabit vos Moyses. Ioan 12. Christus sermonē suū vocat iudicē in nouissimo die. Negatū quidem est, omnes additiones, quoad dogmata & cultus esse prohibitas, sed restrictio nō est probata. Deprehendimus in scriptis propheticis, Euangelicis & Apostolicis, aliud esse scriptum, nimirū omnes additiones in cultu & dogmatibus esse prohibitas. SES-

SESSIO SECVNDA.

29. / 19. Nouembris, Anno 1601. hora 7. Antemeridiana, In Curia.

D. GRETSERVS.

SERENISSIMI & ILLVSTRISSIMI Principes, cæteriq; Auditores optimi, cum heri disputaremus de norma controuersiarum, ad argumenta quæ afferebantur nonnulla sunt responsa; & inter cætera quædam, hoc, ne Hæbreos quidem traditiones habuisse. Venimus deinde occasione argumentorum ad latronem cum Christo crucifixũ. Quia auté quædam dicta sunt, quæ fortassis in calumniã rapi possent, nunc tribus verbis meam mentem explicabo, postea ad argumentum ex Esaia 8. allatum respondebo. Quod ad latronem attinet, ille remissionem peccatorum, Iustitiam & salutem impetrauit, merito & beneficio passionis Dominicæ, sicut & alij: nec de hoc potest esse vlla controuersia. 2. Eundem hoc beneficium sibi applicasse, per fidem in Christum, per contritionem & pœnitentiam, per nobilem illam confessionem, quam de Christo edidit, & deniq; etiam per suam mortem, quam patienter tolerauit, & tolerando patienter, sibi meritoriam effecit. Et hic aliquando à Patribus appellatur Martyr, quia ipsius mors est quasi martyrium & testimonium. Dedit enim & ore & morte testimonium de Christo Domino. 3. Nihil potest ex hoc facto latronis concludi pro paruulis non baptizatis, vel in veteri testamento non circumcisis, & tamen mortuis, de quibus nihil sacra scriptura prodit, quo remedio aboleuerint illam culpam originalem. Cum enim infantes non exercere possint actus pœnitentiæ, contritionis & fidei, illis applicandum est remedium, quod est apud nos baptismus, apud Iudæos circumcisio. Erat ergo aliud remedium de quo in sacris literis nihil extat. Iam quod ad argumentum attinet, & conclusionem illam Esaiæ 8. Si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. in isto testimonio nihil aliud comprehenditur, quàm quòd illos reprehendit, qui ibant ad Augures & Pythonissas &c. Hos reprehendit, & dicit potius veritatem esse exquirendam à viuis, quàm à mortuis. Solebant enim etiam

mortuos

mortuos exsuscitare, vt exemplo Saulis & Samuelis probatur. Ideò autem remittit illos ad legem, quia lege prohibebantur Deuter. 18. tale aliquid facere. Igitur si velis argumentum in formam redigere, tale erit, Deus Esaiæ 8. iubet, vt exquiratur lex & testimonium diuinum; Ergò lex est norma doctrinæ vnica & sola; concedo Antecedens & nego conseq.

D. IACOB. HAILBRONNER.

Recitauit preces, ac addidit, quia quædam iam repetita sunt, de quib D. Hunnio, intercessit heri controuersia cum D. Aduersario, concedo illi locum vt respondeat, postea & ego respondebo.

D. GRETSERVS.

Ego repetiui ea quæ heri locutus sum, quia heri digressi sumus, nunc autem, relinquamus latronem, & redeamus ad propositum.

D. HVNNIVS.

Hesternum propositum de fœmellis, non fuit ex vestra parte extra scopum. Cum enim quæreremus, quænam essent illæ traditiones, quas populus Israëliticus, in veteri testamento, præter & extra scripturam Mosaicam, & Prophetarum amplexus fuit; Respondit D. Doctor, *inter cætera fuisse traditionem, de remedio pro peccato originis fœmellarum. Responsum fuit, nullum aliud externum extare remedium, præter vnicum meritum Christi, & præter promissionem Abrahamo Genes. 17. factam, sub qua etiam fœmellæ comprehendantur. Ergo nullum aliud habuerunt remedium externum, aliàs enim saltem vestigium extaret, siue in sacra scriptura, siue in Talmud, vel in alijs libris orthodoxæ vetustatis. Iam vero ne vestigium quidem, in illis monumentis, extat in Ecclesia Catholica: proinde dictum est,* DEVM *immediatà sua virtute operatum fuisse illam regenerationem fœmellarum, & accendisse in illis fidem, qua apprehenderent promissionem. Exemplum allatum est de latrone, qui sine baptismo est saluatus. Quod autem iam adfers, latronem impetrasse salutem primùm merito passionis dominicæ, secundò per fidem in Christum, per contritionem, pœnitentiam & confessionem, tertiò per mortem propriam, quam patienter tolerando sibi effecit meritoriam. Respondeo ea omnia, quæ præter fidem & passionem Christi commemorata sunt, planè falsa & sacræ scripturæ esse contraria, excepta fide & merito Christi, nam latro non per suam contritionem, sed per Christi attritionem saluatus est. Esai. 53. Et quia hæc attritio Christi, non est semiplenum meritum sed exuberantissimum & absolutissimum; itaq; illo expiat peccata totius humani generis, ipsius quoq; latronis, ita vt satisfaceret non tantum*

pro culpa, sed etiam pro pœna, nam Christus maledictio facta est, id est sustinuit pœnam nobis denũciatam, vt nos à maledictione legis liberaremur. Gal. 3.

D. GRETSERVS.

Hæc non faciunt ad præsentem materiam, & hac ratione ingredimur vastissimum mare.

D. HVNNIVS.

Quæ proposui, faciunt, ad informandum totum hoc Auditorium, & vos mouistis hanc materiam, per mortem propriam non saluari latro potuit, ea fuit scelerum antè actorum iustum supplicium: Quòd ad infantes: Respon. Deus operari potest & solet in casu necessitatis saluationẽ sine medio externo. In Joanne Baptista, nondum circumciso, nondum baptizato, operatus est Christus gratiam spiritus S. Idem potest præstare in paruulis, per misericordiam suam; nam si Deus in veteri testamento pepercit paruulis Niniuitarum, quoad pœnam temporalem, magis verisimile est, etiam pepercisse eum paruulis, ex semine Abrahæ natis, quoad pœnam sempiternam, propter misericordiam suam & meritum Christi.

D. GRETSERVS.

Ostendat mihi Dominus in scripturis; quòd Deus velit saluare infantes vel fœmellas, sine medio externo, nemo sanè potest ingredi regnum cœlorum, nisi mundetur à peccato originali.

D. HVNNIVS.

Exprime medium illud externum, vel vestigium saltem illius medij.

D. GRETSERVS.

Circumcisio fuit in veteri testamento.

D. HVNNIVS.

Da vestigium saltem ex omnibus monumentis.

D. GRETSERVS.

Dabo ex ratione.

D. HVNN.

Sed ratio cæca est.

D. GRETSERVS.

Quomodo fæmellæ mundatæ fuerint, in tota S.S. non reperitur.

D. HVNN.

Mundatæ sunt virtute promissionis, nam sub semine Abrahami, etiam fæmellæ comprehensæ sunt.

D. AL-

D. ALBERTVS HVNGERVS.

Eiuſmodi infantes, qui ſine baptiſmo decedunt, non ſaluantur, quod eſt fides catholica.

D. HVNNIVS.

Non eſt catholica, ſed falſa fides.

D. HVNGERVS.

Putaui hoc ſolummodò Caluinianos docere.

D. HVNNIVS.

Diuerſa eſt illorum ſententia: nihil nobis commune cum Caluinianis, nos conſolamur parentes in noſtris Eccleſijs, promiſſione Euangelij, Gen. 17. & Ioan. 16. Quicquid petieritis, &c.

D. IAC. HAILBRONNER.

Quandoquidem D. Doctor putat ex loco Eſa. 8. non poſſe inferri, ſcriptum verbum Dei eſſe aut fuiſſe vnicam normam religionis: quæro, an, vbi, & quando Deus, præter legem & teſtimonium, hoc eſt, præter ſcriptum verbum iuſſerit audire traditiones?

D. GRETSERVS.

Explicaui illud teſtimonium, & feci enthymema, non ſequitur, Deus miſit populum ſuum ad legem & teſtimonium; Ergo lex & teſtimonium eſt vnica norma controuerſiarum. Reſponde ad Antecedens, aut ad conſequens.

D. IAC. HAILBRONNER.

Id tantum pro norma eſt agnoſcendum, ad quod Deus ipſe nos ablegauit, Deus ipſe ad legem & teſtimonium nos ablegauit in rebus ad religionem, & cultum pertinentibus; Ergò lex & teſtimonium eſt norma religionis vnica.

D. GRETSERVS.

Soluam, ſi ipſe reſpondeas ad meum enthymema.

D. IAC. HAILBRONNER.

Probaui nos tamen ad legem & teſtimonium eſſe ablegatos. Si Deus ad traditiones nos ablegare voluiſſet, vtiq; illarum mentionem quoq; feciſſet, hoc factum non eſt; Ergo, &c. de ſcripta lege hæc intelligi debent, quod patet Deuter. 18.

D. GRETSERVS.

Repetit argumentum ſuum & vrget Reſponſionem.

D. IAC. HAILBRONNER.

Antecedens eſt Eſaiæ, quia Deus tantùm ad legem & teſtimonium nos remittit, ideò illa lex ſola eſt norma.

D. GRETSERVS.

In illo loco misit populũ etiã ad viuos, hoc est, ad sacerdotes, vt Malach. 2. Aggæi. 2. Matth. 23. Deuter. 17. Ergo non tantum ad legem & testimonium scriptum.

D. IAC. HAILB.

Viui isti opponuntur mortuis, vt non ab eis petant responsionem.

D. GRETSERVS.

D. Doctor respondeat ad argumentum.

D. IAC. HAILBRONNER.

Si Deus nos hoc in loco, non solum ad legem, & testimonium remisit, verum etiam ad traditiones, quæ sunt ergo illæ?

D. GRETSERVS.

Legit iterum testimonium, & explicauit dicendo, quare non itis ad viuos, id est ad sacerdotes populi?

D. HVNNIVS.

Legit dictum Esaiæ 8. & ait: requirit à populo suo, vt non à mortuis consilium petat, sicut sub Papatu, ex apparitionibus animarum, exortum est purgatorium, sed vt à Deo viuo petant, & ibi ostendit, quomodo Deus nobiscum loquatur, videlicet in lege.

D. GRETSERVS.

Mittit illos non saltem ad legem, sed etiam ad viuos, id est sacerdotes.

D. IAC. HAILBRONNER.

Hæc interpretatio, quod iubeat ire ad sacerdotes, non habet locum, quia tempore Esaiæ sacerdotes ipsi isti cæci erant. Esa. 56. cæci autem non sunt audiendi. Matth. 15. Esa. 42. Ezech. 3. 33: Deinde quæro, an in veteri testamento Israëlitæ iussi fuerint, sacerdotes etiam præter & extra verbum scriptum aliquid docentes audire.

D. GRETSERVS.

Quod ad illam vltimam quæstionem attinet. Respond. Si per illud (præter) intelligatur contra legẽ, non tenebantur audire, si verò aliquid extra, vtiq; tenebantur audire. Deuter. 17. si enim pœna fuit mors, vtiq; tenebantur audire illos sacerdotes, licet illa quæ dicerent, non in scriptura extarent, modo non essent contraria scripturæ. De cæcis sacerdotibus, quod ais, nouimus S. scripturã habere morẽ, vt quod plures faciũt, id ab omnib. fieri dicatur, vt omnis homo mendax, omnes declinauerũt, &c. In illis reprehẽsionib. Es. & prophetarũ, subintelligẽdæ sunt aliquæ

aliquæ exceptiones. Præterea sacerdotes, & ipse supremus Iudex potest esse, quo ad suá persóná malus, sed quoad definitioné alicuius controuersiæ & dogmatum, & ad directionem aliorum, potest esse infallibilis. Ergo non obstat priuata cæcitas, quò minus vt definitores aliquid veri possint docere, & illuminare alios. Deut. 17. Math. 23.

Quare talis est punitus tam seuera pœna, si poterat non obedire sacerdoti aliquid præcipienti?

D. IA. HAILBRONNER.

Nihil est responsum ad quæstionem meam: per vocabulum (præter) non intelligo traditiones contra scripturam, de quibus iam nulla est quæstio, sed illas quæ traduntur extra verbum scriptum.

D. GRETSERVS.

In isto ipso loco, Deuter. 17. Malach. 2. Hagg. 2. Matth. 14. extra scriptum verbum misit Iudæos ad sacerdotes etiam.

D. I. HAILBRONNER.

*Respondeo 1. ad dictum Deut. 17. vbi Israëlitæ iubentur audire vocem sacerdotis & Iudicis cum comminatione, ibi limitatio additur (iuxta legem) non iubentur generaliter omnes sententias audire, sed eas quando docuerint iuxta legem eius, aliâs Propheta malè fecissent, qui noluerunt audire * votum sacerdotum, ita quoq́; Christus & Apostoli.* *vocem

Ad dictum Matth. 23. Respon. Christus non tantum iussit audire sacerdotes & scribas, sed iussit etiam ab illis cauere, inter eos erant Pharisæi & scribæ: itaq́; nō simpliciter iussit illos audire, sed quando sedebant in cathedra Moysis, hoc est, quando scripta Moysis docebant, remisit populum ad eam doctrinam, Matth. 16. cauete vobis à fermento, id est: falsa doctrina pharisæorum.

Quod ad dictum Malach. 2. Ibi quoq́; additur limitatio, vos autem recessistis de via, &c. fuerunt quidem hoc fine constituti sacerdotes, vt alios docerent, ipsi verò recesserunt à via Domini, & alios seduxerunt, & idcirco non semper fuerunt audiendi.

D. GRETSERVS.

Quod ad primum Respon. debuisse illos docere iuxta legem, sed ita, vt nihil docerent contrà, nec potuisse docere contrà, quando aliquid definiebant, tanquam Pontifices, & supremi Iudices, nec liberum erat Israelitis iudicare, statuere apud se, hoc vel hoc esse cōforme scripturis diuinis, sed debebant simpliciter præsupponere sententiam illam probatam à supremo definitore, esse conformem legi diuinæ alioquin subditus esset Iudex sui Iudicis, nā quodcunq; dixerint, facite iuxta legem & non declinate, &c.

Ad 2. Respondeo Christus iussit, vt Pharisæi docentes ex cathedra Moysis, audirentur; fatemur etiam iussisse, vt cauerentur, quoad mores,non quoad doctrinam,qua docebant ex cathedra Moysis. Mansit autẽ spiritus sanctus in illa Cathedra,vsq; ad tempus passionis dominicæ vicinum. Caipham enim cum suo concilio, ope spiritus sancti destitutũ fuisse,cum Christum condemnaret, quidam statuunt; neq; Apostoli, se inuiti accommodabant Pharisæis, quia sequebãtur & ipsi legẽ Domini. Quòd autem addidit, Abrahamum Epulonis fratres ad Prophetas misisse. Respondeo non est bona consequentia. Abraham misit Epulonis fratres ad Prophetas, vt inde discerent modum vitæ benè instituendæ,Ergo sola scriptura est norma doctrinæ.

Locus Malach. 2.non obstat,etiamsi in sequentibus verbis aliqui reprehendantur; quia Dominus in illis verbis non totum illud ministerium,sed mores improbos huius vel illius,vel etiam omnium reprehendit collectiuè, improbitas verò morum, non obstat veritati doctrinæ, quia etiam improbus Iudex potest sententiam veram ferre. Exod. 5. Deuter. 17.Addimus illos, quotiescunq; in cathedra docuerunt,infallibiliter docuisse, & subditus debuit acquiescere in sententia prolata, sin minus,habuit decretam mortem.

D. IAC. HAILBRONNER.

In hac responsione sunt aliquot paradoxa, quæ sigillatim monstrabo: primò quòd, Pontifices, quando definierunt, vt Pontifices, non potuerint in doctrina errare,ideoq; omnia ipsorum Decreta pro lege diuina esse agnoscenda, falsum hoc esse, & manifestè falsum, testantur historia veteris testamenti, & Prophetarum monumenta. Nam summus Pontifex Aaron à Deo ipso constitutus, in doctrina errauit, & tunc quando tanquam Pontifex constituit cultum, & erexit vitulum aureum, Exod. 32. Vrias Pontifex errauit, quando remouit aram Domini, & in eius locum, aliam constituit, idq; eo fine, vt sacrificia immolarentur Dijs Damascenis; hic fuit grauissimus error, & quidem in doctrina, religione, & cultu. Hoc constituit Vrias, non vt plebeius, sed vt sacerdos; tempore Hieremiæ, errarunt in doctrina Pontifices cum vniuerso sacerdotum collegio, qui ipsi quoq; gloriabantur, se errare non posse. Hier. 7. Hier. 18. Obijciunt Propheta, non recedit lex à Sacerdote, fuit illa ipsa obiectio, quæ nunc in vestra Ecclesia erga nos vsitata est. Addit autem Propheta, errarunt vel nescierunt Vniuersi. Ibi locum non habet illa limitatio, quòd vniuersalis debeat conuerti in particularem, sed seruandum τὸ ῥητὸν & literalis sensus.

2. Paradoxum, quòd Christus jusserit cauere scribas & Pharisæos, tantũ

ratio-

ratione morum, non ratione doctrinæ, id falsum esse testatur Matth. 16. cap. vbi Christus hortatur discipulos, vt caueant sibi à fermento Pharisæorum & Saducæorum, cùmq; id discipuli de panibus intelligerent, illic Christus interpretatus est de doctrina. In moribus externis nihil erat magnopere reprehensione dignum, tectam enim habebant lupinam rapacitatem sub ouili habitu.

3. Quòd ex Christi aut Abrahæ dicto ad Epulonem, non possit colligi, scripturam esse normam vnicam. Ibi in illo colloquio Abrahæ & diuitis, nulla alia norma monstratur, relictis fratribus diuitis, secundum quam credere, agere, & saluari debeant, præter Moysen & Prophetas, nullum aliud consilium illis monstratur, vt euitent pœnas infernales, & æternam salutem consequantur, Constat ex solo Moyse & Prophetis, ipsos potuisse discere vniuersam normã doctrinæ & fidei. Itaq; illa limitatio aut exceptio non consistit.

4. Malachiæ dictum, non restringitur solummodo ad mores, sed etiam extenditur ad doctrinam: testatur enim contextus, non tantùm de morib. sed etiã de doctrina ibi, actum esse, nam dicitur, quòd in sententia & lege, hoc est in doctrina & fide errarint, ac populum seduxerint.

D. GRETSERVS.

Malè viuendo.

D. IACOB. HAILBRONNER.

Non modò vitam & mores sed etiam doctrinam reprehendit Deus per Prophetam.

D. HVNNIVS.

Dominus Doctor heri & hodie, exemplum Caiphæ conatus est elidere, non enim dicam eludere; per circumstantiam temporis, quia tunc expirare cœperit illa potestas Pontificis, appropinquante Christi passione; constat ex historia Euangelica, quòd Caiphas in ordinaria successione fuerit non tantùm in præteritis annis, sed etiam in illo anno & ipsa illa septimana, qua Christus fuit damnatus, Joan. 11. notantur sententia concilij, præsertim verò quid Caiphas pronunciarit. Addit Euangelista, quòd vaticinatus fuerit, & quòd fuerit Pontifex. Testatur ergò Euangelista, quòd Caiphas è Cathedra pronuncians in concilio generali, nihilominus falsam sententiam tulerit, sic scribæ & Pharisæi dum adhuc sedebant in cathedra Moysis, teste Christo, Matth. 23. Quando Christus hoc locutus est? tantùm triduum ante paßionem in der Marterwochen. *Ergò proprio vestro testimonio nondum expirauerat illa authoritas & potestas, Matth. 23. Deinde quæro, vt categoricè secundum leges respondeat Dominus Doctor, de loco Esai. 8. an hoc mandatum Domini obstringat tantùm populum, an etiã ipsos sacerdotes; si ipsis sacerdotibus quoq; hæc dictata lex est, tùm euicta est causa.*

D.GRET-

D. GRETSERVS.

Primò quod ad primam Obiectionem D. Hailbronneri de Aarone attinet. Respondeo. Aaronem nihil definiuisse circa illam Idololatriam commissam, sed vi multitudinis coactum, permisisse, vt committeretur illa idololatria, ast ipse nihil admisit contra illam summam iudiciariam potestatem, qua erat præditus tanquam Pontifex. Omitto dicere quòd aliqui putant, Aaronem non fuisse summum Pontificem, sed fratrem eius Mosen, & illum saltem superiorem. Moses autem vt notum est, ab hoc scelere immunis fuit, dico quid alij sentiant. Ego in priori acquiesco. Quod ad Vriam attinet, dico illum non definiuisse cultum Idololatricum tenendum, & ab omnibus obseruandum esse, sed potius in facto, quàm in doctrina errasse. Concedimus autem, Pontifices in facto errare posse & etiam errasse. Quod si ipse Vrias verè Idololatra factus est, non tantum exterius, sed etiam mente, dicimus illum excidisse ab illa Pontificia potestate eo modo quo nunc catholici Doctores docent, Pontifices nostros, si in hæresin incidant, ipso facto desinere esse Pontifices.

Quod ad illud, errarunt, vel nescierunt vniuersi &c. Respondeo. illum locum non pertinere ad scientiam quæ requiritur in Iudice, vt definiat; hæc enim scientia nunquam deest, quamuis quoad priuatam suam personam parum scientiæ habeat. Vt taceam locum istum admittere exceptionem anteà allatam ad similes locos, nempè licet generaliter sonet, tamen generaliter non esse accipiendũ, sed cum exceptione. Quòd attinet ad Pharisæos, à quorum fermento monet Dominus, vt caueamus, cum tamen per fermentum intelligatur doctrina. Respondeo hoc intelligendum esse de doctrina priuata Pharisæorum, vt erant Pharisæi, & non vt doctores, & Iudices cathedræ Mosaicæ, habebant enim, vt ex Euangelio patet, varias traditiones contrarias legi diuinæ, in quas Dominus sæpè inuectus est. Quòd ad locum Lucæ 16. de Abraham & diuite Epulone dico, ibi expresse quidem & explicite, non ostendi aliam legem, aliam normam vitam benè instituendi; præter legem & Prophetas; ostendi tamen aliam virtute, hoc ipso enim quod ad legem & Prophetas misit, misit etiam ad Doctores & interpretes legis & Prophetarum, à quibus ratio vitæ instituendæ peti poterat. Et ostensa primaria regula & omnium notissima, facilè cæteræ inuenientur. Et si ex loco isto vellent conficere suum propositum, tùm sequeretur, solam legem Mosis & scripta Prophetica esse veram normam dogmatum

quia

quia Abraham non misit, illos ad nouum testamentum, quod tamen sine vlla cõtrouersia, pertinet etiam ad normam controuersiarum. Quod ad locum Malachiæ, vbi obijcitur sacerdotibus, quòd plurimos scandalizauerint in lege. Respondeo. Etiam istud (in lege) explicari posse de moribus, nam & is qui improbè viuit, scandalizat suum proximum in lege Christiana. Quòd si omnino referendum sit ad doctrinam, respondeo sacerdotes illos scandalizasse suum proximum in lege, hoc est, doctrina priuata, non in illa iudiciaria & vt sic vocem, definitiua, concecedimus autem & hunc, & illum, & istum &c. posse suum proximum scandalizare in doctrina, non posse autem quando omnes simul, tanquã supremi Iudices conueniunt: Et sic responsum ad obiectiones Domini Doctoris Hailbronneri.

Ad Hunnium quod attinet, instat ille contra solutionem heri & hodie datam de Caipha, & probare vult, illum fuisse Ordinarium & verum Pontificem, & probat ex cap. 11. Ioan. quod adhuc habuerit infallibilem assistentiam spiritus sancti. Respondeo hoc non sequitur, quia licet tanquam Pontifici legitimo initio suæ functionis, aut etiam progressu aliquo temporis data fuerit illa assistentia spiritus sancti in definiendo, postea tamẽ iustissimè ab illo ablata est, licet in honorem Christi Domini, quem iniustissimè condemnabat, Deus voluerit, vt gratiam prophetizandi, adhuc retineret quoad istud caput, & hoc propterea, quia erat Pontifex anni illius.

Quod ad locum Matth. 23. vbi Dominus mandat vt audiantur scribæ & Pharisæi sedentes in cathedra Moysis, ex quo sequi videtur, etiam Caipham, adhuc retinuisse assistentiam S. spiritus, tamen hoc non sequitur. Quantulumcunq; enim temporis intercesserit, merebatur illud improbum consilium, vt S. spiritus inde recederet, eò quod directè in perniciem Saluatoris nostri esset institutum, nunquam enim sceleratius consilium coactum fuit, quàm quod in caput nostri saluatoris coactum est. Et sic satisfactum est obiectioni primæ D. Hunnij. Quod ad vltimum, respondeo affirmatiuè, nam & ipsis concessum non erat, vt Pythones & Ariolos adirent, & visiones ab illis quærerent.

D. IAC. HAILBRON.

Dominus D. videtur priores absurditates, nouis quibusdam accumulare. Et primùm quidem, dum de Aarone Respondet, illum nihil definiuisse circa idololatriã commissam, sed ad eam vi fuisse coactum; deinde ex aliorum sententia



Aaronem non fuisse Pontificem, sed Moysen, absurdum esse vtrumq́; & scripturæ Moysis minimè consentaneum, ex illa ipsa historia luculenter apparet, nam à gente Israëlitica, Aaron tanquam summus sacerdos à Deo constitutus, rogatus erat, vt in diuturna illa Moysis absentia cultum aliquem constitueret, quo diutius carere non possent, ibi Aaron Pontifex, author & suasor fuit illius Idololatriæ, vt apparet ex historia Exod. 32. ibi totum negotium potissimũ Aaroni tribuitur, ideò à fratre arguitur, tu fuisti author illius peccati, &c. constat igitur Aaronem, ea in re maximè peccasse, ideoq; culpa potissimũ in illo hæsit, ad Aaronẽ totũ populũ Moyses remisit. Exodi 24. habetis Aaron & Hur vobiscum, &c.

Ad 2. solutionem, quòd non fuerit Pontifex, Respondeo, esse mirum dictu, nam erat constitutus & ordinatus singulari authoritate, & mandato Summus Pontifex, Exodi 24. & 28.

De Uria responsum fuit, illum non definiisse cultum idololatricum &c. sed potius in facto, quam in doctrina errâsse.

D. HVNGERVS.

Melius est sigillatim hæc examinare, quàm coniunctim; Petimus procedi in negotio, hæc enim nihil faciunt ad propositum.

D. IAC. HAILBRONNER.

Omninò pertinent ad propositum, & nos eodem iure frui volumus, quo vos.

D. GRETSERVS.

Puto nunquam finem fore, si Domini minutissima quæquè impugnent, sua non probent, & sui muneris obliuiscantur. Diximus quidem Aaronem fuisse Pontificem, sed non summum, verùm comparatione sui fratris Moysis. Etiamsi ergò peccasset Aaron, non sequeretur tamen vt Pontificem peccasse.

D. IAC. HAILBRONNER.

An Aaron fuerit aliquando summus vel supremus Pontifex quæro.

D. GRETSERVS.

Respondeo in suo genere, summus fuit propter reliquos sacerdotes, non autem fratris respectu, qui fuit superior.

D. IAC. HAILBRONNER.

Quæro an fuerit supremus.

D. GRETSERVS.

Supremus in suo genere, id est respectu subditorum; sed non fuit summus simpliciter & absolutè, respectu fratris, & illo viuente; quia Moyses

Moyses fuit superior, & ordinauit Aaronem. Scio dominos negaturos, Moysem fuisse sacerdotem, sed intereà non erit finis, si progrediamur in huiusmodi quæstionibus.

D. IAC. HAILB.

Constat ex Exodo 28. & omnibus libris Mosaicis, vbi constituitur sacerdotium, Aaronem fuisse constitutum summum sacerdotem.

D. GRETSERVS.

Nego fuisse summum simpliciter, licet postea fuerit summus in suo genere, cum Moyses etiam fuerit politicus, & simul Ecclesiasticus Sacerdos vel Pontifex.

IAC. HAILBRONNER.

Exodi 28. legimus, summum sacerdotium Aaroni fuisse commendatum.

D. GRETSERVS.

Suo modo & in suo genere, quia alter fuit etiam Dux politicus, Aaron non fuit superior Moyse, quia Moyses habuit ante Aaronem sacerdotium, ideò respectu summi sacerdotij, nihil fuit peccatum simpliciter, quia Moyses non peccauit.

D. HVNNIVS.

Nos quæstionem hanc expediemus ex Epistola ad Hebræos, illa disertam facit mentionem supremi Pontificis, & nominat notanter Aaronem ipsum, sic & Christus non semetipsum clarificauit, Hebr. cap. 7. vbi distinguit inter sacerdotium Aaronis & sacerdotium Melchisedech. Proinde omnes sacerdotes reliqui, dicti sunt non Moysis sed Aaronis successores, nam Moyses prophetica authoritate, fuit superior Aarone, Pontificatu verò Aaron superior.

D. GRETSERVS.

Ibi non fit mentio ordinis Moysis, quia non habuit successores in sacerdotio, sed in politicis, & quia non habuit distinctum sacerdotium, quòd autem Moyses sacerdos Domini fuerit, patet ex dicto Psal. 99. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius.

D. HVNNIVS.

Sacerdotium ibi generaliter sumitur, sicut nos omnes Christiani sumus sacerdotes. Apocalyps. 1. ostendat dominus D. quòd Epistola ad Hebræos constituat Moysen Pontificem.

D. GRETSERVS.

Epistola ideò non nominauit Moysem, quia Moyses non habuit successorem in sacerdotio, sed in politico officio, & quamuis aliæ possint esse rationes.

D. HVNNIVS.

Vter sacrificauit? vter exercuit cultum ad tabernaculum Domini? Moyses ne an Aaron?

D. GRETSERVS.

Moyses exercuit potestatem summam, quando ordinauit Aaronem, vt patet Exodi.cap.29.

D. HVNNIVS.

Non loquimur de summa potestate, sed de exercitio cultuum.

D. GRETSERVS.

Moyses actiones competentes summo sacerdoti exercuit quæ erant sacerdotum propriæ: plus autem est ordinare, quàm sacrificare.

D. HVNNIVS.

Tanquã Propheta Domini, non tanquam summus Pontifex ordinauit.

D. GRETSERVS.

Negat.

D. HVNNIVS.

Quæro vter exercuit cultum in tabernaculo Domini?

D. GRETSER.

Licet non ordinariè sacrificauerit Moyses, potuisset tamen, non ergo inde sequitur, non ingressus est cum vestib. & ordine in tabernaculũ Domini; Ergo non fuit summus Pontifex, Exod.28.

D. HVNGERVS.

Moyses ordinauit Aaronem, ergo ipso fuit superior, quare autem potissimũ Aaronis sacerdotium vocetur istud ministerium, multæ possunt adduci rationes, nec puto vnquam fuisse in dubium vocatum, quòd Moyses fuerit summus Pontifex.

D. GRETSERVS.

Quod Moyses quoq; sacrificârit, apertè patet ex cap. 29. Exodi. Vbi Moysi à Deo præcipitur. Applicabis & vitulum, &c. & mactabis eũ in conspectu Dei. & infrà: & offeres incensum super altare, &c. & rursus. & offere totũ arietem in incensum super altare, &c. Itaq; hoc Dei præceptum ipse Moyses opere vtique executus est, sicut patet postea Leuit. 8. vt nullum omninò dubiũ esse possit, quin Moyses sacrificârit.

D. HVNNIVS.

Distinguendus est actus ordinationis Aaronis à ministerio, actum illum subsecuto. Quod ad actum ordinationis attinet, Moyses tanquam propheta Domini sacrificauit, non tanquam sacerdos, sicut & Elias 1. Reg. 18.

Iam

Iam cum Aaron fuerat ordinatus, & actus ille absolutus, quaeritur quis subsequentib⁹ festis sacrificauerit? Respondeo, nō Moyses, sed Aaron. Epistola ad Heb. instituit collationem, inter Christum & summū Pontificem veteris testamenti. Quaritur num collatio inter Christum, noui testamenti Pontificem, & inter alium testamenti veteris Pontificem gregarium fuerit instituta, aut potius inter Christum & summū sacerdotem? Respond. Illam collationē inter Christum summū noui testamensi Pontificem, & Aaronē summū veteris testamēti Pontificē.

D. GRETSERVS.

Cum successione summus intelligitur Aaron veteris testamenti Pontifex, qui erat summus & ordinarius, & ratione successionis, huius sacerdotium erat notissimum & respectu subditorum celeberrimum.

D. HVNNIVS.

Vbi assertio illa (ratione successionis) scripta est?

D. GRETSERVS.

Ego diuersum probari cupio.

D. HVNNIVS.

Tu debes probare, quia affirmanti incumbit probatio. Epistola ad Hebraos, iudicat inter me & te, vbi tua assertio extat in scriptura? mea scripta est in Epistola ad Hebraos.

D GRETSERVS.

Nos adhibemus commodam responsionem.

D. HVNGERVS.

Si quis affert locum siue in Theologia, siue in Philosophia, debet probare, quapropter vobis incumbit vt reprobetis responsionem datam. si mala est, impugnetur vel authoritate, vel ratione, vel alio modo. Res ista est ponderanda suis momentis & rationibus.

D. HVNNIVS.

Ego meam sententiam probaui, non ex vno dicto, sed ex aliquibus capitibus, quod summus Pontificatus Aaroni, non Moysi assignatus fuerit. Illa Epistola nullam facit mentionem alicuius Pontificatus, quem sustinuerit Moyses sed Aaron, distinguit inter Christum & Aaronem: probandum est quòd tu dicis, fuisse summum sacerdotem tantùm ratione successionis.

D. HVNGERVS.

Omnes scimus, sacerdotium Veteris testamenti, vocari Aaronicū, sed cum quæstio esset, cur Paulus faciat potissimum mentionem sacerdotij Aaronis, & non Mosis, dedit tibi Reuerendus pater responsum,

istud erat ordinarium & cum successione, & licet iam non occurrant rationes; tamen non dubitatur, quin habeantur apud sanctos Patres, si quis oppugnet falsam esse hanc interpretationem, probet contrarium.

D. HVNNIVS.

Ea verò certè nulla ratione consistere possunt. Quaesitum fuit, cur Epistola ad Hebraeos distinguat, inter Sacerdotium Melchisedeci & Pontificatum Aaronis, & non faciat mentionem Moysis? Respondit D. Doctor, quia Moysis sacerdotium non fuit ordinarium: Aaronis verò ordinarium fuit. Hac responsione iugulat & refutat suum Collegam.

D. HVNGERVS.

Epistola ad Heb. potissimùm facit mentionem Sacerdotij Aaronici, quia primò erat notissimum sacerdotium; secundò erat ordinarium; tertiò erat cum successione coniunctum, peto obseruari congruum disputandi modum, scilicet resumendo argumenta, respondendo ad singulas propositiones, vel negando, vel affirmando, vel distinguendo, & quidem ordine, ac in forma dialectica.

D. HVNNIVS.

Nos suo loco probamus & laudamus Dialecticam, & Logicas praeceptiones, & vsurpamus illas, quantum satis est ad rerum explicationem, iam ad rem, ad omnia illa propria & notas Respondeo. Ad primum, accepto vtiliter & pronuntio ex sacra scriptura, quòd Aaronis Pontificatus fuerit notissimus, Moysis verò non; secundò assignatione secundae notae iugulatur argumentum collegae tui; quando de summo Pontificatu in veteri testamento agitur, non agitur de extraordinario, sed de ordinario, & in eo ordinario sacerdotio, ipsimet fatemini, fuisse non Moysen, sed Aaronem, sequetur ergo quòd Aaron ex institutione fuerit summus Pontifex Ordinarius, & Moyses extra ordinem sacerdos. Tertiò patet, quòd duo diuersa summa sacerdotia constituatis, vnum cum successione, alterum sine successione, cum tamen de vno tantùm constet.

D. GRETSERVS.

Duos sacerdotes, & vnum sacerdotium constituimus.

D. HVNNIVS.

Quare ergò D. Procancellarius distinxit secundum has notas?

D. GRETSERVS.

Successio & non successio est differentia accidentalis, dicimus enim illud sacerdotium, fuisse extraordinarium ratione successionis, non ratione officij. Et D. Procancellarij dictum, de extraordinario sacerdotio ita intelligendum est, si tamen ita dixit.

D. HVNGERVS.

Non sequitur, suffraganeus exercet officium Episcopi, ergò ratione illius exercitij suffraganeus est ordinarius, & Episcopus nõ est ordinari⁹.

D. HVNNIVS.

Ergo ne præferenda est accidentalis differentia essentiali?

D. I. HAILBRONNER.

Domini conati sunt Aaronem excusare, quòd non sponte errarit, sed coactus, cum autem ex textu sint erroris conuicti, monstratum enim est ex textu, Aaronem fuisse auctorem, & suasorem Idololatriæ, ad quod nihil est responsum, alia quæsita est latebra, contrarium est à nobis demonstratum ex veteri & nouo testamento, præsertim ex Epistola ad Hebr.

D. GRETSERVS.

Dedi duas solutiones, illas committam auditorum iudicio; dixi, etiamsi Aaron, mente incidisset in Idololatriam, tamen non propterea summus Pontificatus defecisset, quia Moyses fuit superior, Psalmo 99. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius. Secundò: quia ab aliquibus negatur Aaronem fuisse summũ Sacerdotem. Ego verò pro mea sententia dixi, quòd etiamsi fuerit summus Sacerdos Aaron, nihil tamen adhuc contra nos inferre possent Domini aduersarij, primò quia Aaron, non adorauit vitulum, sed vi compulsus passus est seu permisit fieri vitulum nè lapidaretur, aut occideretur. Secundò & quidquid exterius fecerit, interius tamen à fide non defecit. Et idcirco non probatur illum eam idololatriam actu perpetrasse; V: G: si quis me cogeret, vt quid facerem contra fidem & religionem meam; interius tamen possem habere fidem. Tertiò nihil definiuit Aaron in illa Idololatria, non dixit, obligo vos ad adorandum vitulum, hoc faciatis, nam pontifices non errant in definiendo è cathedra, vt Pontifices; nostrum autem est in proposito defendere, quòd Pontifices non errent in definiendo, cuius contrarium exemplo Aaronis nunquam potest probari.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Nos prouocamus ad verba textus quæ per se sunt clara & manifesta; quòd auctor Aaron fuerit, & cum definiuerit, prouocamus ad verba textus, quæ sic habẽt, fecitq́; populus quæ jusserat Aaron (nõ permiserat fieri) dixeruntq́; si sunt hi Dij tui Israël, quod cum vidisset Aaron, ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit, cras est solennitas Domini, & hoc dicendo definiuit tanquam Pontifex.

D. GRET-

D. GRETSERVS.

Permisit ædificari, quia non fuit cœmentarius, sicut si aliquis princeps ædificaret templũ hæreticis, itẽ clamauit, id est, permisit clamari.

Vtrinq; prouocatum est ad Iudicium Serenissimorum & Illustrissimorum Principum & totius auditorij.

D. HVNGERVS.

Ista phrasis est communissima, fecit, id est permsit & ne nos indicas, id est ne patiare nos induci.

ILLVSTRISSIMVS PALATINVS.

Quid dixit Moses ad Aaronem? er habe das Volck loß gemacht.

D. GRETSERVS.

Quomodo verò se excusat?

D. HVNNIVS.

Aaron clamauit, cras est solemnitas Domini.

D. GRETSERVS.

Aaron non clamauit, sed multitudo confusa, ideo Aaron non fuit auctor, sed populus.

D. RVNGIVS.

Populus incitauit, instigauit, sed Aaron fuit auctor.

D. TANNER.

Legit verba capitis, & dixit contrarium ex textu colligi, nempè quod populus, non Aaron populo auctor fuerit idololatriæ.

D. HVNNIVS.

Præconis vox non legitur in Hebræo, etsi ita esset, præconi tamen mandauit Aaron, vt clamaret.

D. TANNER.

Aaron non tanquam Iudex, non tanquam summus sacerdos hoc definiuit, nec ex cathedra decreuit, cum ex toto illius capitis contextu pateat, Aaronem insolentia tumultuantis populi compulsum id solummodo permisisse; & esto, quòd ipsemet Aaron ab insolente populo coactus virulum adorasset, minimè tamen sequeretur, eum idipsum definiuisse, sicut etiamsi Pontifex schismaticus fieret, & cultum quendam planè alienum ab omni lege Christiana vsurparet, minimè tamen sequeretur, eum aliquid definire contrarium legi Christianæ, idque multò maximè, si Pontifex, illud vi tantũ quadã populi adactus faceret.

D. HVNNIVS.

Populus compellauit Aaronem, tanquam sacrorum præsidem.

SESSIO

SESSIO TERTIA.

29. 19. Nouembris, Anno 1601. à meridie, hora II.

D. IAC. HAILBRONNER.

PRæmisit votum & preces, vt hoc colloquium, ad nominis Dei gloriam, & Ecclesiæ ædificationem cedat, & deinde dicendo perrexit; Posteaquam sessione antemeridiana contra dogma aduersæ partis, quòd Pontifices veteris testamenti in doctrina & dogmatibus errare non potuerint, vsq; dùm tempore passionis Christi, spiritus sanctus ab ipsis recesserit, exemplis quibusdam ex scriptis veteris & noui testamenti ostendimus, Pontifices illos cum vniuerso synedrio, aliquoties grauiter & horribiliter errasse, animaduertimus in responso aduersæ partis; nouas quasdam absurditates, quas ordine ostendere volebamus, nisi sermo fuisset interruptus, ideoq; quod restat iam paucissimis verbis expediemus, vt vel tandem ad reliqua argumenta, quæ supersunt, pro defensione catholici nostri dogmatis progredi queamus.

D. GRETSERVS.

Non tantùm iam de doctrina, sed & de nomine totius Catholicæ Ecclesiæ agitur. Dicit Dominus nos cõmisisse multas absurditates, cum tamen nullã vnquam obiectionem rectè soluerint Domini, & adhuc appello ad totum consessum, non esse satisfactum nostris solutionibus, quia agitatum est de Aarone, dedimus duas solutiones, ad quas ab aduersario multa dicta, nostra verò doctrina non euersa; nam Moysem fuisse Pontificem, hodiè docuimus. Eadem est doctrina Philonis, Gregorij, Iustini, Augustini. Dicimus ergo, quantumuis Aaron errasset, mansisset tamẽ eadem semper illa infallibilitas, quæ requiritur in Pontifice. Cùm ergò Aduersarij ad istam nostram doctrinam nunquam voluerint admouere solidos arietes, sed tantùm conabantur eludere; postea vrgebant, textum capitis cuiusdam in Exodo, vrgebant etiam illa verba, fecit, ædificauit. Respondeo verba ista in scriptura aliquando significare permissionem; cur permisisti? Exod. 33. neq; ad hoc aliquid responsum, nisi quibusdam responsionibus, quæ nihil ad rem. postea licet Aaron peccasset peccato Idololatriæ, atq; adeò adorasset etiã vitulum, tamẽ nihil definiuit, vt Iudex, vt Pontifex, nihil approbauit. Quando enim Pontifex nihil definit, tunc nõ dicitur errare in suo officio, sicut si etiam hoc tem-

pore aliquis ædificaret hæreticis templa, tamen non sequeretur illum hæresin eorundem approbare, errauit, si errauit, errore personali, non judiciali.

D. IAC. HAILBRONNER.

An obiectiones vestræ, à nobis rectè sint solutæ, nostrum non est judicare, sed judicium committimus principibus, & vniuerso Auditorio. Vnum tantum exemplũ repeto ex multis, ex quo omnes animaduertere possunt, vestras responsiones, à nobis sufficientissimè refutatas, de fermento Pharisæorum & scribarum, cum vos asseueraretis, dictum illud Matth. 6. non de doctrina, sed de moribus esse accipiendum, nos ipsius Euangelistæ verbis ostendimus, de doctrina esse intelligendum. Plura possent afferri, sed cum tædio nolo repetere. Secundò quod attinet ad verba illa de Aarone, facit & voce præconis clamauit, prouocamus ad textũ, qui per se clarus & manifestus est; ex solo enim literali sensu petenda est explicatio. Tertiò quod obijcitur non peccasse illum Aaronem vt Iudicem, nego, & contrarium asseuero, quia in absentia Moysis, vt Iudex fuit constitutus, & vt Iudex fuit à populo rogatus; Ergò vt Iudex errauit.

D. GRETSERVS.

Nihil definiuit Aaron tanquam Iudex populo Israëlitico, quia fecit ex metu; Ergò nihil fecit vt Iudex.

D. IAC. HAILBRONNER.

Immò definiuit vt Iudex, Exod. 24. nam quæstio de nouo cultu instituendo relata est ad illum, & illius responsum expectatum tanquam Iudicis.

D GRETSERVS.

Non vt Iudex, sed metu fecit. Christus explicat fermentum de doctrina, sed de doctrina priuata, & δευτερώσεσι de traditionibus quas habebant contrarias legi diuinæ, quas Christus Pontifex noster sæpius exagitauit, & ab illorum fermento sibi jussit caueri.

D. IAC. HAILBRONNER.

Vrget responsum ad factum Aaronis summi sacerdotis.

D. TANNER.

Non est demonstratum, neq; demonstrabitur vnquam, quod Aaron dixerit vt Iudex, vt Põtifex, hic vitulus est adorandus & colendus Idipsum ergò probetur ex scriptura. Dixit D. Doctor Pontificẽ in facto posse errare, non dico, in facto non posse errare, sed definientem è cathedra, errare non posse affirmo: nunquam enim Pontificem docendo errare, sed faciendo. Iudices priuati sæpè priuatim faciunt, quod non faciunt tanquam Iudices.

D. IAC.

D. IAC. HAILBRONNER.

D. Doctor dicit, summum Pontificem nunquam errasse, quando ex cathedrâ definiuit. Respondeo in nouo testamento Caiphas cum suo synedrio errauit, non tum demùm, quando Christum filium Dei ad mortem condemnauit, sed etiã diu antè, nam aliquoties agitarunt consilia de illo interficiendo. Ioan. 7. & anteà fuerunt obsessi à diabolo, Ioan. 8. Vos ex patre diabolo estis. Probatum ergo est, summum Pontificem aliquando errasse, & id facilè monstrari posset ex textu, Aaronem vitulum illum genti Israëliticæ adorandum proposuisse.

D. TANNER.

Quærebam ego à D. Doctore, aliquem locum ex toto testamento nouo & veteri, in quo significetur, summum Pontificem cum suo concilio aliquando errasse; Exhibet mihi ille locum de Caipha, Ioan. 4 Respondeo. Caipham tunc non fuisse summum Sacerdotem simpliciter, sed Christum; alioquin sequeretur, Caipham fuisse ipso Christo superiorem; hoc nemo dixerit vnquam.

D. I. HAILBRONNER.

D. Doctor repugnat D. Gretsero, qui asserebat spiritum sanctum, tum demum à Caipha recessisse, cum tempus esset vicinum passioni Christi, & eo tempore durabat adhuc sacerdotiũ, nam Christus ipse leprosos remisit ad sacerdotes.

D. TANNER.

Itaq; agnoscit D. Doctor, eam obiectionem nihil valere.

D. IAC. HAILBRONNER.

Mea responsio valet.

D. TANNER.

D. Doctori incumbit probatio, quia ego nego.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Non satis est negare.

D. HVNN.

Probatum est ex loco Matth. 9. quod Christus disertè remiserit leprosos ad Sacerdotes Leuiticos, ergo manifestè declarauit, durare tum temporis sacerdotium illud. Præterea Christus ipse frequentauit sacra Iudæorum, ascendendo Hierosolymam ad festa. Insuper D. Gretserus argumentatus fuit, ex dicto Matth. 23. de Pharisæis & scribis sedentibus in Cathedra Moysis &c. Quia verò ex eo dicto voluit probare assistentiam infallibilem spiritus sancti, in scribis & Pharisæis, cur iam eam reijcitis?

D. TANNER.

Triplex mihi data est instantia, prima ex eo quòd leprosi mittuntur

ad ſacerdotes. Secunda, quia Chriſtus adiuit templum Iudaicum. Tertia, quia Caiphæ ſacerdotium expirauerit, paulò ante paſſionem Chriſti. Reſpondeo nullum locum valere ad hoc probandum, quòd Chriſtus non fuerit tunc ſummus ſacerdos, & maior ipſo, ſummo alioquin ſacerdote Aaronico, cum præſertim tametſi lex antiqua tum non fuerit omninò mortificata, legis tamen Euangelicæ præſcriptis, nihil omninò potuerit præjudicare. Itaq; dico tunc temporis quoad judicandi authoritatem functum fuiſſe ſummo ſacerdotio Chriſtum ipſum, cui poteſtas ſummi alioquin ſacerdotis Aaronici vbiq; ſubijciebatur.

Neq; verò D. Gretſerus contrarium dixit, ſolum enim aſſeruit, poteſtatem cathedræ Moſaicæ non fuiſſe penitus abrogatam vſq; ad mortem Chriſti, quod libenter fateor, ſed cum hoc conſiſtit interim, quòd à me dictum eſt, nempè quòd poteſtas ſumma judiciaria, non fuerit tunc penes ſacerdotem Aaronicum, ſed penes Chriſtum, illo vtique ſuperiorem, atq; adeò hoc exemplo Caiphæ, nullo modo demonſtrari poteſt, quod ſummus ſacerdos Aaronicus etiam retenta ſumma iudiciaria ſua poteſtate in terris, in definitionibus fidei errarit.

D. HVNN.

Diſtinguo inter ſacerdotium noui teſtamenti, & inter durantis adhuc ſacerdotij veteris miniſterium ordinarium, tum enim cum Chriſtus ſeſe in ara crucis obtulit & clamauit, conſummatum eſt, & velum templi ſciſſum, expirauit illud ſacerdotium, & antiquum teſtamentum abrogatum: Matth. 9. luculentiſſimè confirmauit ſacerdotium veteris teſtamenti, dum leproſos remittit ad ſacerdotium.

D. TANNER.

Non eſt dictum, omnem Caiphæ poteſtatem eſſe ſublatam; ſed ſummam poteſtatem fuiſſe penes Chriſtum.

D. HVNN.

Non eſt in quæſtione, an Chriſtus fuerit ſuperior Caipha, ſed quia diſtincta ſunt ſacerdotium Chriſti & ſacerdotium Leuiticum veteris teſtamenti; Ideò dictum eſt ſacerdotium Leuiticum, tam diu debuiſſe durare, donec Chriſtus in cruce obtulit ſe holocauſtum patri, dicendo conſummatum eſt, quo aboleuit vetus teſtamentum. Id teſtatur epiſtola ad Hebr. Miror ergo cum D. Gretſerus, hodie & heri dixerit, vſq; ad tempus appropinquans paſſioni dominica, viguiſſe ſacerdotium Caiphæ, cur tu hoc iam negare auſis.

D. Tan-

D. TANNER.

Tenentur defendere & probare aduersarij, quòd summi Pontifices è Cathedra docentes errârint: De D. Gretsero suprà responsum est.

D. HVNNIVS.

Secundum vestram sententiam ista indiciaria potestas, alligata fuit cathedra Moysis, illa cathedra autem illo tempore adhuc durauit. Matth. 23. Ergò etiam potestas illa indiciaria secundum vestram sententiam seu hypothesin durauerit necesse est.

D. TANNER.

Hoc negatum est, illum summũ habuisse Pontificatũ in terris supra Christum, & idcircò nihil facit ad rem, quòd Caiphas errârit, cum habuerit superiorem judicem, nempè Christum sumum sacerdotem, cui nihil potuit derogari. Caiphas non erat amplius summus Iudex in terris.

D. HVNNIVS.

Vrget priora, & quarit, vtrum Tannerus abstrahat indiciariam illam potestatem à cathedra.

D. TANNER.

Summa iudiciaria potestas erat penes Christum, tuum verò est probare, quòd Caiphas tum temporis non habuerit superiorẽ Iudicẽ.

D. HVNNIVS.

Iterum quaro, an indiciariam illam potestatem abstrahas à Cathedra Moysis, nec ne?

D. TANNER.

Non abstraho, nec dixi omninò fuisse abrogatam illam potestatem ordinariam, sed hoc tantùm negatum est, summam potestatem penes Caipham fuisse præsente Christo.

D. HVNNIVS.

Caiphas erat in Pontificatu tempore passionis dominica, & adhuc sedebat in cathedra, & tamẽ errauit, & tunc nondũ abrogatum erat illud sacerdotium. Et Paulus etiam in concilio Hierosolymitano, Actor. 23. agnouit, adhuc durantem authoritatem & potestatem Anania summi Pontificis.

D. TANNER.

Distinguo, durabat adhuc illud sacerdotium secundum quid, concedo; sed simpliciter, vt ipsius Christi sacerdotio fuerit superius, nego.

D. HVNNIVS.

Omnia hac tendunt ad falsum scopum, vos interim abstrahitis potestatem illam à cathedra.

D. TANNER.

Christus habuit summam potestatem Iudiciariam eo tempore.

D. HVNNIVS.

Quomodo apud tuos homines excusabis, quòd abstrahis iudiciariam illam potestatem à Cathedra, cum publicabitur Protocollum? contrarium à me demonstratum esse puto ex Matth. 23. cap.

D. TANNER.

Minimè sequitur, quòd si à Cathedra Moysis potest abstrahi illa potestas, ergò etiam à tota Ecclesia, quia cathedra est temporalis, Ecclesia verò perpetua.

D. HVNN.

Moysis cathedra non est temporalis, sed æterna.

D. VVELSERVS.

Nihil ad nos cathedra Moysis, non enim sumus Iudæi, sed Christiani.

D. IAC. HAILBRONNER.

Nunc pergamus ad Vriam, cuius error hodiè fuit excusatus, quod nimirum non præceperit, cultum Idololatricum omninò tenendũ. Etsi omninò factus esset Idololatra, tum illum eo tempore excidisse à Pontificia dignitate: Hoc quoquè à sacra scriptura est alienum, nam Vrias egit ea in re, non vt priuatus, sed vt sacerdos. A Rege hoc fuit illi mandatum, tanquam sacerdoti, in cathedra Moysis tum temporis sedenti, vt verum cultum abrogaret, & nouum institueret, sic vt 4. Reg. 16. & 2. paralip. 28. legitur. Itaq; nullo modo Vrias potest excusari, nec dum excidit Pontificia dignitate.

D. GRETSERVS.

Commisit Idololatriam & ædificauit Idololatricum altare, vt sacerdos, nego antecedens, non enim definiendo pronunciauit, illum cultum esse bonum.

D. IAC. HAILBRONNER.

Ego verò dico, fecisse vt sacerdotem, & tunc temporis fuisse sacerdotem, nam in sacra scriptura sacerdos dicitur eo ipso tempore, quo fecit hoc. Legit textum.

D. GRETSERVS.

Is qui erat Sacerdos, fecit, sed vt sacerdos, nego, si Iudex furaretur, non furaretur vt Iudex, sed vt fur, & tamen diceretur Iudex furatus est. Concedo fuisse sacerdotem, sed non errasse vt sacerdotem, nam Pontifices errant, non vt Pontifices, sed vt priuati homines. Ita Marcellinus

dicitur

dicitur sacrificasse Idolis, sed non vt Pontifex, verùm vt peccator.

D. IACOB. HAILBRONNER.

Hæc est mera Logomachia non quæritur, an errârit vt sacerdos, sed an fuerit eo tempore sacerdos.

D. GRETSERVS.

Repetit suum argumentum, & instantiam de Iudice, et addit; incidit in Idololatriam, non vt sacerdos, quamuis fuerit sacerdos.

D. IAC. HAILB.

Nihil ad rem.

D. GRETSERVS.

Errore personali concedo.

D. HVNNIVS.

Disponere in cultu est officium sacerdotale, non personale. Vrias in suo illo facto disposuit in cultu: Ergo Vrias functus est officio sacerdotali, non personali.

D. GRETSERVS.

Distinguo maiorem, dicens, legitimè disponens; at Vrias, disposuit illegitimè.

D. HVNNIVS.

Est petitio Principij.

D. GRETSERVS.

Negat assumptum.

D. HVNNIVS.

Vrias disponens in cultu, sed aberrans in illa dispositione, tum disposuit vt sacerdos, sed vt vitiosus sacerdos.

D. GRETSERVS.

Vitiosus sacerdos, non est sacerdos, sicut Imperator vitio creatus, non est Imperator verus.

D. HVNN.

Aliud est loqui de creatione Imperatoris, aliud de officio sacerdotis legitimè ordinati.

D. GRETSER.

Fecit hoc vt vitiosus sacerdos; Ergò non vt Pontifex.

D. TANNER.

Tantùm hoc est negatum, quòd summus sacerdos in definiendo

do poſsit errare, non negamus, potuiſſe illum errare in moribus, ſed in poteſtate illa iudiciaria, eiuſq; exercitio errare non potuit.

Legit textum 4. Reg. 16.

Oſtendant igitur Domini Doctores, vbi hoc in loco aliquid definiuerit Vrias, vt Pontifex, vt Sacerdos. Nec eſt hæc Logomachia ſed diſtinctio realis.

D. IAC. HAILBRONNER.

Imò ſacrificauit vt ſacerdos.

D. TANNER.

Sacrificium immutare, non eſt aliquid definire, & ſunt diſtincta, aliquod malum facere, & aliquid mali iubere definiendo, ſicut quando Pontifex in Miſſa priuata errat in facto, non tamen definit.

D. HVNNIVS.

Ponderemus textum. Principio dictum eſt à D. Doctore quòd Vrias errârit, ſed non in Doctrina, verùm in moribus. At certiſſimum eſt, in ipſo cultu eum erraſſe, deſtruendo altare Domini, & nouum ædificando; deinde notandum, quòd hæc actio non fuerit priuata, ſed publica, facta in templo Domini, quia publicè iuſſit abrogari altare Domini, & aliud Idololatricum extrui: Non eſt igitur opus, vt miſſam priuatam Pontificis cum facto Vriæ conferatis. 3. Achaz mandat Vriæ, non vt Vriæ, ſed vt Sacerdoti, vt diſponeret circa cultum. Quòd autem non determinauerit ad populum, illum cultum non eſſe laudabilem. Reſpondeo illud factum ceſſit toti populo in offendiculum, qui conueniebat, vt hoſtias immolaret in altari Domini, quò cum veniſſent, deprehendunt altare illud remotum, cum tamen juſſi fuerint in hoc, non in alio altari immolare. Itaq; iſtud factum fuit quaſi definitio cultus.

D. TANNER.

Dixeram ego, quòd Vrias nihil definiuerit, vt ſacerdos Iudicaria poteſtate, palàm omnibus credendum. Reſponſum eſt quòd errauerit, non tamen vt Vrias, ſed vt ſacerdos in cultu publico, quem ſuſceperit, ex mandato Regis; Ergo errauit in definiendo. Conceſſo Antecedente, nego conſequentiam. Probetur.

D. HVNNIVS.

Hiſtoria teſtatur euidenter, quòd prius in altari Domini fuerint oblatæ victimæ, iuxta præſcriptum Domini, iam verò cum Vrias deſtruit altare Domini, & diſponit, poſt hac non amplius offerendas eſſe victimas illas ſuper altari,

de quo

de quo præcepit Dominus, sed in recens introducto Altari, hoc est, definire, docere populum ex cathedra, & errare in cultu.

D. TANNER.

Distinguo illud docere, dupliciter potest aliquis docere. 1. Simplici suasione, ita possem aliquem docere, vt eat ad illum & illum pagum, quod tamen esset malum, ita posset princeps iubere alicui, vt hoc vel hoc faceret, quod tamen non esset definire vel determinare: aliud est docere, cum definitione, & sic definiendo, nunquam determinauit vel definiuit aliquid Vrias.

D. HVNNIVS.

Quòd Vrias populum docuerit, non tantùm per inductionem & suasionem, sed etiam viua voce definiendo, inde colligitur, nam cum sacrificia offerret in nouo altari, & quærerent Israëlitæ, cur non in altari Domini, quod Salomon ædificauerat, offerret: Certè respondendum illi fuit, & ita respondendo & rationes noui cultus adducendo, definiuit aliquid circa cultum Israëlitis obseruandũ, tametsi malè definiuerit.

D. TANNER.

Audio quidem coniecturas tuas, sed id non euincitur ex textu, quia quotidie fit, vt aliquis inducatur in errorem per fauorem populi, Principis, &c. non tamen euincitur talem definiendo errare.

D. HVNNIVS.

Ipsa ratio hoc euincit.

D. VVELSER.

Hodiè dictum, rationem esse cæcam.

D. TANNER.

Si quid Regi placet, facilè alter inducitur.

D. HVNNIVS.

Ergò omnes Israëlitas putas fuisse mutos circa hanc quæstionem, & non petijsse rationem instituti noui cultus?

D. TANNER.

Non est necesse populum fuisse mutum. Legant auditores textum, & si quid inde colligere poterunt, quòd Vrias definierit, credam.

D. IAC. HAILBRONN.

In responso de Vria sacerdote, dictum fuit, si omnino Vrias factus sit

Idololatra, non factum esse vt sacerdotem, sed vt Vriã, eo modo quo vestri doceant Pontificem si in hæresin incidat, ipso facto desinere esse Pontificem. Hæc videtur esse implicatio contradictionis. Omnes enim neruos intenditis, vt probetis Pontifices vestros errare non posse. Interim ponitis propositiones contrarias, Pontificem posse incidere in hæreses.

D. GRETSERVS.

Distinguo Pontificem non posse errare, errore iudiciario, definiendo ex cathedra; sed errore personali, & priuato errare posse, fatemur; aliud enim est error priuatus, aliud publicus, quapropter nulla est implicatio contradictionis.

D. IAC. HAILBRONN.

Quis dicet populo Christiano, an Pontifex ex cathedra definiat vt Pontifex, an vt priuatus?

D. GRETSERVS.

Quando aliquid pronunciat & definit ex cathedra sub anathemate, tunc pronunciat vt Pontifex, & non errat, & cum per bullam obligat totam Ecclesiam, tunc itidem certum est illum pronunciare vt Pontificem.

D. IAC. HAILBRON.

Non audio solutionem veram, sed responsionem à vobis peto ad priorem quæstionem.

D. GRETSERVS.

Additur signum, qui non obsequitur, anathema sit: ex quo dignoscitur pronunciasse illum, vt Pontificem.

D. IAC. HAILBRON.

Vnde scitis Pontificem vestrum non posse errare? Cum sit omnis homo mendax.

D. GRETSERVS

Hæc planè erit aliena materia: & Mattheus, Paulus, Maria, Christus, Ioannes, etiam sunt homines; ergone propterea sunt mendaces? non valet.

D. HVNGERVS.

Vestræ Dominationes debent probare suum Iudicem, & non interrogare, cum nostrum oppugnent ante tempus.

D. HVNNIVS.

Vos fingitis talem Papam, qui publicè aliud decernat, aliud sentiat; quid

quid judicandum de eo, qui aliud sentit corde, aliud publicè decernit etiam in politicis?

D. GRETSERVS.

In corde illum esse priuatim malum ratione personæ, bonum ratione officij.

D. HVNN.

Non quæritur de vitijs in moribus, sed de doctrina. Est ne Pontifex Romanus duplex homo seu persona? Roman. 10. legimus, corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Si ergò hoc in quouis Christiano est necessarium, vt cor & confessio consentiant, multò magis in Papa, qui alios docere debet, cor enim debet esse cum ore coniunctum, aliàs esset hypocrita pessimus. Sed omnia committimus Auditorum iudicio.

D. GRETSERVS.

Petit procedi ad probationem thesis.

D. IAC. HAILBRONNER.

Aliud argumentum. Inductione exemplorum probari poterit, omnes pios & principes, & sacerdotes, verbum Dei scriptum pro vnica norma agnouisse, eosq; hoc nomine laudari à Deo, quòd secundum vnicam hanc normam scripti verbi, religionis cultum instituissent. Exempla multa extant passim in scriptis veteris testamenti. 1. est Dauidis 1. Paralip. cap. 16. vers. 40. præcipit Dauid sacerdotibus vt offerant holocaustomata, iuxta omnia, quæ in lege Domini scripta sunt, Iosaphat Rex optimus & pientissimus, visitatoribus à se constitutis, sacerdotibus, & politicis consiliarijs, nullam aliam dedit instructionem, nullam aliam normam exhibuit, vnde erudirent populum, præter librum Legis Domini. Quod tantopere placuit Domino, vt id publicè commendaretur, 2. Paralip. cap. 17. vers. 9. & 10, Ezechias Rex, 2. Paralip. c. 30. vers. 5. ad paschatis celebrationem, secundum normam & regulam scriptæ legis, vniuersum populum vocat.

Idem Rex laudatur 2. Paralip. 31. vers. 2. quòd constituerit sacerdotium & sacrificia quotidiana. &c. sicut scriptum est in lege Domini; hoc enim egit optimus & sapientissimus Rex, vt omnis Religio ac cultus secundum vnicam normã ac regulã sacræ scripturæ instituãtur, quo nomine laudatur in illo capite, vers. 20. & 21. quod fecerit bonũ & rectum, & verũ coram Domino, in vniuersa cultura ministerij domus Domini, iuxta legem & ceremonias. Item Rex ex præscripto Legis, Deut. 12. excelsa & altaria in honorem Dei, bona etiã intentione extructa, destruxit, & coram vno altari adorari, & sacrificia offerri iussit, qui serpentẽ quoq; æneum propter abusum destruere ausus fuit, idq; totũ ex præscripto legis. Iosias Rex maiore in modũ laudatur, quòd sacrã scripturã pro vni-

ea norma, regula, & mensura cultus & religionis agnouerit. Agnoscit enim, 2. Paralip. 14. vers. 21. 2. Reg. 22. vers. 13. sibi & vniuerso regno, atroces imminere pœnas, eò quòd nō custodierint patres verba Domini, vt facerent omnia quæ scripta sunt in volumine Legis Domini. Is ipse Rex vniuersis maioribus Hierosolymis, in domo Domini congregatis, legit omnia verba voluminis, & stans in tribunali percussit fœdus coram Domino, vt faceret quæ scripta sunt in volumine legis Dei. Idem Rex secundum legem scriptam reformat Ecclesias, 2. Reg. 23. Phase celebrat secundum scripta legis, 2. Paralip. 35.

Zorobabel princeps & Nehemias, Iosue sacerdos, & Esdras Legisperitus, post exilium Babilonicum, Religionem & cultum ad vnicam normam sacræ scripturæ instaurant. Esdræ 2. vers. 2.

Esdras Nehemiæ 8. Cathedræ lineæ insistens, legit librum legis coram vniuersa Ecclesia, & ad normam scripta legis festum tabernaculorum celebrat. Plura ex libro Esdræ & Nehemiæ, possent in medium afferri, sed hæc sufficiant.

Quamuis illa exemplorum inductio sufficeret, cum ipsa quoq; inter formas argumentandi, referatur à Dialecticis; tamen vt postulatis, eò magis satisfiat, Syllogisticè sic argumentor. Si omnes exercitiorum religionis constitutiones & reformationes Deo placentes, tempore veteris testamenti instituta, ex solo verbo Dei scripto vel secundum illud fuerunt suscepta, fuit profectò verbum illud scriptum, vnica, totalis, perfectissima & exactissima norma religionis & fidei, at verò omnes reformationes Deo placentes, tempore veteris testamenti susceptæ, ex solo verbo scripto, vel secundum illud fuerunt instituta, nec dissimile exemplum reperiri potest, quod aliqua ex verbo non scripto fuerit suscepta, & Deo placuerit. Ergò illud scriptum verbum, fuit & esse debuit vnica, totalis, exactissima & perfectissima norma religionis & cultuum. Consimili modo rectè fecerunt Electores & principes sacri Imperij, qui secundum vnicam illam normam Ecclesias suas reformârunt.

D. TANNER.

Assumere voluit argumentum.

D. HVNNIVS.

Ait, tu non es nominatus collocutor.

D. TANNER.

Si de nominatione agitur, facile meipsum nominabo; sed quia sic vultis, & sic velle etiā videntur Illustrissimi Principes, acquiesco lubens eorum voluntati.

D. GRETSERVS.

Exempla breuitatis causa prætereo, quorum multa enumerauit aduersa-

aduersarius. Concedo quòd benè fecerunt illi, qui suos cultus secundũ verbum scriptum instituerunt, sed consequentia negatur, & hoc tantũ sequitur, quòd habuerint illam regulam principalem, non tamen vnicam & solam; probetur consequentia.

D. IAC. HAILBRON.

Probatur consequentia, ex hoc, quòd nullum dissimile reperiatur exemplum, & petit sibi dari dissimile exemplum.

D. GRETSERVS.

Illi laudantur quòd instituerint suum cultum secundum verbum scriptum, sed non sequitur, quòd expressum Dei verbum sit norma sola & vnica.

D. IAC. HAILBRON.

Monstretur dissimile exemplum.

D. HVNNIVS.

Nosti rationem argumentandi, in inductione, quando quis argumentatur per inductionem exemplorum, & addit, nec dissimile exemplum reperitur, tunc incumbit neganti probatio, vt per instantiam exempli alicuius inductionis consequentiam infringat.

D. GRETSERVS.

Illi qui suos cultus ita instituerunt, benè fecerunt. Sed nego adhuc consequentiam.

D. HVNNIVS.

Detur dissimile exemplum.

D. GRETSERVS.

Omnes qui hoc fecerunt, placuisse Deo concedo. Sed iste & iste, instituit suum cultum secundum verbum scriptum, ergò verbum scriptum est norma vnica & sola, non est bona consequentia.

D. HVNNIVS.

Quicunq; laudantur ob susceptas reformationes, si prædicantur, suas reformationes juxta verbum scriptum instituiße; Ergo vnicam hanc secuti sunt normam.

D. GRETSERVS.

Vrget probationem consequentiæ.

D. HVNNIVS.

Iudicium committit auditoribus. probatur consequentia quia dissimile exemplum non reperitur.

D. GRETSERVS.

Inductio est optima; Ergò omnes, qui hoc fecerunt, Deo placuerunt, hanc solam concedo consequentiam. Alteram illationem, scilicet quòd solum verbum scriptum sit norma vnica, minimè concedo. sed vbi fuerunt reprobatæ aliæ reformationes?

D. IAC. HAILBRONNER.

Omnes intelligunt ad istud argumentum planè nihil esse responsum.

D. HVNGERVS.

Iste & iste egit secundum scriptum verbum, sed non secundũ solum scriptum verbum, nõ attendendo traditiones, credo, quòd ad multa respexerint. Vbi est expressum, quòd tantum ad scriptum verbũ attenderint? arguméta illa quæ heri & hodiè allata sunt, possũt vna hac solutione solui. Imprimis non constat, quòd illi respexerint ad solum scriptum Dei verbum, non ad traditiones, non ad instituta maiorum. Dauid potuit respicere ad suos maiores, debent itaq; Domini inprimis probare quòd ad solum scriptum verbum respexerint illi Principes.

D. IAC. HAILBRONNER.

Etsi illud aduerbium, solùm, non expressè extat, tamen sententia extat, in singulis illis historijs, quia mentio fit, quod respexerint ad scriptum illud verbũ, & non respexerint etiam ad traditiones maiorum, non ad instituta parentũ, sed & Iosaphat, Ezechias, Iosias, instituta parentum abrogarunt, respicientes ad solã scripturam, non ad traditiones. Incumbit igitur vobis etiã vestram negationem probare.

D. GRETSERVS.

In scripturis non extat, quòd ad solum respexerint verbum scriptum Principes illi; responde ergò ad argumentum D. Hungeri.

D. IAC. HAILBRONNER.

Reges illi abrogarũnt traditiones, & instituta maiorum, & parentum; ergò non respexerunt ad illa.

D. HVNNIVS.

Traditiones non scriptæ quæ cultum spectant, reijciuntur in sacris literis.

D. HVNGERVS.

Omnes isti principes, egerunt secundùm solum scriptum Dei verbũ.

Ergò

Ergò norma est solum scriptum Dei verbum. Respondeo, Antecedens non est scriptum, ergo &c. nego.

D. IAC. HAILB.

Imò scriptum est, detur exemplum dissimile.

D. HVNGERVS.

Potuissent accidere exempla, seu casus in illo tempore, de quibus in scripturis tum extantibus nihil esset scriptum.

D. HVNNIVS.

Si pij Reges & Principes reformationes suas instituerunt, juxta illud scriptum verbum, cui Deus nihil vult quicquam addi, tum secundum illud solum verbum Dei reformatio fuit instituenda, sed Deus prohibuit, huic verbo aliquid addi, ergò sequitur, quod ad hanc vnicam normam respexerint Principes illi. Quòd dicitur potuisse accidere casus, de quibus tum extantibus nihil esset determinatum, id nos disertè negamus. Nec etiam vlla potest oriri hæresis, quæ non iam antè à spiritu sancto præuisa, & in scriptura determinata sit.

D. HVNGERVS.

Nego in scriptura contineri, quòd tantum secundum scriptum Dei verbum fuerit reformatio instituta, non enim est credendum, quod nõ ad aliud attenderint, quàm ad verbum Dei scriptum. Domini sunt hac in parte mirabiles, quòd nolunt ordine procedere, & nostris solutionibus acquiescere, aut illis contenti esse. Constat quòd Reges olim non tantum ad verbum DEI scriptum respexerint, sed etiam secundum illud, interroga patrem & matrem tuam &c. ad alia, ad ductum videlicet rationis naturalis, & ad traditiones maiorum. Item ad judicium sacerdotũ, de quibus Deuter. 17. si quid difficile, &c. Ergò etiam Dauid potuit respicere ad suos maiores. Item potuit moueri quæstio, de qua nõ potuit decisio ex scriptura peti. Heri etiam disputatum est à Dominis, & dictum, quòd nullæ sint traditiones addendæ, non solum quæ dissentaneæ, sed etiam quæ consentaneæ.

D. HVNNIVS.

Notent notarij: Hoc nobis nunquam in mentem venit, de quo solenniter protestamur. Nos dicimus, quod traditiones, quæ sunt præter scripturam, eo quoq; nomine sint contra scripturam, quia Moyses dicit, quod reuelato & scripto Dei verbo, nihil sit addendum. Nolumus igitur traditiones addi in dogmatibus & cultu, & in hoc casu coincidunt præter & contrà.

D. HVNGE-

D. HVNGERVS.

Demonstrandum est, quòd ad nihil aliud, nisi ad scriptum Dei verbum respexerint illi Reges; hoc est absurdissimum omnia reijcere, quæ in scriptura non expresse continentur, aut inde deduci possunt. Et vellē legerent Domini Aduersarij eos qui de additionibus in re Theologica aliquantò diligentius tractarūt, vt Bessarionem, & alios quosdam in concilio Florentino, viderent profectò statim, eos non omnes additiones, sed eas tantùm quæ repugnant scripturæ, reprobare, minimè verò eas, quæ non repugnant. Et ideo ab aduersarijs in illa disputatione hactenus malè responsum est, quòd omnes additiones sint prohibitæ. Constat igitur posse addi ad scripturam id, quod non est contrarium; id tamen propriè non est additio, sed ipsam scripturam magis confirmat & explicat, consulamus lumen rationis.

D. HVNNIVS.

Lumen rationis in spiritualibus est cæcum, assumimus exemplum Græcorum, in concilio Florentino, qui quando repudiarūt particulam illam, quòd nimirum spiritus sanctus, non procedat à filio Dei, quæritur num particula illa, sit ex traditione, an ex manifesta scriptura? Respondeo. Quòd phrasis illa, habeat traditionis nomen, res ipsa verò habetur in sacra scriptura, & doctrina illa determinata est in scripto verbo. Hæc igitur regula constabit contra portas inferorum, quòd nihil sit accipiendū pro dogmate & articulo religionis, nisi quod in sacra scriptura expresse scriptum sit, aut inde bona consequentia deduci possit.

D. HVNGERVS.

Vestrum hoc dogma falsum est, si quid statueretur, quod verbo Dei non esset contrarium, quamuis expresse in illo non esset scriptum; tamē non deberet explodi, nos deducimus, vos deducitis ex scriptura. nemo est tam stultus, qui non possit inde aliquid deducere. Traditiones verò verbo Dei contrarias, non esse admittendas, facilè fatemur.

D. HVNNIVS.

*Dominus Procancellarius existimat, posse aliquam additionem scripturæ * esse contrariam. Respondeo hanc assertionem habere in se contradictionem in adiecto, nā hoc ipso, quòd dogma in sacris scripturis * extat, aut inde bona cōsequentia deduci non potest, eo ipso pugnat cum verbo Dei, quod adijcitur, quoniam verbum Dei prohibet quicquam adijci. Et nos demonstrabimus, si opus est per omnia exempla.*

* non esse

* non extat

D. HVNGERVS.

Negat, nisi valida consequentia ostendatur.

SESSIO

SESSIO QVARTA.

Antemeridiana, 30. 20. Nouembris, Anno M. D C I.

HVIC SESSIONI PRÆSENS FVIT præter Principes Bauaricos & Palatinos Ser.os & Ill.os Ill.us pariter Princeps ac D.D. Georgius Ludouicus Landgrauius Leuchtenbergicus &c.

Preces iterum factæ sunt ad Deum.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

PRogrediemur ad tertiam, Vnica nostra norma in rebus fidei, doctrinæ, cultuum, & controuersiarum confirmationem, quam in forma syllogistica vobis exhibebo. Qui reprehendit & punit eos omnes qui à scripto Dei verbo, quacunq; intentione recedunt, & vel ad dexteram vel ad sinistram deflectunt. is hoc ipso facto perspicuè testatur, scriptum verbum debere esse vnicam normã, ad quam cultus omnis conformari debeat, Deus in veteri testamento reprehendit & puniuit eos omnes, qui à scripto suo verbo quacunq; intentione recesserũt, & vel ad dextram vel ad sinistram deflexerunt; Ergò hoc facto toties iterato, perspicuè testatus est, scriptum verbum esse debere vnicam normam religionis & cultuum. Maior probatione non indiget, vt opinamur. Minor verò exemplorum inductione probabitur. 1. Hieroboam, Rex Israëlitarum, præter & extra scriptum Dei verbum, nouos cultus in Dan & Betel instituit, non sine specioso prætextu, quod domus illa Betel, hoc est domus Domini dicta à Iacobo fuisset consecrata, quodque ibi Deus apparuisset Iacobo, quam ob causam locum illum domum DEI *portamque cœli appellasset Genes. 28.35.*

Quodq; Danitæ olim sacra fecissent in ciuitate Dan. ita vt antiquam Danitarum traditionem pro cultus istius confirmatione allegare potuerint, idq; totum factum est in honorem Dei, qui Danitis victoriam contra ciuitatem Lais, postea Dan dictam largitus fuerat, quiq; Israëlitas ex Ægypto eduxerat. Ideo inquit Hieroboam 1. Reg. 12. vers. 28. Hi sunt Dij tui Iuda, qui te eduxerunt de terra Ægypti, inde apparet non fuisse creditum, vitulos illos reuera fuisse Deos, sed cultum illum in honorem veri Dei fuisse institutum, nihilominus ipsi Deo vehementer displicuit, ita quidam, vt in mentione illius

Regis Hieroboam filij, Nabath, plerunq; grauissima hac reprehensio addatur, quòd peccare fecerit Israel, quod est primum exemplum.

Secundum, Gedeon dux Israelitarum diuinitùs excitatus, Iudic.8.vers. 27. bona intentione ex prada aurea, confecit Ephod, vestem sacerdotalem in honorem Dei, qui victoriam clementer largitus fuerat, id verò cessit Gedeoni, & omni domui eius, in ruinã, eam ob causam, quod nullũ ea de re à Deo accepisset mandatum, & modo ordinario ex præscripto legis diuinæ nullo alio in loco, quàm in tabernaculo fœderis, sacra facere licebat. Tertium, Iudic.17.vers.3, Vbi mater Michæ dicit, se consecrasse argentum Domino Iehoua, vt inde fiat sculptile, atq; conflatile ex singulari quadam, dubio procul deuotione, sed malè & Idololatricè, quia nullum habebat ea de re expressum mandatum diuinum.

Quartum, Saul Rex Israelitarum, 1. Samuel.13. bona intentione, specioso prætextu, extrema insuper necessitate compulsus, vt ipse quidem opinabatur, holocaustum eo fine obtulit, vt placaret Dominum & successum obtineret in prælio, contra Philistinos. Deindè oues quasdam & boues optimos seruauit, ad sacrificium, vt immolarentur Domino in Gilgal. 1. Samuel. 15. nihilominus eam ob causam regia dignitate spoliatur, quòd præcepta diuina non obseruasset, ea fidelitate, qua debuit, adeoq; peccauit, non tàm contra verbũ dictum quàm scriptum, de Amalechitarum extirpatione, Exod.17.

Quintum, Salomoni Regi Deus per Abiam Prophetam minatur, diuulsionem Regni, eò quòd non ambulauerit, in vijs suis, vt faceret iustitiam coram se, & præcepta sua, & iudicia obseruaret, 3. Reg.11. vers.33. si secundum vnicam normam præceptorum diuinorum, adeoq; secundum legem scriptam sibi à patre Dauide, 3. Reg.2. vers.3. diligenter commendatam religionem, cultum & vitam omnem instituisset, longè melius sibi & regno consuluisset.

Sextum. 4. Reg. 17. causa cladis Israelitcæ hac ostenditur, quòd contra legem & eam quidem scriptam nouos instituissent cultus.

Septimum, 2. Paralip. 23. vers.17. Iudæi immolabant in excelsis Domino Deo suo, ipsumq; Deum vocabant Baalim, Ose. 2. vers. 16, eidemq; cultum illum gratum acceptumq; esse opinabantur, nihilominus à Prophetis, fornicationis, adulterij atq; Idololatriæ rei aguntur, quia sine expresso Dei mandato illud esset factum, qui vno tantùm in loco sacrificia offerri iusserat. Deut. 12. nec vllum dissimile exemplum reperiri potest, quòd Deus aliquando reprehenderit aut punierit Israëlitas, eam ob causam, quòd traditiones non scriptas non obseruassent. Probata igitur sufficienterq; confirmata minore propositione, infallibiliter sequitur conclusio, quòd hæc sit perpetua & immota Dei

voluntas

voluntas, vt non nisi secundum expressum suum verbum & mandatum, Religionis exercitia, & cultus omnis conformetur.

D GRETSERVS.

Intelleximus probationes allatas, sed videntur Domini inanem laborem cœpisse, probando minorem, cum maior potius probatione indigeat, negamus itaq; maiorem, ea probetur.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Putabam maiorem non negatum iri, cum illa clara sit, & manifesta, ideò enim reprehenduntur & puniuntur illi, qui absq; expresso Dei verbo, & mandato, cultus instituunt, vt demonstretur Dei voluntatem esse, vt in cultu verbum & mandatum diuinum, perpetuò in conspectu habeamus, vtq; ab illo neq; ad dextram, neq; ad sinistram recedamus, nihil in ijs rebus faciamus, ex propria intentione, aut etiam maiorum nostrorum institutione, sed solum Dei verbum & mandatum Religionis & cultuum nostrorum vnicam normam constituamus, aliàs enim reprehensiones illæ, ac pœnæ diuinæ frustraneæ (non enim dicere licet, iniustæ) fuissent, nisi Deus demonstrare voluisset, quòd non nisi secundum expressum illius mandatum, religionis cultus instituendus sit, ita vt maior adeò illustris sit, vt non possit esse clarior, & vlteriore probatione non indigeat, appello ad Auditorium.

D. GRETSERVS.

Est petitio principij; D. D. redigat hanc propositionem in formam syllogismi, & ostendat, quòd qui à verbo Dei scripto, quocunq; modo recedit, puniendus sit, vt possim appositè respondere.

D. I. HAILBRONNER.

Pœnarum & iræ diuinæ causa fuit recessio à mandatis diuinis, illa causa in allegatis locis præsertim 4. Reg. 17. exprimitur, quia Deus non permisit in lege sua scripta, vt aliquid addatur vel detrahatur.

D. GRETSERVS.

Repetit argumentum; Concedit antecedens secundum explicationem nudius tertius datam, negat consequentiam.

D. IACOB. HAILBRONNER.

Si Deus istis pœnis, non voluisset declarare voluntatem suam esse, vt vnicum suum verbum scriptum esset norma, tum pœnæ illæ fuissent iniustæ, sed non fuerunt iniustæ; ergò vnicum illud verbum scriptum est norma.

D. GRETSERVS.

Reassumit, & negat maiorem.

D. IAC. HAILBRONN.

Non video causam negationis.

D. HVNNIVS.

Si quicunq; reprehensi sunt, in ratione cultus, ideò sunt reprehensi, quia præter verbum Dei scriptum traditiones non scriptas secuti sunt, & nouos cultus instituerunt, etsi vicissim nemo vnquam reprehensus est, qui neglectis traditionibus non scriptis, secundum solum verbum scriptum tanquam vnicam normã, Religionem & cultũ conformarunt, sequitur omninò, solùm illud verbum scriptum esse normam fidei, cultuum & Religionis, at prius est verum, ergò & posterius.

D. GRETSERVS.

Cupio prius D.D. Iacobum probare suam maiorem.

D. HVNNIVS.

Syllogismus meus dirigitur ad probationem thematis principalis.

D. IAC. HAILBRONNER.

Pœnæ istæ fuerunt ꝓpter transgressionẽ susceptæ, transgressio respicit ad aliquod mandatum, ergo in hoc negotio, pœna transgreßionis respicit mandatum diuinum.

D. IACOBVS GRETSERVS.

Concedit maiorem, minorem & conclusionem, negat illationem, siue sequelam primi syllogismi, à D. Hailbronnero allati.

D. TANNER.

Non est vlla controuersia, quin ille qui transgreditur Dei legem, peccet, sed quæstio est, an lex sola, norma sit controuersiarum. Ista est propositio initio prolata, hactenus nunquam probata; Qui reprehendit & punit eos omnes, qui à scripto DEI verbo quacunq; intentione recedunt, is hoc ipso facto perspicuè testatur, scriptum verbum debere esse vnicam normam controuersiarum Religionis. Certum enim est, quòd pœnæ obnoxius sit, quisquis vel vnicum præceptum transgreditur, ex quo tamen minimè licet colligere, vnicum eiusmodi præceptum diuinum esse vnicam normam & Regulam omnium controuersiarum, quæ circa fidem aut mores oriri possunt. V. G. affero vnicum præceptum in Decalogo, de honorandis parentibus, posset enim aliquis sic argumentari; qui punit transgressorẽ quarti præcepti de honorandis parentibus perspicuè ostendit, illud præceptum esse normam omniũ contrchoouer-

trouerſiarum, quæ poſſunt oriri; nonnè hæc res eſt clariſſima, quod talis malè argumentetur?

D. I. HAILBRONN.

Non agitur hic in ſpecie, de hoc vel illo præcepto Decalogi, ſcimus non ita poſſe concludi. De cultu iam agitur, & de dogmatibus religionis Chriſtianæ, non de præceptis ad proximum pertinentibus, ſed quomodo Deus coli debeat, ibi habemus generalia præcepta, quod nimirum id tantum Domino Deo noſtro debemus facere, quod ille mandauit, ideo in cultu verbum Dei ſcriptum debet eſſe norma, ſicut in quarto præcepto reſpectu parentum, & eorum qui parentum nomine veniunt, præceptum illud debet eſſe vnica norma actionum. DEI mens & voluntas ſemper fuit, vt verbum eius expreſſum in manibus habeamus.

D. HVNNIVS.

Ad ſolidam reſponſionem D. Collegæ hoc addo: Inſtantiam D. Doctoris, qua conatur infringere argumentum hoc, dico eſſe ἀπροσδιόνυσον *prorſus ac nihil quicquã ad rem præſentem facere. Nos in noſtro argumento & ſyllogiſmo agimus, de huiuſmodi præcepto diuino & verbo ſcripto, cui nulla poteſt vel debet fieri additio. In tuo argumento producitur præceptum vnum, ſed cui reliqua quoq; nouem præcepta Decalogi addi potuerunt, & debuerunt, cum igitur manifeſta differentia ſe offerat inter vtrumq;, conſtat, quod ea inſtantia, nihil prorſus faciat ad rem præſentem, quod noſter Syllogiſmus agat de eo præcepto, quod non admittit additionem, demonſtramus.*

Hic D. Tanner interrupit orationem.

D. HVNNIVS.

Petijt aduerſarium intra cancellos legum cohiberi, aliàs ſe non amplius progreſſurum. Er leſt mich nit zum beweis kommen.

D. TANNER.

Excuſat ſe, proteſtans ab omnibus animaduerſum eſſe, nihil minus à D. Doctore in iſta diſputatione obſeruatum hactenus, quàm formam illam, ad quam ſe in legibus adſtrinxerunt; neq; enim vnquam cogitatum eſt, vt colloquium iſtud ſcriptis potius quàm verbis, & extra omnem normam ſyllogiſticam tranſigatur; qua in re rurſus prouoco, ad normam nobis diſputatoribus propoſitam, & exiſtimo, Sereniſſimos & Illuſtriſſimos Principes, pro inſigni ſua ſapientia, facilè animaduertere,

me non satis æquè in proposito colloquio tanquã violatorem legum traductum esse.

D. HVNNIVS.

Quandoquidem iussi sumus probare maiorem nostram propositionem, ea verò a collega meo probata est, & vicißim ab aduersario instantia producta quarti præcepti, vt probationẽ maioris nostræ infringeret, attestor ego totũ Auditorium, an non vigore præceptionum Dialecticarum respondenda fuerit immensa diuersitas præcepti quarti, cuius meminit Aduersarius, & deinde vniuersalis præcepti diuini, seu verbi scripti. Initio demonstraui, vel potius promisi velle me demonstrare diuersitatis rationem, quòd præcepto 4. alia præcepta decalogi addi potuerint, & debuerint; De præcepto verò diuino vniuersum cultũ concernente, demonstrauimus, ex clarißimis & irrefragabilibus testimonijs spiritus sancti, quòd huic scripto verbo, nihil quicquam, quod dogmatis aut cultus rationem habeat, addi poßit aut debeat.

D. TANNER.

Si ad propositum responderetis, non interturbarem: sed nunc ad demonstrationem progredere.

D. HVNNIVS.

Ergò ad demonstrationem progrediar. Deuter. 4. dicit Dominus, non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis: Deuter. 5. Custodite igitur, & facite, quæ præcepit Dominus *Deus vobis; non declinabitis neq; ad dexteram, neq; ad sinistram. Deuter. 12. quicquid præcipio tibi, hoc tantùm facias Domino, nec addes quicquam, nec minues. Ex his productis spiritus sancti testimonijs, liquet adverbum, & præceptum Domini Moysi traditum. iussu Domini à Moyse totum & vniuersum conscriptum, Exodi 24. & 34. nihil quicquam, quod dogmatis aut cultus rationem haberet, superaddi potuisse, præsertim quòd exclusiua particula tantùm liquidißimè secludat, in cultu & dogmatibus vniuersa ea, quæ in hoc præcepto ex verbo Domini per Moysen scripto non reperiuntur. Ita confirmatum est non modò instantiam Aduersarij, esse prorsus non ad rem, sed simul constabilita est propositio maior syllogismi nostri principalis, & existimo in hac demonstratione, nihil quicquam sophisticè à me dictum ac prolatum esse, siquidem ea nititur inconcussis & immotis spiritus sancti testimonijs.*

D. TANNER.

Clarissimi D. Doctoris intentum fuit, aut esse debuit, vt scilicet probaret veram & firmam esse propositionem illam; Qui recedentes à lege scripta punit, perspicuè ostendit legem scriptam esse vnicam normam, & Iudicem omniũ controuersiarum Religionis, ad quam propositionem

ſitionem probandam, vſus eſt hoc argumento, quod repetiuit.

D. HVNN.

Conſtat nihil quicquam addi potuiſſe ad ſcriptum Dei verbum; Legitur enim Exod. 24. & 34. quòd Moyſes vniuerſum ſermonem Domini in literas retulerit. Itaq; conſtat illud noſtrum argumentum ſtare contra portas inferorum, in teſtimonio Moyſis Deuter. 12. notetur excluſiua particula, tantùm.

D. TANNER.

Rectè dixeram nihil facere illa duo loca Deuter. 4. & cap. 12. allata, ad probandam illam propoſitionem primi ſyllogiſmi principalis, qui punit eos omnes, qui recedunt à ſcripto DEI verbo, quacunq; intentione, & vel ad dextram vel ad ſiniſtram declinant; hoc ipſo facto perſpicuè teſtatur, verbum Dei ſcriptum eſſe vnicam normam omnium cõtrouerſiarum Religionis, quo poſito, hoc neceſſariò ſecundum formam dialecticam inferri debet. Deuter. 4. præcipitur, ne quicquam addatur aut detrahatur de ſcripto Dei verbo, & Deuter. 12. quod tibi præcipio, hoc tantùm facito Dòmino DEO tuo; Ergò qui reprehendit & punit omnes eos, qui quacunque ratione à ſcripto DEI verbo recedunt, perſpicuè oſtendit, ſcriptum Dei verbum eſſe vnicam normam omnium controuerſiarum religionis; Ad quam argumentationem negatur conſequentia; quam quidem intelligunt omnes eſſe prorſus inanẽ.

Quòd autem vrget illa loca ſacræ ſcripturæ, quibus dicitur vt nequicquã addatur, vel minuatur, vel detrahatur de verbo Dei ſcripto, id quidẽ eſt argumentũ aliquod ſeperatim, ex quo aduerſarij alioquin conantur illã ſuam concluſionem inferre, quod verbum Dei ſcriptũ ſit vnica norma controuerſiarum; ad quod iam ſuperioribus diebus à clariſſimis noſtræ partis collocutoribus reſponſum eſt; ſed ad probationem illius maioris propoſitionis, nihil prorſus facit. Itaq; rurſus peto, vt probetur illa prima propoſitio initio huius diſputationis allata, ſemper negata, nunquam probata. Quòd verò Clariſſimi Domini Doctores, exemplum illud meum de præcepto illo quarto Decalogi, ad infirmandam & prorſus eneruandam propoſitionem illam ſæpiùs nominatam allatum, redarguere cupiunt, hac duplici diſparitate allata, primò, quòd exemplum illud quarti præcepti agat de moribus, nos verò diſputemus de regula fidei & dogmatum. Secundò, quòd ſacra ſcriptura illud quoq; priuilegium habeat, quòd ſcilicet ad eam nihil addi aut demi poſſit, ad quartum autem illud præceptũ Decalogi, multa alia præcepta addenda ſint, hoc prorſus ad rem nihil facit, nec vim exempli mei vllo

modo

modo eneruat, ſemper enim clarum manet, malam eſſe illam argumentandi formam. Deus grauiter punit omnes qui recedunt à verbo DEI ſcripto; Ergo Verbum DEI ſcriptum, eſt vnica norma & regula omniũ controuerſiarum fidei; quemadmodum rurſus id apertè patet, in ſimili conſequentia, licet in diuerſa materia, ex illo exemplo quarti præcepti decalogi. Et verò meram eſſe tergiuerſationem, propoſiti mei argumenti, id quod à clariſſimo D. Doctore Hailbronnero allatum eſt, nempè quod in eo exemplo de moribus, non de dogmatibus agatur, id clarum efficitur applicando eandem prorſus conſequentiam, ad ſimile argumentum ſeu materiam, etiam de dogmatis, ſeu vt clarius dicam, applicando conſequentiam ad normam, ſeu regulam, in qua aliquod dogma fidei traditur. Clarum enim eſt, ſi eadem illa conſequentia applicetur ad hoc præceptum, V. G. in quo vtiq; dogma aliquod fidei traditur, Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis, &c. ſemper inanem apparere illam conſequentiam: ſi enim dicatur, qui grauiter punit & reprehendit omnes eos, qui quacunq; ratione præceptum ſeu dogma illud violant, ſeu quod idem eſt, ab eo recedunt, is perſpicuè demonſtrat, illud ipſum dogma ſeu præceptum fidei eſſe vnicam normam & regulam omnium controuerſiarum fidei. quis enim non videt, quod tametſi violatores eiuſmodi præcepti puniantur, adhuc tamen minimè ſequatur, alia præcepta ſeu dogmata fidei nulla ſupereſſe, quæ pari neceſſitate & ſub æquali pœna ſint obſeruanda. Quod vſq; adeò clarum exiſtimo, vt nullum exiſtimem, in vniuerſo hoc ornatiſſimo conſeſſu adeſſe, qui rem eiuſmodi, tàm perſpicuam oculis quaſi non cernat.

D. I. HAILBRONN.

Etſi exemplum illud quarti præcepti de obedientia parentibus debita planè eſt ἀπροσδιόνυσον *ad præſens inſtitutum non pertinens, in quo non de parentibus aut liberis, ſeu de religione, cultu & fide agitur, tamen exemplum illud ad præſens inſtitutum, quoad probationem maioris accommodabo; ſicut Deus pœnis tranſgreſſionis quarti præcepti Decalogi euidenter teſtatur, voluntatem ſuam fuiſſe, vt in ijs officijs, quæ parentibus & omnibus illis qui parentũ nomine veniunt, quartum illud præceptum diuinum, pro vnica norma & regula nobis propoſitum habeamus, ita pœnis tranſgreſſionum, ſuorum præceptorum, de non addendo, non detrahendo, nec ad dextram nec ad ſiniſtram declinando, dilucidè & perſpicuè teſtatur, voluntatem ſuam eſſe, vt in ijs rebus quas ipſi* Deo *debemus, hoc eſt in ijs quæ ad religionem & cultum pertinent, præcepta illa pro vnica*

norma & regula habeamus: Sed Deus pœnis transgressionum quarti præcepti testatur, se velle, vt respectu parentum, quartum illud præceptum pro norma & regula habeamus, & ea quidem vnica. Ergo pœnis transgressionum præcepti, Deu. 4. 5. & 12 testatur se velle, vt illud pro vnica norma religionis & cultus habeamus. Nouit D. Doctor, nihil nunc agi de alijs præceptis, quæ ad nostrum erga Deum officium, aut erga proximum pertinent, sed de præceptis fidei & cultuum. Vnde facilè colligitur, planè esse superuacaneum, quod dictum fuit, multa alia esse præcepta, quæ pro norma sint vsurpanda, id nobis omnibus antè notum, in præsenti autem negotio de illis nulla est controuersia.

D. HVNNIVS.

Quandoquidem coniunctim multa proposita sunt, ideo coniunctim infringenda sunt. Præter expectationem nostram petierunt Aduersarij, probari sibi non minorem, sed maiorem syllogismi, eam conatus est, D. Doctor infringere per quarti præcepti instantiam. Ostensum est instantiam eius prorsus esse impertinentem, non tantũ quia quartũ præceptum de moribus agit, nostra verò propositio maior loquitur de verbo Dei scripto, & vniuersali præcepto diuino, & cõplectitur totum systema siue corpus doctrinæ Moysaicæ, cui Dominus nihil vult addi, & ab eo nec ad dextram, nec ad sinistram, quacunq; tandem intentione deflecti; Cum è conuerso, præcepto quarto alia præcepta superaddi posse demonstratum sit. Siquidem quartum illud præceptum non est integrum Systema siue corpus integrum scripturæ Moysaicæ. Eadem est ratio primi præcepti, in vltima responsione à D. Doctore producti, nam id quoq; licet de cultu agat, tamen non complectitur nisi implicitè, vniuersam rationem omnis cultus, omniumq; dogmatũ, quæ Deus populo suo Israël cõmendauit, Dictũ est, per hanc solidissimam & in æternùm inconcussam responsionem validissimè protritam & confutatam esse instantiam D. Doctoris. Iam quòd ad probationem maioris propositionis principalis Syllogismi, producta sunt testimonia Spiritus Sancti, Deut. 4. 5. & 12. existimat D. Doctor, ea testimonia ad confirmationem maioris propositionis non pertinere, si verò maior ipsa in suis verbis attendatur, constabit, illam esse desumptam aliqua sui parte, in vniuersum autem fundatam, in ipsis illis locis Deuteronomij: Sic enim sonat maior propositio; qui reprehendit & punit omnes, &c. Cum ergo D. Doctor, negauerit maiorem propositionem, ostendendum fuit, eam non ex nostro ingenio petitam, sed ex ipsis Deuteronomij locis, iuxta singula membra esse desumptam, vt membratim ostendi potest. Proindè accommodabitur propositio nostra, ad hanc nor-

mam Mosaica scriptura: Qui reprehendit & punit eos omnes, quia scripto Dei verbo recedunt, &c. scriptum Dei verbum, &c. hic terminus, scilicet verbi Dei fundatus est, in ipsis locis Mosaicis, quandoquidem in ijs, non de alio quodam verbo agitur, quam de eo, quod vniuersum iussu Domini, Moyses in literas retulit. Iam (quacunq; intẽtione) hæc quoq; particula disertissimè extat comprehensa, in testimonio scripturæ illius allegatæ Mosaicæ, Dicit enim ibi Dominus, non quod tibi videbitur bonum hoc facies, sed quod ego tibi præcipio, hoc tantùm facito; his verbis irrefragabiliter notatur, reijcitur & damnatur quæuis intentio, siue dicatur bona siue mala, non fundata in scripto verbo Mosaico. Sic igitur terminus ille ita luculenter fundatus est in testimonio Moysis, vt luculentius & illustrius fundari minimè potuerit. Iam 3. membrum etiam (vel ad dextram vel sinistram deflectunt) patet ex ipsa lectione testimoniorum Mosaicorum, non aliundè quàm inde esse desumptum, sic ergo omnia membra προτάσεως demonstrata sunt ex Mosaica scriptura.

Iam quod attinet ἀπόδοσιν, alterum membrum propositionis maioris, quod ita sonat; (is hoc ipso facto perspicuè testatur scriptum verbum debere esse normam, &c.) patet hinc, quia præceptum Dei non nudè considerandum est, sed cum adiuncta tacita interminatione siue comminatione pœnarum infligendarum transgressoribus huius præcepti diuini. Et quod Dominus idipsum, quod nos intendimus, liquidissimè his testimonijs Moyses confirmet & asserat, nimirum, is hoc ipso facto, &c. Id verò etiam tam disertè, tàm luculenter continetur in sermone Moysis, vt ad lucem & perspicuitatem rei, nihil quicquam accedere valeat, non tantum quia palam additur (non addes, neq; detrahes quicquam) sed etiam nihil, vel imprimis propter exclusiuam particulam (tantum) expressissimè adiectam. Quod autem D. Doctor pro sua grandiloquentia, prouocat ad totum Auditorium, hanc nostram responsionem ad rem non pertinere, suam verò esse firmam & stabilẽ, nos optima cũ conscientia ad Iudicem ipsum Christũ Dominũ, ad Angelos in hoc auditorio præsentes, ad totum splendidissimum hunc consessum prouocamus & appellamus. Quodq; dictum est ad testimonia Moysis à nobis allata, superioribus diebus sufficienter esse responsum, negamus manifestè, & dicimus, ad illa in vltimam vsq; sempiternitatem nihil quicquam quod firmitatem habeat, responderi posse.

D. TANNER.

Maluissem quidem, & sanè debuissem secundum normam rectè disputandi, & nobis quidem ipsis propositam singulatim & separatim ad claris-

clarissimi Domini obiectiones, & argumẽta, seu potiùs oblocutiones respondere, & quò minùs hoc fieret, in me sanè aut nostræ partis Theologis, nulla causa fuit. Quod enim dicunt plura simul à me dicta esse, in responsione & refutatione propositorũ initio argumentorum. Id verò ideò solum factum est, quod Domini, cum sua argumenta initio proponerent, separatim singula proponere non volebant, neq; sinebant singula separatim ac seorsim vnum post alterum resumi. Quia tamen ita accidit, vt ad vtriusq; obiectiones mihi iam respondendum sit, id vt faciam, repetam qua possum forma optima, singulorũ argumẽta & obiectiones, ita tamen, vt vbi nulla forma seruata est, ibi nulla à me etiã exigi possit.

Laudo tamen vehementer atq; commendo claris. D. Doct. Hailbronnerum, quòd suam illam argumentationem bona sanè forma proposuerit. Est autem ista; sicut Deus pœnis transgressionis quarti præcepti perspicuè demonstrat, suam esse voluntatem, vt quartum illud præceptum sit norma sola & vnica omnium omnino officiorum, quæ secundum veram pietatem parentibus præstari debeant, ita quoq; Deus puniendo transgressores legis scriptæ, perspicuè demonstrare voluit, legem scriptam esse vnicam normam omnium controuersiarum religionis; sed verum est illud antecedens, nempè quòd Deus puniendo transgressores quarti præcepti significare voluerit, præceptum illud quartum esse vnicam normam omnium officiorum, quæ parentibus exhiberi debeant: Ergò etiam consequens illud, nempè quòd Deus puniendo transgressores legis scriptæ perspicuè demonstrare voluerit, legem scriptam esse vnicam normam omnium controuersiarum religionis. Ad quam argumentationem in forma respondendo, nego maiorẽ. Eius autem negationis eam rationem affero apertam, quòd scilicet omnia officia parentibus exhibenda, præcipiantur & comprehendantur quarto illo præcepto, non autẽ omnes cultus religionis, non omnes articuli fidei conprehendantur lege scripta. Et hæc ad argumentum D. Hailb.

Quod verò ad alterũ attinet, clarissimũ D.D. Hun. is quidẽ multa & varia attulit, quibus nutantem illã suam consequentiã firmaret, sed si res perpendantur, nec in forma, nec in specie quidem eo modo, quo prudentibus demonstratum esse videatur, bonam & veram esse propositionem illam primi illius syllogismi, initio statim huius consessus allati. Sumpsit enim propositionem quidẽ illam, & singulas illius partes probandas suscepit, sed nunquam tamen monstrauit sequelam illius * probationis, quæ ei semper probanda incumbebat, nempè quòd nis.

*propositio-

quòd si DEVS acriter puniuit omnes qui à scripto DEI verbo quacunque intentione recesserunt, scriptum Dei verbum, sit vnica & sola norma omnium controuersiarum, hanc inquam sequelam non monstrauit, nec monstrabit vnquam, licet singulas illas propositiones eiusmodi partes per se, & absolutè sumptas probare conatus fuerit, nempè illam. Primò quòd Deus puniuerit transgressores Legis scriptæ. Secundò quòd puniuerit recedentes quacunq; intentione à lege scripta. Tertiò quòd puniuerit declinantes ad dexteram & sinistram. Has inquam partes quidem illius compositæ & hypotheticæ probauit, sed nihil ad institutum, neq; enim nobis catholicis vnquam in mentem venit, aut veniet vnquam, asserere, quòd impunè liceat scriptum DEI verbum transgredi, nec illud porrò negamus, accuratissimè ab omnibus obseruandum esse, illius quoq; transgressores pro meritis tùm à DEO, tùm ab hominibus puniri posse; Sed id solum est, quod catholici negamus, omnes omninò transgressiones in cultu religionis ideo esse illicitas, quòd videlicet sint contra aliquam legem, quæ expresse & perspicuè in scripto DEI verbo contineatur. Illud deinceps negamus, omnia omnino quæ ad cultum religionis, seu doctrinam fidei spectant, expresse in sacra scriptura contineri. Itaq; ratum & firmum manet illud, malam esse consequentiam illam; DEVS puniuit, & punit acriter, illos, qui quacunq; ratione à scripto Dei verbo recedunt; Ergo scriptum Dei verbum, est vnica & sola norma omnium controuersiarum fidei. Quòd verò semel atq; iterum, aut etiam sæpius replicuerit idem clariss. D. Doctor Hunnius, loca illa scripturæ. Deuter. 4. 5. 12. non addes &c. hoc tantum facito &c. frustrà operam suam lusisse videtur. Iam enim anteâ dixi ad eiusmodi loca superioribus diebus responsum esse. Quòd si fortè minus ex præsentibus Auditorib. satisfactum est, parati sumus, erimusq; semper, quòd desideratur supplere. Interim rursus ego prouoco ad vniuersum hunc ornatiss: consessum, vt dijudicent, an prima illa propositio ab aduersarijs initio disputationis, ante duas ferè horas allata, vllo vel in speciem probabili argumento sit confirmata, putoq; hoc responsum sufficere posse, neq; opus esse, quicquam amplius ad hoc argumentum respondere.

D. IAC. HAILBRONNER.

Remotis ambagibus breuiter respondebo. D. D. negat maiorem syllogismi, ex analogia quarti præcepti ab aduersario suppeditata, idq; hac ratione, quod

quòd omnia officia, parentibus exhibenda, in quarto præcepto contineantur, non autē omnes cultus Religionis, nec omnes articuli fidei, in sacra Scriptura comprehensi deprehendantur, contrarium sic probo. Si non omnes cultus, nec articuli fidei, in verbo scripto essent comprehensi, additiones non essent prohibitæ, at verò additiones sunt prohibitæ; Ergo omnia ad Religionem & cultum necessaria, scriptis sunt comprehensa. Deinde si non omnes cultus, nec omnes articuli fidei, in lege scripta essent comprehensi, tum puniti fuissent nonnulli, propter incredulitatem aut transgressionem legis non scriptæ: nemo verò vnquam propter transgressionem legis non scriptæ fuit punitus à Deo; quod ad dogmata & cultus attinet, de quibus inter nos controuertitur; Ergo omnes articuli fidei omnesq; cultus Deo placentes fuerunt conscripti.

D. HVNNIVS.

Non repetam prius dicta, hoc saltem memoratu dignum est, quòd D. Doctor initio, monstratam diuersitatem præcepti quarti & primi cum vniuerso systemate non potuerit in sua responsione infringere, imò ne attigit quidem, scit enim in sua conscientia se non posse respondere. Deinde audierant Serenissimi & Illustrissimi Principes, & omnes auditores, quòd à me prius fuerint non modò producta testimonia Moysaica, verum etiam aliquoties petitum responsum. Responsum autem aliud non tuli, quàm quòd superioribus diebus responsum sit. Dixi verò quòd non responsum sit, nec in omnem æternitatem, quicquam solidè ad illa testimonia responderi possit, propter clarissimam mentionem, de non addendo quicquam, propter expressissimam notationem exclusiuæ particulæ, tantùm. Itaq; iterum dico & repeto, non modo nihil esse responsum, sed ne quidem responderi posse. Quia verò D. Doctor promisit, si minus alicui satisfactum sit, superioribus diebus, a cæteris collocutoribus data responsione, paratum esse se, quod desideratur, supplere. Idcircò D. Doctorem adeoq; vos omnes: D. collocutores oro & obsecrò, vt promissam illam suppletionem præstetis facto & reipsa, & ostendatis, Moysis aut Dei potius mentem non esse, quasi præter scripturam Mosaicam, non liceat aliquid superaddere, quod ad cultum, siue dogmata pertineat; hoc si demonstratum fuerit, expeditè & nos respondebimus. In manus sumite Moysen & explicate.

D. TANNER.

Videtur res exigere, vt quandoquidem D. Hunnius verba tantùm iactauit, & noui nihil attulit, initio & breuiter expediatur. Dixerat sibi responsum non esse, ad diuersitatem illam, quam inter legem scriptam

& quartum decalogi præceptum, quod exempli loco ad infirmandam, & euertendam primam illam propositionem allatam, nempe quòd præceptum illud non sit vnicum systema & integrum omnium præceptorum, at verò scriptum DEI verbum sit integrum & perfectum systema seu comprehensio omnium omninò dogmatum tàm fidei quàm morum. At verò vehementer miror D. D. non intelligere eiusmodi disparitatem, & dissimilitudinis rationem à nobis dudum, & non quidē semel, sed sæpiùs reiectam & reprobatam esse, quis enim non audiuit, iam sæpiùs à nobis negatum, scripturam seu scriptum Dei verbum esse systema illud perfectum, quod nempe perfectè & expresse contineat omnia omninò dogmata, tam fidei, quàm morum; hæc enim ipsa prorsus est illa propositio, quam & in nostra thesi asseruimus, & quā clariss. collocutores infirmandam & refutandam susceperunt, vt profectò opus minimè fuerit, separatim rursus & distinctè, id quod toties negatum est, denuò negare.

Quòd verò clarissimus D. D. dicit non esse responsum ad loca illa scripturæ, Deuter. 4. 5. 12. nec in æternum responderi posse, aduertunt facilè Ornatissimi Domini Auditores, esse tantùm inanes quasdam verborum iactationes. promisimus omninò, si quid ab aliquo ex Dominis quoque auditoribus fortè, circa eiusmodi sententiarum explicationem desideratum fuerit, id verò priuatim & publicè sæpius declarare, sed quia nec allatum est à quoquam quicquam quod desideretur, neq; ipse D. Hunnius quicquam in specie expressit, quod circa eiusmodi explicationes superioribus diebus allatas desideretur, aut desiderari possit, ea nunc prætermittimus, neque enim existimo ad formam disputandi spectare, eadem argumenta semel absoluta rursus retexere.

Quod verò ad Clarissimum D. D. Hailbronnerum attinet, duo ille argumenta attulit, ad probandam directè conclusionem illam, quod scilicet verbum DEI scriptum sit vnica norma & forma religionis controuersiarum. At verò neutrum ex prædictis argumentis eò tendit, vt probetur propositio illa maior initio proposita, sæpiùs negata, nunquam probata, nempè, si DEVS acriter puniuit, qui quacunque intentione à verbo DEI scripto recedunt, hoc ipso perspicuè demonstrasse, quòd scriptum DEI verbum sit vnica norma & forma omnium controuersiarum Religionis. Ex quo apparet tantùm, tandem luminis iam nobis diuina fauente gratia accessisse, vt ipsi quoque aduersarij intelligant, propositionem illam inanem esse, & à se nec pro-

batam

batam esse, nec probari posse. Argumenta verò illa duo, ad probandum quod scriptum DEI verbum sit vnica norma & regula omnium controuersiarum religionis, sunt hæc duo. Primum, si DEVS prohibuit aliquid ad verbum scriptum addere vel detrahere, sequitur scriptum DEI verbum esse vnicam normam, & formam omnium controuersiarum fidei. Sed verum est antecedens. Ergò & consequens. Ad quam argumentaionem tametsi aliàs responsum sit, nihilominus tamen, vt nouum rursus monimentum nostræ responsionis extet & adhuc luce clarius fiat, eam nullam prorsus vim habere ad institutum comprobandum, ita nunc denuò respondetur, distinguendo scilicet, & explicando propositionem illam maiorem, hoc modo. Si DEVS prohibuit ne quicquam ad Dei verbum scriptum addatur, quod ei sit aduersum, aut etiam à priuatis hominibus, circa cultum religionis denuò constituatur, tunc sequitur scriptum Dei verbum esse * normam & formam omnium controuersiarum, nego maiorem: at verò si Deus prohibuit, non illam duntaxat additionem, quæ scripto DEI verbo aduersetur, aut etiam à priuatis hominibus in rebus religionis nullam authoritatem habentibus sanciatur, sed eam quoq; additionem prohibuit, qua quiduis etiam aliud licet scripto DEI verbo non aduersum, licet à superioribus & legitimis magistratibus, quos DEVS tùm populo Israëlitico, tùm Ecclesiæ præfecit, si omnes inquam omninò additiones qualescunque sint, prohibuit DEVS, tunc sanè concedo maiorem; atqui DEVS prohibuit, ne quicquam DEI verbo scripto adderetur, rursus distinguo minorem, prohibuit ne quicquam etiam à legitimis Ecclesiæ seu populi Israëlitici, aut Christiani cœtus præsidibus etiã scripto verbo non aduersum, addatur, nego minorem; prohibuit verò, ne quicquam addatur scripto Dei verbo, aduersum, aut à priuatis quibuslibet, circa religionis cultum absque authoritate sibi diuinitùs concessa constitutum, concedo minorem. Ergò scriptum Dei verbum est vnica norma & forma omnium controuersiarum fidei, negatur consequentia; hoc ad primum argumentum.

*vnicam normam.

Alterum argumentum erat istud; si non omnes, cultus, nec omnes articuli fidei in lege scripta essent comprehensi, tunc puniti fuissent nonnulli propter incredulitatem & transgressionem legis non scriptæ. Atqui verò nulli puniti sunt propter transgressionem legis non scriptæ. Ergò omnes articuli fidei continentur in lege scripta. Ad hoc argumentum ita respondeo; nempe propositionem illam maio-

maiorem, illa suppletione & additione intellecta, quòd scilicet puniti essent, aut puniri potuerint, aut saltem debuerint, concedo maiorem, sed nec puniti sunt, nec puniri potuerunt, nego minorem.

D. HVNNIVS.

*solidum *Quòd attinet duo argumenta, à D. Hailb. proposita, ea in * solùm ipsi relinquo defendenda, contra responsionem modò datam. Quòd verò attinet ea, quæ inter nos duos disputata sunt, non resumam singula prius in medium allata, hoc tantùm assevero, quòd instantia Domini D. qua conatus est, firmitatem maioris nostræ propositionis elidere, confutata sit à me, ostensa evidentissima diversitate, vtrobiq; id quòd dominorum Auditorum iudicio humiliter & officiosè cōmitto & commendo. Deindè quòd promisit D. D. velle se & collegas supplere aut, declarare, si quid in superiore responsione ipsorū, ad loca seu testimonia Mosaica desideretur; cumq; nos expectaremus illam declarationē, responsum tulimus, posse eam priuatim cuiuis interroganti, vel etiam publicè dari; cum ergò D. D. non responderit quicquam ad Mosaica loca, præsertim ad exclusiuam illam particulam, tantùm; Idcirco iterum atq; iterum petimus, vt sine vlteriore tergiuersatione Dominus Doctor apertè respondere velit, quomodo illam particulam velit intellectam, ea enim secludit ratione cultus & dogmatum, omnia ea quæcunq; systemati Mosaicæ scripturæ adijciuntur. Proindè non tantum ea reijciuntur in dogmatibus, quæ manifestè aduersantur scripto Dei verbo, sed ea quoq; quæ præter scriptum illud DEI verbum superadduntur, ratione dogmatum, cultus, doctrinæ, religionis & fidei, aliâs enim nunquam in omnem æternitatem poteritis saluare illam particulam, tantùm. Quod verò attinet argumenta D. Hailbronneri, ipse respondebit.*

D. IAC. HAILBRONNER.

*Prolixa quidem oratione aduersarius, Dominos Auditores fatigauit, *attigit scopum verò non * addidit, assertioni ipsius de imperfectione sacræ scripturæ in ijs quæ ad fidem & cultū pertinent, duplex opposui argumentum, primò perfectionem probari hac ratione, si non omnes cultus & articuli fidei in verbo scripto essent comprehensi, tum additio non esset prohibita &c. additionem imperfecta duntaxat admittunt, verbum DEI non admittit additionem; Ergò non est imperfectum. Quòd autem attinet ad additiones, in quibus D. D. discrimen constituit, quod nimirum ea duntaxat additiones prohibitæ sint, quæ scripto DEI verbo aduersentur, deinde priuatis tantum hominibus. Respondeo ad vtrumq;. Primò; Omne quod additur præceptis diuinis ad religionem*

& cultum pertinētibus, eo ipso aduersatur, quod additur, quia omnes additiones sunt prohibitæ his verbis: non addetis &c. hoc tantùm facies &c. hominibus quidem videtur id quod bona intentione additur, DEO *gratum & acceptum esse; Deus verò est in alia sententia, qui cultus istos non acceptat, ex hoc fundamento, hoc tantùm facias Deo tuo; Ergò omnes additiones in rebus ad culum ꝑtinentibus sunt prohibitæ. Deinde mirum hoc est, quòd aduersarius obijcit, priuatis tantùm hominibus additiones esse prohibitas, cum sacra scriptura expressè testetur, non tantū leuis aut vulgaris sortis hominibus, sed regibus, principibus, sacerdotibus, Moysi & Aaroni additiones fuisse prohibitas. Ideo Dominus voluit, vt Regibus offerretur in ipsa inauguratione volumen legis Mosaicæ, vt secundum illud omnes se conforment, nec declinent neque ad dextram neque ad sinistram. Iosuæ quoque id ipsum à* DEO *fuit demandatum; ipsi Aaroni hoc fuisse dictum constat ex historia, de qua heri prolixè Exodi 32. vbi grauißimè obiurgatur propter cultum institutum. Nadab & Abiu, filij Aaronis ipsi quoque sacerdotes, quòd ignem alienum obtulissent, igne consumpti sunt. A sanctis Prophetis non plebs tantùm, sed potißimùm Reges & Sacerdotes, propter cultus ab hominibus extra verbum institutos obiurgantur. Unde constat luce meridiana clarius, præcepta illa non tantum vulgaris sortis hominibus, sed illis quoque qui in Ecclesiastica & politica gubernatione fuerunt constituti fuisse præscripta &c. Ad alterum argumentum negata fuit minor propositio, quòd nemo vnquam propter transgressiones legis cuiusdam non scriptæ, vel traditionum, à Deo fuerit punitus. Ego quidem in vniuersa sacra scriptura exemplum non inuenio, quod in ijs rebus, quæ ad religionem & cultum pertinent, Prophetæ, Ioannes Baptista, Christus, Apostoli reprehenderint, transgressiones verbi non scripti: Ideoq; minor illa propositio adhuc immota & firma manet, donec aduersarius exemplum vnum saltem monstret, quòd vnquam aliquis, propter transgreßionem verbi non scripti, voce diuina, Prophetica, aut apostolica fuerit reprehensus.*

D. TANNER.

Existimabam quidem responsionem meam anteà datam ad obiectiones D. Hunnij, cuilibet suffecisse, & ipsis quoq; Aduersarijs satisfecisse. Dixerat nempe primò esse clarissimum discrimen inter sacrā scripturam seu legem scriptam, & quartum illud præceptum Decalogi, hoc scilicet quod quartum hoc præceptum omnia reliqua præcepta non contineat, at verò lex scripta perfectè & apertè contineat omnia omnino dogmata

morum seu fidei. Audio hanc quidem assertionem, & audiui dudum sed nunquam probatã, hoc enim semper in quæstionem iam vertitur, in cõtrouersiam ducitur, hoc est de quo disceptatur. Asserere ergo, quod luce meridiana clarius sit discrimen, inter quartum illud præceptum, & legẽ Dei scriptã, certè nihil aliud est, quàm verba iactare, conclusiones ꝓbandas repetere, non probare. Insinuauit (vt hoc commoda methodo addã) aliquam eius rei probationem clariss. D. Doctor Hailb, hanc scilicet; si verbum Dei scriptum non perfectè continet omnia dogmata morũ & fidei, sequitur illud esse imperfectum, at hoc est absurdum; ergò & illud, quod ex hoc sequitur, nempè quod scriptum Dei verbum, non perfectè contineat omnia dogmata fidei. Ad quod sanè argumentum Deo iuuante, ita clarè & ꝑspicuè me responsurũ confido, vt nullus prorsus ex præsentibus Auditoribus præsens, & futurus esse videatur, qui sibi nõ planè satisfactum intelligat. Resumo ergò argumentum, & nego maiorẽ. Atq; vt omnes videant, quæ sit ratio huius negationis, nec opus sit ampliùs, fusius in hoc argumento regerendo tempus cõsumere, rẽ hoc rudi quidem, aperto tamen & simplici exemplo demonstro, ꝓsupponendo initio quæ sit ratio siue notio imperfecti. Imperfectum enim ex omniũ omninò hominũ cõmuni notione & conceptione aliud non significat quàm id, cui aliqua perfectio conueniens & debita deest, non autem si quælibet perfectio, siue conueniens & debita, siue non conueniens, & nõ debita desit. Imperfectum enim V. G. appellamus hominẽ, cui manus deest, pes, aut aliqua pars seu perfectio corporis & animæ conueniens & debita deest; at verò imperfectum hominẽ minimè vocamus, quòd alias quasdam perfectiones sibi non debitas non habeat. V. G. quòd cornua non habeat, aut alas, aut alias eiusmodi similes perfectiones.

Applicando ergò exemplum ad propositũ, vt sacra scriptura à nobis ex nostris dictis rectè dici possit imperfecta, aut dici debeat imperfecta, necesse esset, vt fateremur deesse illi quandam perfectionem debitam & conuenientem. Et quidem in proposito atq; in specie loquendo, vt perfectio illa, qua nempe sacra scriptura continere expresè debeat omnia omninò dogmata morum & fidei, sit perfectio illi debita, quod quidẽ domini opponentes asserunt, sed non probant, nos verò negamus, & sæpiùs negauimus, hanc sacræ scripturæ perfectionẽ debitã esse, vt omnia omninò dogmata morum & fidei expresè contineat, hoc enim profectò ex nulla scriptura probari potest. Itaq; non sequitur sacra scriptura * perfectè comprehendit, omnia omninò dogmata morũ & fidei: Ergò est

*non

im-

imperfecta; quemadmodũ vt hoc rursus clariore aliquo exemplo demonstrem; pileus V.G. non perfectè continet siue cõtegit caput; ergò pileus imperfectus. Hoc non sequitur, quia hæc perfectio pileo minimè debetur. Intelligũt ergò nî fallor ex dictis omnes Auditores, inané esse prorsus argumentationẽ illam, licet vtcunq; primo intuitu, speciẽ aliquam probabilitatis præse ferre videatur. Hoc ergò ad replicationẽ illá clariss. D. Hunnij, & simul quoq; ad apparens illud argumentum, quo eiusmodi replicatio vtcunq; sustentari videbatur, responsum sit.

Quòd vero secundo loco D. Hunn. rursus replicauit & repetiuit illã sacræ scripturæ sententiam Deuter. 12. hoc tantùm facito, si iam à nobis antea solutũ non esset, sperarem equidem, eius solutionẽ, nunc rursus clarã & manifestam, me allaturũ esse, vt omnes clarè intelligerent nihil prorsus ad confirmandam illam suam sententiam, quòd scilicet omnia in sacra scriptura expresse tradantur & comprehendantur, atq; adeò illa sit vnica norma & forma omnium controuersiarum religionis, nihil inquã faceret. Sed quia vt dixi iam alio tempore, & superioribus diebus respõsum est, nec noua vlla alia instantia allata, ita nunc prætereo, vt tamen vno aut altero verbo eius quoq; solutionem breuiter nunc manifestã denuò faciam, & ob oculos omnium Auditorum ponam. Habetur locus ille Deuter. 12. cap. Vbi cum initio quidem & postea in decursu capitis, varia præcepta, & quidem cæremonialia ad veterem legem spectantia à Deo proposita, & à populo Israëlitico obseruanda, constituta fuissent, in fine eius capitis hæc verba annectuntur, quod præcipio &c. vbi ista duo diligenter notanda sunt, primò quòd totum hoc caput atq; adeò hæc quoq; verba dirigantur, ad populũ Israëliticum. Secundò quòd illis verbis hoc tantum, Dominus Deus apertè loquatur solum de præceptis & cæremonijs hoc præsenti & superioribus capitibus traditis. Quod si cõsideramus, ita manifestum est, quod Dominus nequaquã Ecclesiæ Christianæ prohibere velit, quin Ecclesiæ superiores & magistratus, ꝑ authoritate sibi diuinitus concessa, possint & aliquando debeant, quædam ad scriptũ Dei verbum scripto tamẽ verbo non contraria adijcere, vt existimem neminem circa hoc punctum dubitationem aliquam vlterius, si rem serio & prudenter expendat, concepturum esse. Nam aut sensus est illius propositionis, vt à populo Israëlitico, nihil omninò, nisi tantùm illa, de quibus scilicet in hoc capite & præcedenti DEVS loquitur, fiat, & reliqua omnia, quæ tam in hoc libro Deuter. quam in sequentibus totius sacræ scripturæ libris, Iosue scilicet, Regum, Psalmorum, Pro-

phetarum, Euangeliorum, epistolarum apostolicarum, denuò diuinitus addita & præcepta sunt: * Aut non est iste sensus propositionis: si sensus ille primus propositionis verus est, tunc Domini opponentes inducunt nos ad nescio quem religionis cultum, vt scilicet ea tantum quæ in illis 12. capitibus Deuteronomij, aut si volunt, etiam in præcedentibus libris sacræ scripturæ continentur, faciamus, reliqua verò omnia, tam noui quàm veteris testamenti præcepta prætermittamus.

* prætermittantur.

Si verò sensum hunc minimè volunt esse, vt quidem sanè velle debet, tunc prorsus iam cōcidit vis totius argumētationis, quæ ex hoc loco scripturæ contra traditiones possit contexi. Nam si non obstante hoc loco & hac prohibitione, possumus, imò etiam debemus multa alia, præter illa, de quibus in hoc & præcedentibus capitibus DEVS loquitur, & deinceps successu temporis, vel per Prophetas, vel per Apostolos diuina authoritate præcepta sunt facere, certè non obstabit, etiam hic ipse sacræ scripturæ locus, quò minus possimus aut etiam debeamus quæcunque per superiores Ecclesiæ legitimos, præcepta sunt & constituta, modò tamen sacræ scripturæ non aduersentur, obseruare: sensus enim plenissimus & planissimus, huius loci hic solùm erit, nempe vt populus ille quidem Iudaicus, ea quæ ad id vsq; tempus à Domino DEO præcepta fuerunt, integra obseruare, nihil autem de suo priuata authoritate, circa cultum diuinum comminisci debeat, quod quidem vltro fatemur, & populo Israëlitico, & Ecclesiæ Christianæ esse prohibitum, nullo autem modo obstabit locus iste, quò minus alia quoq; præcepta, deinceps legitimè tradita & constituta, seu in scriptura comprehensa, seu non comprehensa, obseruare possimus & debeamus. Valdè igitur mirum est, quòd opponentes tanta confidentia, & nunc publicè, & aliàs quoq; priuatim soleant eiusmodi loca sacræ scripturæ vrgere & nobis ingerere sæpiùs, & inculcare, ad probandum quod nihil, nisi quod in sacra scriptura traditum est circa fidem, mores, aut cultum faciendum; cùm si vt dixi, sensus huius loci esset, ne quicquam omninò aliud præter illa, de quibus ibi scriptura loquitur, circa cultum & fidem obseruemus, nihil omninò aliud præter illa, quæ ad caput illud 12. Deuter. vsq; tradita sunt, obseruemus. Quòd nemo prudens senserit, nec dixerit.

SES-

SESSIO QVINTA.

1. Decembr.
21. Nouemb. Anno 1601.

Hora VII. Antemeridiana.

D. TANNER.

TAmetsi quidem ante biduum non existimauerim, me tanquam collocutorem huic disputationi præsentem fore; neq; verò plures sint, quâm decem & quinq; dies, ex quo sciui ad hanc disputationem mihi adueniendum esse, quia tamen Serenissimis & Illustrissimis Principibus, hesterno die clementissimè placuit, me quoq; quamuis sanè pro tantæ rei dignitate & grauitate imparem, collocutorem admittere & adhibere, cœpi hesterna die hoc collocutoris officium ita exercere, vt omnes intelligerent, nihil me magis cupere, quàm vt præscriptæ disputantibus leges diligenter & accuratè seruentur, hoc est, in forma, & quidem syllogisticè procedatur, singula argumenta separatim proponantur, ad singula seorsim & separatim respondeatur, simul etiam addens & significans, neq; in legibus disputationis expressum, neq; progressui disputantium, expediens fore, si quæcunq; in disputatione à Collocutoribus vtrinq; opponenda & respondenda sunt, ad calamum tanquam in schola dictentur. At quia collocutores aduersæ partis ab hoc modo procedendi dimoueri hactenus nō potuerunt, cœptum est hesterna die, ex nostra quoq; parte eundem modum procedendi obseruari.

Qua in re illud quoque clarissimorum & venerabilium Collegarum meorum nomine obseruandum & publicè protestandum venit, nunquam ante hesternum diē curæ nobis fuisse, vt ea quæ ad proposita argumenta à Dominis Collocutoribus, aduersæ partis responsa essent, ad calamum Dominis Notarijs dictarentur. Vnde necessariò factum est, quod ipsi quoq; Domini Notarij testabuntur, quòd non omnia, quæ à clarissimis Collocutoribus nostræ partis responsa sunt exactè in scripta referrentur. Vnde & illud quoq; nunc protestatum volumus, neminē ex eiusmodi solumodo scriptis Protocollo illatis, de responsionibus absolutum facere iudicium debere. Imposterum verò tametsi vnicè cupiamus

mus, vt quod ad velocem & fœlicem processum, & successum disputationis facere possit, à Clarissimis D. Collocutoribus partis aduersæ obseruaretur, nempe vt prætermissa mora temporis, quę in dictando consumi necessario debet palàm, coram, & modo in omni disputatione legitimè facta obseruari solito, sine eiusmodi dictatione scholastica argumenta vtrinque & proponantur & soluantur. Attamen, quia D.D. collocutores aduersæ partis ad hunc modum induci posse non videntur, nobis quoque impostecum necessario incumbet, vt & nos quicquid sit, de mora temporis ad calamum non minus, quàm aduersæ partis collocutores nostra & argumenta & responsa dictemus. Quod tametsi sciamus molestissimum fore non solum Serenissimis & Illustriss. Principibus sed etiā vniuerso huic auditorio, veniam tamen facilè, ni fallor, impetrabimus, si quod necessitas pro re nata exigit, id quoque confidenter obseruare & explere studeamus. Atq; ita secundum hunc modum procedendi, hesterno die responsum est, ad quædam argumenmenta Clarissimorum Dominorū Collocutorū aduersæ partis, quę scilicet eò spectabant, vt probaretur scriptum Dei verbum esse vnicam & solam normam omnium controuersiarum Religionis, ad quod institutum probandum, diuersas quasdam obiectiones separatim, & seorsim proposuerunt clarissimi Domini Collocutores D. Hunnius & D. Hailbronnerus. Et quidem vltimis obiectionibus D. Hunnij, quibus primò dicebat, manifestum esse discrimen inter verbum DEI scriptum, & quartum illud DEI præceptum, quod exempli causa attuleram; secundò ex veteri testamento, Deuter. 12. sæpius obtrudebat illum locum, hoc tantum facito, quod quidē ad propositionem illam maiorem confirmandam, de qua hesterna die, nihil facit, sed separatum alioquin & distinctum argumentum esse potest, sufficienter responsum est, sicut & tertiò ad Syllogismum illum D. Hailbronneri, quo ostendere nitebatur, si verbum Dei scriptum non sit vnica norma controuersiarum religionis, à nobis necessariò asserendum esse, idipsum Verbum DEI scriptum imperfectum & mancum esse. Ad has inquam obiectiones Dominorum collocutorum sufficienter responsum esse arbitror, supersunt tantum tres adhuc obiectiones à Domino Doctore Hailbronnero oppositæ, contra solutionem illam ad Deuter. 4. allatam, qua scilicet dicebam, in illo Deuter. loco, non addes, &c. tantum prohiberi ne aut priuati suo arbitratu in materia religionis, aut noua dogmata aut præcepta, constituerent, nouosq; cultus vsurparent, aut

ne

ne & magistratus quoq; aduersum quippiam scripto Dei verbo, aut facerent, aut faciendum subditis proponerent. Contra hanc inquam solutionem, hoc argumentum confecit: quod additur præceptis diuinis de cultu & dogmatibus, eo ipso quoq; aduersatur scripto Dei verbo; Ergo nihil omninò licet addere ad scriptum Dei verbum. Secundò, non tantum populo sed etiam magistratibus illicitum fuit, addere aliquid scripto Dei verbo, quod quidem multis exemplis veteris testamenti probare conatus est. Ergo non rectè dictum est, subditis tantum fuisse prohibitũ addere aliquid ad legem Dei scriptam. Tertiò; non est vllus qui punitus fuit in veteri testamento, ob transgressionem verbi non scripti, sed solùm ob transgressionem verbi scripti. Ergò verbum scriptum est vnica norma, &c. Ad quas obiectiones ita respondeo: Ad primã, negãdo antecedẽs, nimirũ quòd quidquid omnino verbo Dei scripto quomodocunq; addatur, & à quibuscunq; , hoc ipso sit contra verbũ Dei scriptũ. Ad secundam, concedimus etiam magistratus & Reges multos in veteri testamento punitos esse, qui adderent aliquid ad verbum Dei scriptum, sed non nisi quod addiderunt aliquid ad verbum DEI scriptum, quod non tantùm esset extra, sed etiam contra verbum Dei scriptum. In ipsamet enim illa responsione, duo membra afferendo, diximus, illicitum fuisse tùm subditis, ne suo arbitratu quicquam adderent, tùm etiam superioribus omnibus & magistratibus, ne contra verbum Dei scriptum quicquam adderent. Ad 3. negamus Antecedens, atq; ita responsum est ad obiectiones collocutorum amborum, quas heri proposuerunt.

D. IAC. HAILBRONNER.

Recitauit precationem consuetam.

D. HVNNIVS.

Sine vllis ambagibus, rectà me confero ad refutationem eorum, quæ à clarissimo D. D. heri & hodiè producta sunt, ad infirmandum ea, quæ pro defensione argumenti nostri, ex fundamentis scripturarum sunt allata.

Quod igitur attinet instantiam D. *Doctoris hesternam, hodiè repetitam, ab exemplo quarti præcepti Decalogi, demonstratum est heri; eam* ἔνστασιν *siue instantiam prorsus esse impertinentem, ostensa diuersitate præcepti Diuini seu verbi, cuius Deuteronom. 4. 5. & 12. clara mentio fit, & vicis-*

viciſſim quarti præcepti Decalogi, nam quia præceptum quartū particula duntaxat eſt diuinæ legis, admittere omninò poteſt, reliquorum etiā præceptorum Decalogi additionem. At præceptum a. diuinum, cuius mentio fit, Deuter. 12. quia totum complexum, totum corpus & ſyſtema ſcripturæ Moſaicæ continet, ideò iuxta clariſſima verba ibidem addita, vllam adiectionem, quoad dogmata, & partes diuini cultus, minimè admittit, quandoquidem additio illa, manifeſtis & perſpicuis verbis, a Domino interdicta eſt, quæ planiora fient ex ipſorum & teſtimoniorum Moſaicorum vberiore declaratione; ad ea ergò nunc me confero.

Molitus eſt quidem D. D. Collocutor explicationem quandam eorum locorum, quæ cuius ſit momenti, iam examinabimus.

*Status quæſtionis eſt, num præter ſcriptum verbum aliquod poſſit addi dogma, quod nec in ſcriptura extet, nec per validam conſequentiam indè deduci queat, ita quidem, vt nihilominus additio illa noui dogmatis, * verba non ſint contraria, nos ex productis teſtimonijs Moſaicis, Deuter. 4. 5. & imprimis 12. vbi ſic legitur; Quod præcipio tibi hoc tantum facito, nec addes quicquam, nec minues, demonſtrauimus ſententiam noſtram, quòd ſi qua pars cultus, vel dogma religionis, præter & extra ſcriptum Dei verbum adijciatur, eo ipſo ſit ſcripto verbo, & huic mandato diuino, Deuter. 12. è diametro contrarium. Reſpondit D. Doctor, duo eſſe conſideranda circa huius loci, Deut. 12. explicationem, primò quod totum caput 12. atq; adeò hæc quoquè verba iam recitata dirigantur ad populum Iſraeliticum. Itaq; non obſtare, quin præſides & gubernatores Eccleſiæ Iſraeliticæ vel Eccleſiarum in genere poſſint & aliquando debeant, quædam ad ſcriptum verbum Dei adijcere, quæ tamen vt ipſi dicunt ſcripto verbo nō ſint contraria; Deindè quòd apertè loquatur ſolùm de præceptis ac cæremonijs traditis hoc præſente capite, & ſuperioribus capitibus, vel etiam præcedentibus libris Moſaicis. De primo ergò ſic reſpondeo. Ad hoc mandatum Domini, quod præcipio tibi, &c. non modo populum aſtringi, ſed ipſoſmet Sacerdotes, præſides, præfectos & gubernatores Eccleſiarum, quod ex ſequentibus meridiana luce clarius euadet. Primò Moyſes hæc promulgat indifferenter, ad populū ſimul & ad Sacerdotes populi. Secundo probatur exemplis. Nam cum Leuit. 10. Nadab & Abiu ſacerdotes præter Dei verbum per Moyſen traditum, aliquid adderent, quāuis bona intentione, hoc eſt cum offerrent igne alieno, puniti ſunt diuinitus, & occiſi à Domino. Legit textum ſic habentem, Leuit. 10. arreptiſq; Nadab & Abiu, Filij Aaron thuribulis impoſuerunt ignem, & incenſum deſuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis preceptum non erat, egreſſuſq; ignis à Domino, deuorauit eos,*

* verbo ſcripto non ſit.

eos, & mortui sunt coram Domino, &c. Hæc sonant non de plebe, sed ipsissimet Sacerdotibus Ecclesiæ Israeliticæ gubernatoribus, hi offerunt igne alieno, putantes licere sibi, in hac circumstantia diuini cultus aliquid superaddere. Additur autem quod hac in parte peccârint, & à DEO *occisi sint; Quare? Quia hoc eis præceptum non erat. Docet igitur exemplum hoc, quòd non modò populo, non licuerit præter scriptum* DEI *verbum aliquid addere, vel dogmatum vel cultuum, sed quod ne sacerdotibus quidem id licuerit, imò quòd Moyses ipse fuerit ligatus ad mandatum illud Deuter. 12. de non addendo quicquam patet euidenter, Exodi 34. vbi sic legitur vers 27. Dixitq; Dominus ad Moysen, scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israel pepigi fœdus; fuit ergo Moyses ratione fœderis super scripto verbo inibi, ad mandatum de non addendo, non minus alligatus, quàm ipse populus. Proinde videt Dominus Doctor, assertionem suam repugnare manifestè scripturæ & exemplis, ex Sacra Scriptura iam productis. Accedo etiam ad alterum membrum rationis vestræ, demonstraturus, quòd verbis Deuteronom. 12. non proponatur speciale quoddam præceptum, pertinens tantum ad ea, quæ hoc capite 12. & quibusdam præcedentibus capitibus, vel etiam libris præcedentibus mandantur, sed quod sit generale mandatum, pertinens ad totam doctrinam per Moysen traditam: demonstrationem huius rei peto ex ipso irrefragabili verborum contextu, nam vers. 28. ipsius huiusce capitis sic legitur, obserua & audi omnia, quæ ego præcipio tibi. Hic versiculus, quia cum subsequente 32. vers. cohæret, ostendit liquidissimè, non posse sequens Domini præceptum, de non addendo, restringi duntaxat ad partes doctrinæ Mosaicæ, siue etiã diuini cultus, sed ad omnes, id est, ad totum cultũ Israelitis præscriptum, ad totam doctrinã per Moysen populo traditam, adeóq; vt sonus verborum ostendit ad omnia, quæ Dominus per Moysen præceperat. Errat igitur Dominus Doctor quòd asserit, Moysen apertè loqui solùm de præceptis & cæremoniis, hoc 12. cap. & quibusdam superioribus capitibus; vel etiam præcedentibus libris traditis. Atq; sic constat adhuc, verbo per Moysen scripto nihil debere addi, quod vim dogmatis aut cultus rationem habeat, & si quid additur, fieri iam id contra manifestissimum hoc præceptum & prohibitionem Dei, ac proindè id additamentum in cultu, iam iam, non modo præter, sed etiam contra mandatum* Domini *adijci, quemadmodũ in progressu colloquij vestras traditiones non scriptas, quas ipsimet fatemini, nec expresè in scripturis extare, nec inde educi posse, immotis fundamentis Verbi diuini scripti, sic per* DEI *gratiam refutabimus, vt omnes palam videant, vtra pars veritatem defendat, vtra verò falsitatem. Quod autem inter cætera dictum à vobis est, si ita strictè accipiantur verba* Domini, *Deut. 12. se-*

exiturum, quod ad scripturam Mosaicam, ne quidem alij libri Prophetarum potuerint adijci, negamus consequentiam, & rationem negationis damus hanc, quia liber Josue, liber Psalm liber Esaia, & reliquorum Prophetarum libri, non continent noua dogmata, nec ad cultum in scriptura Mosaica praeceptum adijciunt nouam aliquam diuini cultus partem, sed repetunt duntaxat & illustrant ea, quæ per Moysen scripta sunt, & omnes homines ad cultum & doctrinam per Moysen traditam remittunt: sic & Sacerdotes pij, quando in quæstionibus ad doctrinam pertinentibus, definiebant, faciebant id, non per additionem nouorum dogmatum, sed per declarationem doctrinæ in scripto verbo Dei propositæ. Sic quoq; quod de superadditis libris noui testamenti, à D.D. obiectum nobis est, respondeo initio distinguendum esse inter cultum veteris & noui testamenti. In nouo testamento debuerunt ex conditione noui testamenti quædam abrogari, quædam prioribus scriptis Moysis & Prophetarum adijci, ea vero hæc sunt. primò ostendendū erat per scripta Euangelica & Apostolica Messiam in prophetis olim promissum, iam apparuisse, & in carne manifestatum esse. 2. Abroganda erant ceremoniæ Legis Leuiticæ tanquam umbræ & figuræ rerum futurarū, nempè Christum secundū carnē exhibendi: Colos. 2. Heb. 10. tertio, noua sacramenta debuerūt institui. 4. Implenda erat promissio de vniuersali vocatione gentium ad regnum Messiæ. Hæc quatuor simul omnia palàm & perfectè & plenè descripta extant, partim in libris Euangelistarū, & Actorū Apostolicorū, partim verò in Epistolis sanctorū Apostolorū. Atq; sic iam habemus integrū & perfectum systema perfectum corpus scripturæ, non modo propheticæ, sed simul Euangelicæ & Apostolicæ, & proinde doctrinam suis vndiq; partibus absolutā. Quæcunq; verò ab aduersa parte docentur dogmata, quæ in scriptura prophetica & apostolica non extant, ea non aliter adijciuntur scripto verbo, quā si vinum nouum recōdatur in vtres veteres. Matth. 9. vel iuxta similitudinem D. Doctoris, si prefecto & omnibus suis membris & partibus absoluto humano corpori, insuper assuantur cornua, & adijciatur. Parati ergò sumus per Dei gratiam, omnes illas dogmaticas traditiones, in scripto verbo non fundatas, suo tempore, quando earū edetur catalogus, sic refellere, vt minimè dubitemus, veritatem doctrinæ cœlestis, veluti meridiem effulsuram esse. Atq; hæc responsa sint de his, quæ mihi fuerant obiecta. Cætera expediet D. Hailbronnerus.

D. IAC. HAILBRONNER.

Constrictus D.D. Tannerus, argumentis & scripturæ testimonijs in hesterno consessu, tandem in hanc vocem erupit, quod non omnes cultus religionis, nec omnes articuli fidei in verbo Dei scripto comprehensi extent. Quæ assertio duobus validissimis argumentis, in continenti fuit confutata, cum non haberet

quod

quod responderet, ad ambages quasdam diuertit. Inter alia de perfectione debita & indebita, declamitare cœpit, an cornua, alæ, pilei ad hominis perfectionem pertineant, interim ad argumenta nihil prorsus respondit. Cum igitur animaduerteret, hoc sibi hodiè obiectum iri, conatus fuit tandem aliquid respondere. Et primò quidem culpam in me transfert, quasi ego argumento quodam huic disputationi, de scriptura perfectione & imperfectione, causam & occasionem dedissem, cum ad manifestam ipsius assertionem mihi fuerit respondendum. Nec dum video, quid ad vnum aut ad alterum argumentum etiam hodiè fuerit responsum, nam si scriptura sacra esset imperfecta in rebus fidei & cultuum, admitteret profectò additionem; at verò additionem nullam prorsus admittit, Ergò perfectam esse eam oportet. Deinde ostensum fuit, quòd nemo vnquam propter transgressionem legis aut verbi non scripti à Deo fuerit punitus, aut reprehensus. Ad vtrumq; argumentum responsum adhuc desidero, nam quod ait, non omnes additiones esse prohibitas; nec omnibus, sed subiectis tantum prohibitas esse, & quidem constitutiones verbo scripto aduersantes, satis iam est responsum à Collega meo, sicut etiam nonnulla ex parte heri à me responsum, quòd nimirum omnes omnino additiones sint prohibitæ. Id quod argumento in formam syllogisticam redacto, probabo. Qui iubet hoc tantum facere, quod ipse præcipit, nec quicquam addere permittit, is omnes additiones cuiuscunq; generis prohibet: DEVS iubet in cultu hoc tantùm facere, quod ipse præcepit, nec quicquam addere; Ergò omnes additiones prohibet. Id heri ostensum fuit, & hodiè repetitum, exemplo Nadab & Abiu Sacerdotũ, qui etsi expressam prohibitionẽ non haberent, tamẽ ideò puniti & quidẽ horribiliter puniti sunt, quia in cultu fecerunt, quod præceptũ non erat. Vnde constat, quod præceptum non est in cultu, id prohibitum esse. De contrarijs constitutionibus Respon. quandoquidẽ conceditis contrarias constitutiones esse prohibitas, multa autem sunt constitutiones Ecclesiæ Pontificiæ, quæ verbo scripto sunt contrariæ, constat ex hac ipsa vestra assertione, illas omnes prohibitas. Contra rationem ex discrimine magistratus & subditorum sumptam, sic argumentor, qui non tantùm subditos, sed Reges quoq; & Sacerdotes, propter cultus à se non mandatos reprehendit & punit, ille testatur præceptum suum de nihil addendo, non declinando ad dextram, vel sinistram, &c. non tam subditis, quam magistratibus esse datum. DEVS punit & reprehendit, propter nouos cultus à se non mandatos, tam subditos quam Reges & Sacerdotes; Ergò istis quoq; illa præcepta fuerunt tradita. Ad quæstionem, an vnquam quispiam propter transgressionem legis non scriptæ punitus aut reprehensus fuerit, etiamnum categoricũ desidero responsum, vt vel tandem ad conclusionẽ argumenti

beri propositi perueniamus, & ad alia quæ nobis restant ex S.S. præsertim noui testamenti argumenta progrediamur.

D. TANNER.

Intellexi vtriusq; obiectiones, ad propositas à me solutiones, quibus ad obiecta scripturæ loca respondi. Et quidem D. D. Hunnius dixit, luce clarius esse, quod inter præceptum illud Deut. 4. & præceptum illud I V. Decalogi hoc discrimen sit, quod scilicet illud loquatur de omni præcepto scriptæ legis, quæ integrum sit systema & perfecta complexio omnium omninò præceptorum, tàm ad mores siue cultum, quàm ad fidem spectantium; Hoc verò quartum Decalogi præceptum, non contineat perfectè alia præcepta diuina. Ad quod respondeo, dici hoc tantùm, non probari, quàm enim parùm probari potest, quòd quartum Decalogi præceptum cætera præcepta contineat, tàm parùm etiam probari potest, quòd verbum Dei scriptum expresse & apertè contineat, omnia omnino dogmata tam fidei, quàm morũ & cultus. Quòd autem dicit statum quæstionis inter nos controuersæ istum esse, num præter scriptum Dei verbum aliquod addi dogma possit, quod nec in scriptura extet, nec per validam consequentiam indè deduci queat, ita quidem, vt nihilominus additio illa scripto verbo non sit contraria, id omninò declaratione indiget. Nec enim negãt Catholici, omnia quæcunq; ad religionem spectant, & circa eam obseruanda sunt, aut in scriptura apertè contineri, aut ex eo quoquo modo etiã per validã cõsequentiã deduci posse; sed hæc controuersia est, an separando authoritatem infallibilem Ecclesiæ, omnia omninò fidei aut morum dogmata, ex scriptura deduci possint, clarè & infallibiliter; quin enim mediante infallibili authoritate Ecclesiæ omnia deduci possint, non negamus, hoc ipso, quod clarè & apertè docemus Ecclesiam, vt quidem scriptura apertè monet, audiendam, quo expresso DEI verbo posito, sic facilè & euidenter argumentamur. Omnia omninò decreta fidei & morum, quæ Ecclesia legitimè non contra verbum DEI scriptum, pro concessa sibi diuinitus authoritate præcipit aut decernit, illa inuiolabiliter obseruanda sunt, atqui hoc vel illud V. G. tametsi in scriptura non contineatur, Ecclesia præcipit aut decernit; ergò &c. Quam argumentationẽ manifestum est, ad omnes omninò traditiones Ecclesiæ nostræ catholicæ applicari posse. Probandum est ergò Dominis Aduersarijs, quod seposita Ecclesiæ authoritate infallibili quam agnoscere non volunt, omnia omninò dogmata fidei & morum

ex

ex scriptura per euidentem consequentiam euidenter deduci possint, si non apertè in ea continentur.

Quòd autem secundo loco obiecit, locum illum Exodi 34. expugnare meam responsionem, quâ scilicet dixi in illo scripturæ loco Deuter. 12. verba solùm haberi ad populum Israëliticum, ipsum vniuersum, non ad magistratum Israëlitici populi; cum tamen citato illo loco Exodi 34. dicatur, simile quoq; præceptum ad superiores populi Israëlitici pertinere. Respondeo non ostendi locum eiusmodi, quo significetur vllo modo, omnem omninò potestatem magistratibus Israëlitici populi ademptam esse, ne quicquam ad verbum DEI scriptum adijcerent, quamuis scripto verbo non contrarium: Locus autem ille Exodi, hoc solùm dicit, vt scilicet Moyses scribat præcepta sibi diuinitus tradita, vbi sanè non de omnibus omninò præceptis sermo est, sed de quibusdã solùm, vt ex ipso contextu euidenter patet, Cum enim in eo capite 34. atq; etiam in quibusdam præcedentibus multa & varia præcepta constituisset DEVS populo Israëlitico, tandem illo capite 34. vers. 27. sic ait Dominus; Dixitq; Dominus ad Moysen, scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Israël pepigi fœdus. Itaq; vt colligitur ex hac ipsa dictione, (verba hæc) scilicet, quæ iam locutus sum tibi, nõ verba omnia, quæ vnquam locutus sum aut loquar, certè non de omnibus verbis aut præceptis loquitur: deindè quoq; cùm eiusmodi præcepto constituto, Moyses accingeret se ad id implendum, ita textus sonat; fuit ergò ibi cum Domino, 40. dies, & 40 noctes, panem non comedit, & aquam non bibit. Et scripsit in tabulis verba fœderis decem, vbi ex facto Moysis quoq; satis patet, Dominum DEVM eo in loco, non de omnibus omninò præceptis veteris testamenti locutum esse; cum signanter dicat, scripsisse decem, nempè præcepta Decalogi, cum tamen interim Moyses vtiq; studiosissimè præceptum illud diuinum executus fuerit.

Tertiò ab eodem D. D. allatum est exemplum Nadab & Abiu, Leuitici 10. ad comprobandũ, quod nõ modo nihil contrà, sed nec extra quidem, vllo modo aliquid ad scriptum Dei verbum, etiam à superioribus populi Israelitici liceat addere; sed sanè locus hic ad propositum penitus nihil facit. Non enim Nadab & Abiu, ideò solùm tam graui pœna diuinitus plexi sunt, quod extra Dei verbũ, aliquid in diuino cultu fecerint, sed quòd contra, vsurpando scilicet ignem alienum, qui illis prohibitus erat, ne in sacrificio adhiberetur, vnde ex hoc loco, ad redarguendam istam obiectionem, ita licet colligere, vel ratiocinari. Aut

in scripto DEI verbo prohibitum fuerat Nadab & Abiu, ne ignem alienum sacrificio inferrent, aut solùm verbo non scripto, sed tradito prohibitũ erat; si scripto prohibitũ erat, nihil ad rem, faciebant enim hoc ipso sacerdotes isti, nõ præter, sed contra legẽ scriptam: Si nullo scripto mandato illis prohibitũ erat, habemus ergo exemplum, quod etiã verbum Dei nõ scriptum, sed traditũ transgredientes diuinitùs sint puniti.

Quartum, quòd circa eandem quoq; responsionem meam, ad illum Deuter. 12. locum replicauit, verba illa, ad magistratus quoq; populi Israëlitici pertinere, id quod ex ipsomet capite illius contextus manifestum esse dicebat, vbi indifferenter ait, tradita fuisse præcepta populo, principibus & sacerdotibus: Respondetur principes & magistratus dupliciter considerari debere. Primò vt ipsi quoq; personæ quædã erant priuatæ, quæ comunibus omnium omninò aliorũ etiam subditorũ legibus subiacere debebant. Secundò propriè, vt Principes, seu quoad officium superioritatis. Iã primo modo nunquã negatũ est, illa præcepta populo tradita ad principes quoq; spectasse; quemadmodũ V. G. præcepta omnia legis Euangelicæ, nõ solũ ad priuatos, sed & ad principes ptinent: sed id solùm negatũ est, præceptum illud, & reliqua illius capitis præcepta ad magistratus propriè, & vt tales sunt, dirigi, quod sanè nunquã probatũ est, nec probari potest. Et contrarium ex textu patet euidenter, nã non solùm cap. 9. & reliquorum capitum contextu, significat Deus, se ad Israëlem vniuersum loqui, cum initio capitis illius ait, audi Israël &c. sed etiam ipso illo cap. 12. si verborum contextus spectetur, ad populum vniuersum Israëliticum, quædã etiam generatim ad sacerdotes in sacrificijs obseruanda à singulis referuntur: nullo autem modo prohibetur ne sacerdotes vniuersi, seu potius ipse summus sacerdos, possit non quidem contra legem scriptam, sed aliquid tamen ad legem scriptã, pro exigentia locorum & temporum denuò præcipere: Cum iam alias vniuersim, Deuter. 17. cap. constitutum fuerit, & seuerè præceptum, vt sacerdotes illius quoq; populi, aliquid legitimè præcipientes audiantur, seuera hac minitatione addita, qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio &c. qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum ex Israël, vt alibi ex hoc loco fusius demonstrabitur.

Quòd autem quinto loco idem D. Hunnius, meam illam explicationẽ, & simul explicationis confirmationẽ, qua dicebam, in loco illo Deut. 12. non prohiberi, quo minus legitimi etiam veteris testamenti magistratus,

Pro-

Prophetæ inquã, Reges & sacerdotes, possint aliquando aliquid verbo Dei scripto, ꝑ authoritate sibi diuinitus concessa, non tamen contra verbum scriptum addere, alioqui secuturum esse, quod malè fecerint, Prophetæ, Reges, & Apostoli, dum subinde quædã nõ modo contra scripturam obseruanda præceperunt, sed etiã nouos libros canonicos, tàm veteris quàm noui testamenti cõscripserunt, in quib⁹ subindè noua quædã præcepta comprehenduntur; Illud inquã, quod contra hanc solutionẽ & solutionis confirmationem obijcitur, vim nullã habet, Dictũ est enim quidẽ primò, quod Prophetæ illi, qui libros canonicos post illud Deuter. præceptum scripserunt, diuina authoritate & expresso Dei mandata scripserint. Secundò quod alia sit ratio noui & veteris testamenti; sed hæc prorsus ad rem nihil faciũt, quæstio enim est an in illo Deuter. loco cap. 12. quo dicitur hoc tantùm facito &c. prohibeat Deus, ne quicquam tum in nouo, tùm in veteri testamento etiam extra scriptum Dei verbũ addatur, quacunq; tandem authoritate: dicunt enim ipsi aut saltẽ dicere debent, si ad rem loqui & ꝓbare velint, quod superioribus Ecclesiæ catholicæ, nihil omninò ad scriptum Dei verbum addere liceat, tametsi illi nõ contrarium. Ad quod probandum ex illo loco Deut. 12. necessario dicere debent, in illo loco simpliciter & absolutè sine omni exceptione, quacunq; tandẽ authoritate innitenti, ꝓhiberi omnem additionẽ & qualẽcunq;. Si enim tantùm velint asserere, prohiberi additiones quæ fiunt authoritate merè humana, non diuina, vltro concedimus, authoritate merè humana, non diuina, nihil ad scriptũ Dei verbum addi posse: * sed cum hoc solùm dicamus Ecclesiæ seu veteris seu nouæ superioribus, authoritate sibi diuinitùs concessa quædã ad scriptum Dei verbum & multò maxime ad id scriptum Dei verbũ, de quo in eo capite sermo est, licitum esse addere, cum quicquid ab Ecclesiæ Prælatis additur, iuxta catholicæ religionis normã obseruandũ, diuina vtiq; authoritate, Ecclesiæ Prælatis concessa Matth. 18. qui Ecclesiã non audierit &c, & passim alibi, vt suo loco ostendemus, addatur. Probare ergò debet aduersarij, simpliciter prohiberi eo loco, omnem omninò additionem etiam scripturæ nõ contrariam. Atq; hæc responsa sufficiunt ad obiectiones D. Hunnij

Illud tantum ne quid prætermisisse illi videar, quod ex eodem cap. Deuter. 12. adiecit probari ex ipso cap. vers. 28. quod in eo capite non determinatè loquatur Deus, de præceptis solis, illius & præcedentium capitum, sed vniuersim de omnibus præceptis scriptæ legis, facilè & apertè refutatur. Verba enim illius versus hæc sunt: obserua

&audi

& audi omnia quæ ego præcipio tibi &c. Vbi pari ratione Deus de præceptis tantùm, quæ tunc tradebat, loquebatur, non de omnibus omninò præceptis ſcriptæ legis; ſignanter enim dicit, obſerua & audi omnia quæ ego (iam ſcilicet) præcipio tibi, non autem dixit, quæcunq; præcepi, præcepero, quamuis alioquin aliundè conſtet, alia quoq; præcepta omnia ſcripta ſeruanda eſſe, ſed hoc loco de omnibus præceptis à DEO mentionem fieri, falſum eſt.

Venio iam ad obiectiones D. D. Hailbronneri; In primis quidem lubens & facilè illi condono ſuam illam confidentem audaciam, qua initio ſuorum argumentorum dicebat, me heſterno die argumentis ipſius, quaſi verò vſq; adeò firmis, conſtrictum teneri, aut detentum fuiſſe. Et rurſus, cum non haberem quod reſponderem, ad ambages diuertiſſe. Et rurſus, declamitare cœpiſſe. Et rurſus, conatum hodiè, quod non potuerim heri; quaſi verò facultas reſpondendi heri defuerit, & non tempus reſponſiones promendi, cum vſq; ad finem præcedentis ſeſſionis continenter locutus ſim, & reſponderim ad quædam, cum ad omnia non poſſem præ temporis breuitate. Quod autem primo loco, vt ad rem veniamus, dicit & obijcit hunc ſyllogiſmum formando: Si verbum DEI ſcriptum eſſet imperfectum, admitteret additionem, ſed non admittit additionem. Ergò non eſt imperfectum. Miror ſanè, quo fine, aut quam ob cauſam, eiuſmodi argumentum depromplerit, cum id quod in concluſione infertur, minimè negetur, atq; adeò palàm, publicè & vltrò, totum quod eo argumento probandum aſſumitur, concedatur, ſemperq; à nobis cõceſſum fuerit, quin verò etiam ad eius cõcluſionis defenſionem, heri firmiter & ſolidè oſtenderim, qua ratione verbum DEI ſcriptum, tametſi non omnia omninò dogmata fidei & morum expreſsè contineat, nihilominus tamen perfectum, & omnibus ſuis numeris abſolutum ſit. Potuiſſet ſanè facilè, ſi tempori parcere voluiſſet, à tali argumentatione abſtinere.

Secundo autem loco quod obiecit, nunquam aliquem punitum fuiſſe, qui contra verbum aliquod DEI non ſcriptum ageret, vehementer miror à tanto Doctore proferri potuiſſe, cum contrarium ſit euidentiſſimum, nec vlla ratione negari poſſit. Primò enim quis neſcit, vſq; ad Moyſen per duo millia annorum, nullam legem ſcriptam fuiſſe, & nihilominus tamen tranſgreſſores legis vtiq; non ſcriptæ diuinitus punitos fuiſſe? Secundò rurſus à Moyſe vſq; ad Chriſtum per duo millia circiter annorum, extra ſynagogam Iſraëliticam Eccleſia vera, nulli ſcri-

præ

tæ legi Moysis subiecta, salua constitit, non scriptis legibus obtemperans. Quo vtiq; rursus tempore multi, contra legem non scriptam agentes diuinitus puniti sunt. 3. Vt ad legem quoq; scriptã, & synagogam legi scriptæ subiectam veniamus, quis nescit, Deut. 17. grauibus minis, diuinam intentari vindictam, non tantùm ijs qui legem scriptam violarent, sed etiam qui sacerdotis imperio obedire detrectarent, vbi minimè additur limitatio illa, si sacerdos aliquid præscripserit, quòd in lege apertè scribatur aut pręcipiatur. Quartò, particularia quoq; eius rei exempla, passim ex scriptura afferre licet, sed vt multis supersedeam, certè propheta ille, 3. Reg. 13. vers. 8. contrà præceptum diuinum panem comedens, & ob hoc à Leone discerptus, contra traditum solum, non scriptũ verbum Dei egit. Hieremiæ quoq; 35. vers. 6. Rechabitæ, dum contra legem patris sui Ionadab, agere verentur, pœnamq; transgressionis timent, certè transgressionem traditæ, non scriptæ legis verentur, cum nusquam in scripta lege præceptum fuerit Rechabitis, vt iuxta suum institutum à vino abstinerent, & cultus illos obseruarent, sic enim habent illa verba; Et posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vini & calices, & dixi ad eos; Bibite vinum, * non bibetis vinum, eamq; legem sub pœna obligantem fuisse, verba infra scripta facilè demonstrant, cum paulò post additur, vt viuatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini, quibus satis significatur, Rechabitas illos, nisi parenti suo obtemperassent, diuinitus fuisse puniendos, at verò si obtemperassent, mercedis loco etiam vitæ diuturnitatem fuisse consecuturos.

*Qui responderunt non bibemus.

Omitto alia multa, quæ ad hanc rem comprobandam passim, ex scriptura afferri possent, suo loco, si tempus fuerit, afferenda.

Tertio loco, quod obiecit contra meum illud dictum, non omnes traditiones prohibitas esse, ex Deut. 4. hoc argumentum: qui iubet hoc tantùm facere, quod ipse præcepit, nec quicquam addere, is omnes additiones, cuiuscunque sint generis prohibet, at DEVS hoc tantùm præcepit facere, quod in lege scripta continetur; Ergò omnes omninò traditiones prohibet. Ita respondeo, distinguendo scilicet illam propositionem maiorem. Qui iubet hoc tantum facere, quod ipse præcepit, nec quicquã addere, is omnes additiones cuiuscunq; sint generis prohibet. Vera enim est hæc propositio, si prohibeat omnem omninò additionem, quæ quomodocunque à quocunq; fieri possit, & si determinatè illa tantum, nulla omninò alia, qualiacunque sint, à quocunque constituta aut constituenda facere præcepit. Verùm si quis

præcipiat,vt hoc tantum fiat,quod ipſe præcepit,nec quicquam addatur ab ijs, qui authoritatem legitimam non habent, aut addatur quidpiam, quod verbo Dei ſcripto repugnet,tunc is quoq, prohibet omnem omninò vlteriorem additionem, nego Maiorem propoſitionem; Atqui (reſpondendo ad Minorem) Deus præcepit hoc tantum facere, quod ipſe præcepit,nec quicquam addere, præcepit inquam eo loco, Deuter. 12. hoc tantum facere, de quo ipſe ibidem loquitur omnibus omninò alijs excluſis, quacunq; etiam authoritate deinceps ab alijs, vel potiùs à ſe per alios tradendis; nego Minorem, euidenter enim falſa eſt minor iſta, vt iam ſæpiùs demonſtratum eſt,cum alioquin ſecuturum eſſet manifeſtè, malè feciſſe Prophetas & Apoſtolos alioſq; magiſtratus aut ſuperiores ſynagogæ, aut Eccleſiæ, noua præcepta in ſcriptura canonica conſcribendo & proponendo, quod nemo ſanus dixerit. Reſtat ergo vt quod antea dixi, ſolùm prohibeatur, ne quicquam addatur, circa cultum religionis, à priuatis hominibus priuata authoritate, aut etiam à publicis, contra legem ſcriptam, & ne ſubditi ſynagogæ circa cultum diuinum aliquid faciant, quod ad id vſq; tempus,ſcripto Dei verbo non contineatur, idque tamdiu, quouſq; rurſus noua quædam præcepta à DEO illis diuinitùs traderentur. Firmum ergò & certum manet, quod Deus non omnem omninò additionem ad legem ſcriptam, de qua ibi eſt mentio prohibeat, & ſecundo quod DEVS in illo. Deuter. 12. cum ait, hoc tantum facito, loquatur ſolummodo de præceptis & legibus ad id vſq; tempus diuinitùs traditis,& prohibeat,ne vel contra legem illam ſcriptam,etiam à magiſtratibus, aliquid cõſtituatur,vel à priuatis, extra legem ſcriptam, aliquid non ſcriptum, circa diuinum cultum decernatur.

Quartò,quod idem Clariſſ. D.D.Hailbronn. admittendo quoque noſtram illam explicationem, qua diximus, nihil contrarium ſcripto DEI verbo addendum eſſe, aſſumpſit hanc argumentationem. Atqui veſtræ multæ traditiones catholicorum, ſunt contrariæ Verbo DEI ſcripto; ergò abijciendæ. Reſpondeo non id iam agi, vt explicetur,quænam traditiones catholicorum, ſint ſcripturæ conſentaneæ, quæ diſſentaneæ, ſed ſupponendo, quod nullæ omninò traditiones contra ſcripturam, ſint admittendæ, quæſtio eſt, an ex illo loco Deuter. 4. aut 12. probetur, aut probatum ſit, nullas omninò traditiones qualeſcunque ſint, quæ in ſcriptura expreſsè non contineantur, eſſe admittendas; ſuo verò loco, quando noua probatione aſſumpta conati fue-

rint

rint, demonstrare multas traditiones catholicorum, scripto DEI verbo repugnare, promptè & facilè respondebimus,

Iam probandi institutum incumbit Clarissimo D. Doctori, vt ex verbo DEI scripto, & quidem speciatim ex illis locis, Deuter. 4. 5. & 12. probet, quod non liceat quicquam omninò ad scriptum Dei verbum, qualecunq; id sit, & qualitercunq; fiat, addere.

Quintò, quod contra meam quoq; responsionem illam, qua dicebam, locum illum Deuter. 4. intelligi de subditis, ne quicquam ipsi scilicet sua authoritate extra scriptum DEI verbum constituant, quod inquam obijcit, etiam magistratibus illicitum fuisse addere ad scriptum DEI verbum, idq; multis exemplis scripturæ demonstrare conatur, nihil contra nos facit. In illis enim omnibus exemplis solùm reprehenduntur illi, qui contra, non qui extra verbum scriptum quomodolibet aliquid addiderunt. Neq; nos diximus tantum prohiberi subditis, ne quicquam suo arbitratu addant, sed etiam superioribus, ne omninò contra legem scriptam quicquam addant.

Sextò, quod dicebat, nullo exemplo probari posse, aliquos ob transgressionem legis non scriptæ punitos fuisse, superius iam satis refutatum est: Atq; ita satisfactum ad vtriusq; Domini Doctoris obiectiones.

SESSIO SEXTA.

1. Decembr.
21. Nouemb. Anno 1601.

A meridie.

In loco consueto.

D. Hailbronner recitauit, Veni Sancte Spiritus, & Pater noster &c.

D. HVNNIVS.

Responsurus ad ea, quæ prolixè hodie a D. D. proponebantur studebo breuitati, quantum fieri poterit, simul & perspicuitati. Omitto autem quæ vltrò citroq; sunt disputata, de quarto præcepto particulari, & de toto corpore legis Mosaicæ. Ea enim submitto dominorum Auditorum judicio. Inprimis vnum verè dicatur, quàm parùm probari possit, quod quartum præceptum Decalogi contineat cætera præcepta, tam parùm probari posse, quod verbum DEI *scriptum contineat omnia dogmata. Nunc igitur ad alia me accingo. Dixeram statum controuersiæ esse, num præter verbum Dei scriptum possit aliquod addi dogma, quod nec in scriptura extet, nec inde per validam consequentiam deduci queat. Respondit D. Doctor, mediante authoritate Ecclesiæ infallibili, omnia omninò fidei & morum decreta ex scriptura deduci posse. Quod splendidum sanè videtur pronunciatum. Videndum autem nunc, quomodo id intelligat. Affirmat Ecclesiam esse audiendam juxta illud, Matth. 18. Dic Ecclesiæ, si quis Ecclesiam non audierit &c. Hinc putat sic posse colligi. Ecclesia est audienda, quando pro authoritate sibi diuinitus concessa, etiam extra* DEI *verbum scriptum docet, aut decernit quidpiam in rebus fidei, dummodo id non sit scripto verbo* DEI *contrarium. Hanc sententiam opinatur applicari posse ad omnes suas traditiones. Sed respondeo, est paralogismus petitionis principij. Nunquam enim hactenus probatum est, quod vera Ecclesia vnquam talem authoritatem sibi datam agnouerit: contrarium verò nos probauimus, videlicet hanc ipsam authoritatẽ esse negatam veræ Ecclesiæ Christi, & ademptam prætensam illam in iudicando potestatem, id præsertim quod possit adijcere, amplecti & sequi, in negocio cultus & fidei, quod spiritus sanctus in scripto verbo non expressit. Vera enim Ecclesia agnoscit se esse adstrictam ad scripturam, Ephes. 2. superstructi estis &c. vera Ecclesia vnice audit vocem sponsi sui, nec ipsa diuer-*

sam vocem proponit, dicit Dominus Math. 28. ad Apostolos; docete eos seruare omnia quæ præcepi vobis. Quin & Paulus asserit, Roman. 15. non ausim loqui quicquam eorum, quæ non effecit Christus per me. Hoc primum est. Deinde textus Matth. 18. Dic Ecclesiæ, etsi hanc non audierit, &c. non agit de dogmatibus religionis, vel articulis fidei, sed de priuatis offensis, quas Ecclesia potest componere, & laborat hominem in viam reducere, non sine scriptura, mandando ei reconciliationem, sed ex scripto verbo, ad ineundam cum aduersario reconciliationem, admonendo. Hoc secundum est. Præterea esset hæc assertio latibulum omnium opinionum erronearũ, si enim quis causam quærit ex aduersarijs; vbi fundata est in sacris literis communio sub vna specie? Respondebit in loco, Matth. 18. Dic Ecclesiæ; vbi Purgatorium? vbi Inuocatio sanctorum? vbi peregrinationes ad statuas sanctorum? Respondebit contineri ista simpliciter in hoc dicto. Dic Ecclesiæ. Num verò talis argumentatio consistat, cognoscendum relinquatur omnibus Auditoribus.

Quarta limitatio quoq; inanis est, qua sibi caueri cupit Aduersarius, dum contendit, licere Ecclesiæ ex authoritate sibi concessa, noua dogmata proponere, extra scriptum verbum Dei; dummodo illa dogmata noua non sint contra scriptum verbum Dei. Est igitur hic Elenchus petitionis Principij, dum pro confesso sumitur, quod in controuersia est, posse videlicet non obstante expressissima prohibitione, de non addendo, nihilominus addi nouum cultum, præter & extra verbum scriptum, ita quidem, vt interim id dogma, & cultus verbo scripto non repugnet; Nam quia demonstratum est, scripto verbo omnem huiusmodi additionem nouorum dogmatum, & cultuum prohiberi, hoc ipso iam docetur contra verbum Dei, illas pugnare, id est, contra prohibitionem manifestam diuini verbi, quemadmodum & Christus Matth. 15. reijcit traditiones Pharisæorum, quantumuis illæ non videbantur scripto verbo palàm esse contrariæ. Nam eo loco dicunt ad Dominum Pharisæi, quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum, non enim lauant manus suas, cum edunt panem, Christus κατὰ βίαιον retorquet, interrogans, cur vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras? Et paulò pòst subijcit, hypocritæ rectè de vobis prophetauit Esaias, frustra me colunt docentes doctrinas, mandata hominum, & paulò post inquit ad turbas, non quod ingreditur in os, polluit hominem. Item, illotis manibus edere, non polluit hominem. Hæc ergo traditio de lauandis manibus ante sumptum cibum profecta erat à Seniorbus populi Iudaici, & gubernatoribus Ecclesiæ, quos Christus ipse in Cathedra Moysis sedere pronunciat. Matth. 23. & videtur hæc traditio non impingere in aliquod expressum scriptum verbum, nihilominus tamen, quia seniores illi & Doctores populi Iudaici

eam necessariò seruandam obtrudebant, sub eodem prætextu authoritatis, quàm & ipsi putabant Ecclesiæ diuinitus esse concessam; Idcirco Christus demonstrat in hoc & consimilibus exemplis, duo illa, præter & contrà, coincidere, vt quia præter scriptum verbum introducta fuerat ea traditio, Christus eam reijciat & damnet, tanquam scripto verbo Dei contrariam. Et quia hoc membrum accuratiore declaratione indiget, propter toties iteratam, sed non probatam cautelam aduersariorum, quasi videlicet possit aliquid sub ratione cultus aut dogmatis imponi Ecclesiæ, præter scriptum verbum, quod tamen non sit contra scriptum verbum. Nos similitudine rem illustrabimus, similitudine nempè Apostolica, Galat. 3. 4. de testamento hominis alicuius, cui Paulus apertè pronunciat, non licere quicquam superaddere. Eodem loco. Si ergò tale testamentum scribatur, & adijciatur clausula, quod contentis in testamento nihil debeat addi, nihil detrahi; alius autem addat quippiam, & obtendat, se quid addidisse, sanè præter literam scriptam testamenti, non tamen contra, certè si res in disceptationem veniat, pronunciabitur à iustis iudicibus sententia, contra ipsum, & dicetur ei; additamentum illud adiectum esse non modo præter, sed etiam contra claram literam clausulæ & prohibitionis in testamento assignatæ. Sic etiam quia præceptum & verbum Mosaicum scriptum, eandem clausulam prohibitionis expressissimè continet. Non facies, quod tibi bonum videtur, sed quod ego tibi præcipio, hoc tantum facies. Non addes quicquam, neq; diminues: Non dubito ex illustratione prolati exempli patere friuolam esse exceptionem, & inane effugium, quicquid in præsenti quæstione de particulis præter & contra, ab aduersa parte profertur. Hanc responsionem confirmat ipse Paulus Apostolus, Gal. 1. si quis aliud Euangelium annunciauerit præter id, quod prædicauimus vobis, non dicit contra.

Deniq; vt ex superabundanti constet, aduersariorum traditiones non scriptas, quæ quidem attinent dogmata & articulos fidei, esse etiam contra scriptum DEI *verbum, parati sumus, quamprimùm catalogus nobis exhibebitur, earum traditionum; ad oculum id per Dei gratiam demonstrare, hac vice vno duntaxat exemplo rem declarare libet.*

Traditio de subtrahendo calice Laicis in Eucharistiæ sacramento, non modo præter, sed planè contra clarum & expressum Christi instituentis verbũ est, cũ inquit & mandat. Bibite ex hoc omnes, adiecta particula vniuersali; quod pceptũ non solis sacerdotib. datũ est, sed etiam Laicis, aliàs nulla prorsus cœna seu Eucharistia esset instituta pro Laicis, quandoquidem Christus non ita distinxit, vt diceret priorem quidem partem cœnæ Dominicæ, *pariter ad laicos & clericos*

clericos pertinere, posteriorem de poculo, ad clericos tantum, neq; huius distinctionis vllus Euangelista, vt nec Apostolus Paulus, 1. Corinth. 11. meminit, sed contrarium potius manifestissimè definiuit: aut ergo tota Eucharistia pro Laicis etiam est instituta, aut tota pro eis instituta non est, & sic neq; prior cœna dominicæ pars. Deuenio iam ad locum Exodi. 34. descriptum, ex quo probaueram, Moysen quoq; licet Ecclesiæ Iudaicæ gubernatorem & præsidem, fuisse alligatum ad præceptum Domini, de non addendo, quia nimirum dicatur Exod. 34. dixitq; Dominus ad Moysen; scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Israel pepigi fœdus. Idcirco Moysen ratione huius fœderis ad obseruationem omnium sermonum & præceptorum astrictum fuisse; & proinde etiam ad hoc mandatum, non addes quicquam, neq; minues: Quæstio nunc inter me & D. D. Aduersarium incidit, de quibus præceptis particula hæc (scribe verba hæc) sit intelligenda. Nos iudicem nobis deligamus Moysen ipsum. Textus ergo sic habet dixitq; Dominus ad Moysen, scribe tibi verba hæc, quibus tecum & cum Israel pepigi fœdus: Quæritur iam, quando & vbi fœdus illud Dei cum Moyse sit initum, vt constare queat, super quibus verbis initum sit illud fœdus. Ad hanc quæstionem iterum atq; iterum Moyses ipse respondet cap. 24. Exod. Nam postquam Moyses vniuersos sermones Domini in volumen redegerat, & scripserat, additur ibi, quod dimidiam partem sanguinis immiserit in crateras, partē autē residuā fuderit super altare, assumensq; volumen fœderis, legerit audiente populo, qui dixerint. Omnia quæ dixerit Dominus, &c. tūc Moysen sumptū sanguinem respersisse in populum, & dixisse, hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum, super cunctis sermonibus his. Sicut ergò Moyses tanquam legatus Dei, & veteris illius testamenti mediator, Gal. 3. pronunciat, Vobiscum, id est cum populo fœdus illud initum: Ita ne Moyses se inde eximeret, sub prætextu superioris cuiusdam potestatis, idcircò Dominus altero cap. 34. nimirum, hunc nodum secat, apertè testificans, quod ipse Dominus pepigerit fœdus illud cum Moyse, pariter & cum Israel. Super quibus verò verbis, nimirum super integro volumine Moysis, in ea fœderali actione sanguine respersо: atq; sic perstat inconcussum, quod Moyses ad totius voluminis a se scripti obseruationem, non minus quam ipse populus fuerit alligatus, & proinde quod iuxta clausulam sermonibus Domini adiectam, ipse quoq; nil debuerit vel addere, vel diminuere.

Iam quod attinet sacerdotes filios Aaronis, Nadab & Abiu, puniti illi sunt, cum partem scriptum verbum Dei offerrent igne alieno, hoc quidem conceditur, scripturam de non offerendis sacrificijs igne alieno, ex occasione casus istius exitij nimirū Nadab & Abiu, postea fuisse consignatam, præcessit vero nihil-

hilominus non scriptum aliquod verbum, sed historicum factum, Leuit. 9. descriptum, quod videlicet apparatis iam & super altare positis victimis & sacrificijs, ignis cœlitùs delabens consumpserit victimas, & holocausta, qui ignis ita deuocatus cœlitus, non extinctus deinde est, sed perpetuò mandabatur fouendus, quod ipsum tamen mandatum, Leui. 6. traditum non expressè ad ignem cœlitùs deijciendum, sed simpliciter & sine mentione miraculosi ignis ad ignem accendendorum sacrificiorum pertinet. Porrò distinctione quadam vtitur D.D. nunquam tamen probata, quod magistratus superior, vt priuata quidem persona, astringatur ad obseruationem illius præcepti, Deuter. 12. non autem quatenus sit persona publica, quam ad rem nominauit D.D. non modò Sacerdotes, sed etiam Reges. Quod ergò Regibus obseruatio stricta sermonum Domini præscribatur, non tantum prout sunt personæ priuatæ, sed planè vt Reges sunt, docemur Exodi 17. cap. Deuteron. verba sic habent; postquam autem sederit Rex in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium Legis huius, in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ. Hic agitur de persona publica & quidem in quantum est publica. Er sol die Bibel sein lebenlang lesen. Hoc dictum deijcit & euertit distinctionem productam ab aduersa parte, & luculentissimè confirmat Regibus, in quantū sunt Reges & in solio Regni sedent, iniunctam & mandatam esse sacrorum Bibliorum seu voluminis Mosaici lectionem. Idem confirmatur exemplo Principis aut Ducis Israël. Iosue, cui in ipsa ordinatione diuina, qua constituebatur Israëlitici populi Dux, præceptum a Domino est, vt à lege scripta per Moysen tradita, nec ad dextram, nec ad sinistram declinet. Ergò hic quoq; locus introducit nobis Iosuam, non vt priuatam personam, sed vt populi Iudaici Ducem, ratione officij. Et ne de Sacerdotibus aliqua exceptio insinuetur, notandum est, quod Iosaphat post. lib. Paralip. Capit. 19. Leuitas quoque & Sacerdotes ad Moysis legem in omni decisione quæstionum obliget & remittat, Locum legit.

Hic quoq; locus introducit Sacerdotes non vt homines priuatos, sed in quantùm Sacerdotes erant, & sacerdotali munere in decisione controuersiarum fungebantur.

Citatus fuit etiam locus Deuteron. 17. vbi de Sacerdotibus dicitur, quod qui iudicio eorū stare noluerit, occidendus sit. Et hunc locum pro asserenda illa imaginaria authoritate Ecclesiæ infallibiliter ꝓponendi dogmata, & cultus etiā extra scriptum verbum produxit Aduersarius: Sed quod ista allegatio sit inconueniens, non modò superioribus diebus abundè commonstratum est, verum etiam ipsa lectio diuersum planè euincit, quando nimirum additur. Et fa-

ties quodcunq; dixerint tibi; iuxta legem. Itaq; in hodierna allegatione huius loci, particula huius, & docuerint te iuxta legem, eius nulla facta mentio est, vt omissa ea particula, aduersarius eò expeditius suum institutum tenere posset, quasi nimirum Sacerdotibus huiusmodi concessa fuerit potestas, vt si quid etiam præter legem scriptam annunciarent, nihilominus in ea sententia simpliciter acquiescendum fuerit. Id verò à sacra scriptura minimè insinuari, docet euidenter particula hodiè prætermissa; quando Sacerdotes Dominus strictè alligat ad legem suam scriptam, adeoq; non nisi, quando secundum legem pronunciarent, obtemperandum illis fuit.

Vltimò agitatus iterum fuit locus Deuter. 12. hunc in modum; Probaueram ego per illud præceptum, cui Dominus nihil adijci vult, nihil demi designari non particulam duntaxat quandam doctrinæ Mosaicæ, sed vniuersas eius partes simul comprehensas, idq; euici, ex 28. vers. cohærente & connexo cum 32. vers. de cuius intelligentia disceptatur. Legitur autem in 28. vers. hunc in modũ; Obserua & audi omnia, quæ ego præcipio tibi; neq; valet cauillum de verbo præsentis temporis, quandoquidem frequentissimum est, vt scriptura, quando loquitur de DEO, cui nihil præteritum vel futurum, sed omnia vno complexu præsentia, loquatur verbis præsentis etiam temporis; Deus enim quæ præcipit, ea in futurum quoq; obseruanda sancit: Agitur verò hic de dogmatibus & articulis doctrinæ & fidei. Et quandoquidem loca Mosaica, Deuteron. 4. 5. 12. ita sunt comparata, vt circa quæstionem de traditionibus dogmaticis verbo scripto forinsecus adijciendis, clarissimam decisionem nobis subministrent, non dubitabo, quin ea omnes atq; singuli Domini Auditores diligenter notauerint, & animaduerterint, nihil contra hucusq; solidè vel responsum, vel etiam responderi in æternum posse. Et quia particulam vniuersalem; Omnia, in vers. 28. 12. cap. Deuteronom. D. Doctor opponens, ad ea tantum retulit, quæ DEVS tum præcipiebat, & quia adiecit falsum esse, quod eo loco & versiculo, omnium præceptorum Domini mentio fiat, ideò notandum est, ad quam absurditatem hoc suo pronunciato impingat Aduersarius. Dicit Dominus; obserua, & audi quæ præcipio tibi omnia, &c. Hanc sententiam, si quis non de omnibus intelligeret, sequeretur, quòd Israëlitæ; cætera non deberent obseruare. Quod quia absurdum est, necessariò ad euitandum illum absurditatis scrupulum, fatendum est, omnia præcepta Domini, quæ Moysi & Israëlitis mandauerat, eo in loco commendari obseruanda, quibus nihil addendum, nihil detrahendum sit, & nec ad dextram, nec ad sinistram deflectendum.

D. IAC. HAILBRONNER.

Quia

Quia raucedine impedior, scripto dabo ad Protocollum meam responsionem.

D. TANNER.

Mallem vt cras vel alio tempore palàm obijciat mihi D. D.

Idem.

Multa quidem contra responsiones, hodiè à me allatas circa loca illa, Deut. 4. 5. 12. rursum in medium prolata sunt à Clariss. D. D. Hunnio, sed quæ, quantum ad propositum quidem attinet, paucis expediri possint, vt paulò post declarabo. Illud tamen quia de locis illis toties obiectis, & eorum sensu tota controuersia est, ipsiquè aduersarij vniuersum aut saltem principale fundamentum contra traditiones Ecclesiasticas in eiusmodi locis scripturæ, malè tamen intellectis, situm habent, illud inquam tantum nunc à Dominis Aduersarijs peto, vt quandoquidem satis de eiusmodi locorum intelligentia à me multa dicta, & ad calamum dictata sunt, nunc prætermissa scriptitatione, palàm mecum manus conferant, quænam eiusmodi locorum vera sit intelligentia; paratus deinceps eiusmodi collatione amicè peracta, ad ea quæ rursus obiecta sunt, separatim quoq; respondere, & responsum ad calamum dictare.

D. HVNN.

Placet oblata conditio hactenus, quod paratus sim, tecum manus conserere, ita tamen vt propter Protocollū, cuius non minima habenda ratio est, ea quæ propones ad calamum dictes. Ita enim habent leges, tardè esse proferenda omnia. Extra illos cancellos, non me ad aliam rationem potes adigere. Nec mihi integrum est, nisi ad calamum dictes, tecum ita contendere.

D. TANNER.

Quia intelligunt omnes, non posse ista ratione, ad veritatis inquisitionem perueniri, facilè apparet, excellentiam vestram subterfugere cognitionē veritatis, & obtestor te per iudicium Dei, vt acquiescas.

D. HVNNIVS.

Non defugio cognitionem veritatis. Appello ad Principes, &c. Ideo enim publicè huc cōparui, vt tester de veritate, protestādo publicè de hac iniuria mihi illata. Totius Imperij oculi in hunc actum sunt defixi. Ego figam tibi pedem, & faciam, vt intelligas, mihi non deesse facultatem respondendi: modo responsiones dictentur ad calamum.

D. TANNER.

Itaquè quandoquidem nulla ratione adduci potuit Clariss. D. D. Hunnius, vt circa intelligentiam supradictorum locorum scripturæ, extra molestam & parum vtilem eiusmodi dictationē, amicè mecū disceptet, sic iam ordine, sed breuiter tamen ad eius obiectiones respondeo. supponendo prius, me iam hoc loco respondentis, non opponentis partes tenere; quo posito, varia quædam absurdè dicta ab eo apparent, primū, quòd sæpius repetiuit, me in meis responsionibus comisisse iterum iterumquè paralogismum petitionis Principii; hoc absurdè dictum omnes intelligunt, cùm palàm sit, respondentem nunquā principiū petere, sed argumentantē. secundū, quòd etiam sæpius, & inaniter à me multa repetita asserit, cum omninò repeti responsiones debeant, quoties idem argumentum obijcitur. Tertium, impertinens quoque est, quod traditionem illam de communione sub vtraque specie aggressus, illam scripto Dei verbo contrariam asserit. Cum enim hoc per se alioquin falsum sit, est quoq; ad præsens institutum impertinens: probandum incumbebat Domino Aduersario, quod in illo loco Deuter. omnes omninò traditiones extra scripturam sint penitùs prohibitæ; suo autem loco si tempus & occasio fuerit, parati sumus, tum de hoc ipso articulo fidei, tùm de alijs disputare. Interim nos ipsos paratos offerimus, etiam extra hanc disputationem; priuatim quocunquè loco, vel de hoc, vel similibus articulis, quibuscunquè præsentibus, ad Catholicæ veritatis manifestationem respondere. Quartum, malè mihi illud tribuitur, & falsò, quasi scilicet dixerim; quòd Reges aut Sacerdotes veteris legis nòn fuerint adstricti ad obseruationem legis scriptæ, hoc sanè nunquam à me auditum est: Sed id nempè est, quòd in quæstionem venit; quis nam sit ille sensus verborum Deuter. Non addetis, &c. an etiam secundum omnia sua membra, quæ continet, ad Reges quoq; pertineat, certum interim manet; quòd legibus scriptis; Reges non minus quàm subditi teneantur. Istis sic breuiter dictis; vtpote quæ confutatione nulla indigent, ad alia quæ adhuc superesse videntur ita breuiter quoque respondeo.

Primò, prolatus est locus ille, Ephes. 2. Ædificati estis super fundamenta Apostolorū, &c. quo probare conabatur Aduersarius, omnem omnino potestatem Ecclesiæ * noua quædam præcepta cultus constituendi extra scriptura; sed prorsus ad hoc institutum locus hic imper-

* deesse nouā

tinens

tinens est: solùm enim dicit, ædificatos nos esse super fundamenta Apostolorum; atq; adeo fundamentum structuræ Ecclesiasticæ esse doctrinã apostolicam, non determinando ad scripturam. Dicit enim ædificatam super fundamenta Apostolorum, Prophetarum, non super scripta Apostolorum & Prophetarum.

Secundò, tametsi etiam de scriptis Apostolorum & Prophetarum expressè loqueretur; illud tamen duntaxat ex hoc loco colligeretur, niti quoq; structuram Ecclesiasticam doctrina Prophetarum & Apostolorum scripta, minimè tamen excluderetur doctrina eorum non scripta; cum alioquin satis ex scriptura pateat, non idem, sed varia Ecclesiæ fundamenta esse, cum iam quidem Christus petra & fundamentum, iam Apostoli, iam Prophetæ dicantur fundamentum Ecclesiæ.

Locus autem ille Rom. 15. Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Christus: nescio sanè quid ad institutum facere possit. Dicit enim Apostolus Paulus, non audere aliquid loqui eorum, quæ per se non effecit Christus, quod si faceret falsum sanè diceret, si quis ergo colligat, Apostolus dicit, se non audere falsum dicere, ergò scriptũ DEI verbum est vnica norma omnium controuersiarum. Quis non videt absurdam hanc consequentiam?

Tertiò quod meam illam explicationem, qua ad Deuter. 4. dixi, prohiberi tantum ibi additiones ad verbum Dei scriptum, aut quæ ei contrariæ sint, aut quæ à priuatis priuata authoritate circa cultum diuinum constituantur, quod inquam ad hanc responsionem obijcit, etiã traditiones quasdam, quantumuis verbo Dei non contrarias, à Christo reprehensas esse, vt probare vult ex illo Matth. 15. vbi Christus traditiones quasdam Pharisæorum, & in specie de lauandis manibus ante cibum tanquam inanes reprehendit. Respondeo primò, traditionẽ illam de lotione manuum, non simpliciter & absolutè reprehendi, sed quatenus propter eam violatur lex diuina, vt colligitur ex illis verbis: Transgredimini mandatum DEI propter traditionem vestram. Deinde si hæc quoq; traditio apertè reprehensa fuisset, nihil tamen hinc colligi posset, ad Ecclesiasticas traditiones refellendas, seu ad probãdum, quod nulla omninò præcepta, ad cultum diuinum spectantia præter ea, quæ in scriptura expressè continentur ab Ecclesiæ prælatis tradi possint. Nam traditio illa de lotione manuum merè humana erat, & humana authoritate etiam ab iis qui leges constituendi potestatem non habebant, nempè Scribis & Pharisæis tradita. Vbi notandum, quòd Scribæ & Pha-

risæi, quatenus quidem Scribæ & Pharisæi erant, non erant caput propriè, & Magistratus populi Israëlitici, sed velut iam in Ecclesia Doctores, aut interpretes verbi diuini &c. aut alioquin certæ alicui cæremoniæ addicti: Itaque vanum est, quod Dominus Aduersarius dixit, ex eiusmodi scripturæ loco & Christi reprehensione colligi posse, quod verba illa, præter & contra legem scriptam prorsus & simpliciter & in omnibus coincidant in proposita materia, quasi vnum & idē sint; Est quidem verum, vt alibi explicabitur, aliquando (præter) in scriptura significare, contra, sed hoc non est vniuersale, & minimè ex scriptura probari potest, quod in proposita materia, præter & contra, vnum & idem sint.

Tertiò, adductus est ille locus S. Pauli. Galat. 1. si quis aliud Euangelium &c. Qui locus facilem habet explicationem, nec ad institutum probandum quicquam valet, solus enim anathema dicitur ille, qui aliud Euangelium, atque adeò contrarium promulgato vel dato Euangelio annunciare ausit; vbi etiam particula illa, præter, seu παρὰ, vim habet vocis contra, quod etiam SS. Patres interpretantur; & rursus simili modo accipitur Rom. vltimo, vbi Apostolus monet Romanos, vt obseruent eos, qui dissidia & scandala, præter doctrinam, quam didicerint, faciant; Clarum enim est hic, præter significare contra, cum vtiq; dissidia & scandala, non sint tantum præter, sed contra verbū Dei. Vbi etiam similiter, vsurpatur particula illa παρὰ. Et Erasmus quoq; vertit contra.

Quartò, quod rursus redeundo ad illum Deuter. locum 4. dicit satis ex illo capite. vers. 34. probari, quòd verba illa, hoc tantùm facito, referantur ad vniuersam legem scriptam. Rursus sine probatione vlla probabili asseruit, dixit secuturum alioqui esse illud absurdum, nisi verba illa, vers. 34. atq; adeò etiam vltimum hoc tantùm, intelligantur de vniuersa doctrina scripta, secuturum esse, quòd alioqui Israëlitis liceat reliqua præcepta præter illa, ad id vsq; tempus, quo hæc in Deuter. scriberentur, tradita, non obseruare; quasi verò non hodiè apertè dixerim, ex isto quidem præcisè loco Deuter. 4. vers. 34. non colligi, quòd alia quoq; præcepta, deinceps tradita sint seruanda, sed colligi tamen ex alijs scripturæ locis. Vnde apparet, non satis bona fide D. D. meam eiusmodi responsionem dissimulasse.

Quintò, quod ad explicationem illam seu allegationem Deuter. 17. à me

117. à me factam, qua scilicet dixi qui non obedierit Sacerdotis imperio &c. dixit, à me malè dissimulatam esse particulam illam superiorem, juxta legem. Inaniter dictum est: Certum enim est, quod in illa periodo, quam citaui, verba illa minimè addantur: Qui autem superbierit &c. Legit verba. Deinde quamuis particula illa juxta legem, præcesserit, & commodè quoque ad periodum à me citatam referatur, minimè tamen inde probari potest non potuisse Sacerdotes veteris legis, aliqua ad cultum diuinum spectantia, etiam in lege scripta alioquin expresse non contenta constituere; sed hoc solum sequitur, non potuisse illos constituere, nisi juxta legem, atque adeò nihil contra legem, & repudianda esse illa, quæ contra legem apertè statuta essent, non illa quæ quoquo modo extra legem. Neque rursus etiã illud ex eiusmodi particula colligi potest, potuisse, aut debuisse subditos veteris legis, decreta & constituta suorum Pontificum discutere, in dubio, an recta essent, an legi contraria, si enim hoc ita esset, cuilibet sanè proteruo & contumaci facilè fuisset sacerdotis imperium declinare; Verba ergo illa juxta legem non [illegible] aut conditionem sonant, quasi videlicet summi Sacerdotes veteris legis ex cathedra docentes, in rebus dubijs falli & errare potuerint, & si quidem errarent, non audiendos, si conformiter legi docerent, audiendos; sed assertionem continent verba illa: Significant enim sacerdotes, vtpote diuina gubernatione gubernatos, in quæstionibus fidei dubijs, non nisi juxta legem, sententiam prolaturos.

Sextò. Quod ex similitudine quadam, ex epistola ad Galat. allata conficere nitebatur, nihil prorsus licitum esse addere à quocunque etiam, verbo DEI scripto, hoc argumento. Testamento nihil prorsus licet addere: Lex scripta testamentum est: Ergò legi scriptæ nihil prorsus licet addere. Id clarè refuto. Verum enim omninò est, testamento nihil posse addi, quod scilicet ipsi testamento inseratur, tanquam à testatore constitutum: attamen nihil prorsus obstat, quò minus testamẽto liceat addere quasdam compositiones, voluntate testatoris extra testamentum, aut in peculiari legato, aut certo quodam fidei commisso constitutas. Itaq; retorquendo similitudinem hanc, quemadmodum, tametsi in testamento, Testator disertè cauerit ne suo testamento quicquam addatur, licitum est nihilominus extra testamentum illud & constituta testamenti, certas quasdam alias dispositiones exequi, aut viua voce, ab ipso Testatore, aut alteri etiam alicui

com-

commissas: Ita quoq; non obstante hoc, quod expresse DEVS cauerit, ne suo testamento, legi inquam scriptæ quicquam addatur, rectè nihilominus fieri potest, vt quædam ex eiusdem DEI voluntate, & peculiari commissione, viua voce accepta, certæ quædam dispositiones, sint obseruandæ & executioni mandandæ. Res hæc est clarissima omnibus. Vltimò ad exemplum Nadab & Abiu rursus obiectum denuò respondetur eiusmodi factum non tantum fuisse præter, sed etiam contra legem Dei, aut scriptam, aut quod pro nobis melius facit, traditam: contra quam responsionem hodie datam, nihil de nouo attulit, nec adferre potuit D. D. Hunnius. Peto me de prætermissis amicè moneri. Illud video superesse nempè Matth. 18. locum illum; Dic Ecclesiæ &c. ad quem locum hodiè à me propositum respondit, locum illum solummodò loqui de priuatis offensis, non de dogmatibus. Ego verò meliori vtiq; fundamento vniuersim assero, locum illum, qui Ecclesiam &c. generatim de omnibus omninò decretis Ecclesiæ loqui. Primò enim verba textus sunt pro me, cum sint generalia. *Quicunq; &c. Deinde ratio quoq; id conuincit. Nam alioqui sequeretur aut non esse in Ecclesia, ad quem controuersiæ illæ grauissimæ de cultu religionis & dogmatibus referri possint, quamuis sit, ad quem referantur controuersiæ longè leuiores; aut si est quidam in Ecclesia Iudex, ad quem controuersiæ illæ grauissimæ referri debeant, decretum eius & constitutum in rebus illis grauissimis repudiari posse, in alijs leuioribus non posse; cum præsertim etiam aliundè constet Ecclesiam à S. Paulo absolutè pronunciatam esse columnam & * fundamentum veritatis, vt alibi Deo volente, suo loco fusius demonstrabitur.

*quæcunq;

* firmamentum.

D. HVNNIVS.

Omissis parergis ad ea respondebo breuiter, quæ ad rem pertinent. Dixi aliquoties D. D. respondentem, in suis responsionibus commisisse paralogismum petitionis principij, hoc putat absurdè a me dici, cum ipse respondentis partes sustineat, ad id breuiter respondeo. Paralogismus petitionis principij, in Dialecticis est, quando ineptè pro confesso sumitur, quod in controuersia est. Iam D. D. sæpissimè protulit, vel assertiones, vel distinctiones affirmatiuas, quas ne conatus quidem est probare, cum quidem affirmanti incumbat probatio, quantumuis respondentis officio fungatur,

Deindè absurdè me disputasse contendit, quod toties idem argumentum obiecerim, ad quod tamen ipse responderit. Quia verò Auditores intellexerunt,

non

non pertinentia, sed aliena prorsus, ab ipso contra firmas meas rationes allata, idcircò nuda hac accusatione non existimo quenquam motum iri.

Tertiò, impertinenter ait productam à me traditionẽ de communione sub vtraq; specie. Respondeo, non ego, sed ipse huius producendæ traditionis ansam subministrauit, quando toties gloriatus est, Ecclesiam suam traditiones in dogmatibus extra scriptum verbum commendare quidem hominibus, eas verò non esse contra scriptum Dei verbum; quam ipsius exceptionem, argumento illustri confutari, & iugulari oportuit, quod & factum est, ex irrefragabili mandato Saluatoris, Bibite ex hoc omnes, & demonstratum, laicos aut sub hac posteriore parte cœnæ de poculo siue calice etiam teneri inclusos: aut à priore etiam parte cœnæ Dominicæ secludendos esse, siquidem Christus in prima illa cœna, non pro vno duntaxat ordine populi Christiani, sed pro vniuersa sua Ecclesia omnium ætatum & sæculorum, formam & normam huius Sacramenti instituere voluit, ita vt non aliud sacramentum instituerit pro laicis, aliud verò pro clericis, quod ex connexione vtriusq; partis Eucharistiæ liquidissimè apparet, quæ à se inuicem nullo prætextu distrahi aut separari possunt; hoc ad tertium.

Quartò dicit, malè illud sibi à me tribui, quasi dixerit, Reges aut sacerdotes veteris testamenti, non fuisse astrictos ad obseruationem legis scriptæ, quòd à se dictum nunquam sit, sed id esse in quæstione quis sit ille sensus locorũ Deuter. an etiã secundum omnia sua membra ad reges quoq; pertineat; certum interim manere, quod legibus scriptis, reges non minus quàm subditi teneantur. Ad hoc respondeo, dictũ esse à D.D. & allatam distinctionem, quoad Reges & sacerdotes, quòd ipsi quoq; ratione suæ priuatæ personæ teneantur astricti legi sacræ, ratione verò sublimis sui officij, vel Regij, vel Sacerdotalis, non ita teneri astrictos, ad præcepta de non addendo, quia possint extra scriptum Dei verbum, dogmata vel partes cultus instituere, in verbo DEI non expressas, dũmodo illa, vt inani sua cautela prouideri sibi cupit, verbo scripto non sint contraria. Ego verò vicissim ex loco Deuter. 12. & cap. primo lib. Josue, post. Paralip. 19. palam ostendi & euici, hos limites, cancellos, atque terminos, qui in locis Deuter. 4. 5. 12. circumscribuntur, Reges etiam, Principes, & Sacerdotes continere, quod humili erga DEVM reuerentia agnoscunt pij Reges, Principes & Sacerdotes, neque est, vt de sensu locorum Deuter. fusius agatur. Ista namq; verba planum & indubitatum sensum per sese reddunt, quod videlicet præceptis & sermonibus Domini per Moysen scriptis, nec Moyses ipse, neq; Reges, neque Principes, neq; Sacerdotes, neque vlli præfecti, aut gubernatores Ecclesiarum, quicquam superaddere per pietatem possint, præsertim cum verba per se clarissima & heri & hodiè toties repetita sint.

Ad locum Ephes. 2. dicit, me probare conatum, omnem omninò potestatem Ecclesiæ noua quædam præcepta & cultus extra scripturam constituendi, derogari. Interim obijcit, ad institutum præsens, esse impertinens, siquidem Apostolus hoc tantum confirmet, ædificatos nos esse super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, & fundamentum illud esse doctrinam Apostolorum, non determinando ad scripturam. Respondeo, Paulus loquitur de ea Ecclesia imprimis, quæ tum per omnem gentium orbem, prædicatione Euangelij colligebatur. In nouo testamento ea Ecclesia Prophetas voce loquentes audire minimè potuit, vtpote pridem hac mortali vita defunctos. Cum igitur Ecclesia Dei etiam noui testamenti superstructa sit super fundamentum, non modo Apostolorum, sed etiam Prophetarum, & verò Prophetæ, eo tempore non nisi in scriptura sua exaudiebantur, omninò existimo, neminem esse, qui hanc inuictam & immotam solutionem, de fundamento scripturæ Propheticæ & Apostolicæ vel impertinentem, vel etiam falsam pronunciare audeat, nam illa coniunguntur in textu.

Deinde certissimum est, Ecclesiam non modò tempore Apostolorum florentem, super fundamentum Apostolorũ esse ædificatam, sed totius noui testamenti Ecclesiam, ad nouissimum vsq; diem, nos verò qui hac ætate viuimus, non certè Apostolos audimus viua voce prædicantes, & nihilominus superstructi sumus super fundamentum Apostolorum, ratione scripturæ, ratione doctrinæ, quam suis scriptis tradiderunt Ecclesiæ, & ad omnem posteritatem propagarunt.

Incidit mihi insuper aliquid quippiam, quod ad refutationem solidissimã pertinet. Id extat Rom 16. in conclusione eius Epistolæ, quæ sic habet. Ei autẽ qui potens est vos confirmare juxta Euangelium meum, & prædicationem IESV Christi, secundum reuelationem mysterij, temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni DEI &c. Hic apparet, quod Ecclesia superstructa sit fundamento doctrinæ Propheticæ, ratione scripturarum Propheticarum, juxta indubitatam assertionem D. Apostoli Pauli; Et proinde falsissimum est, quod D. Aduersarius locum Apostoli, ad prædicatum ferè duntaxat verbum restringit, quamquam interim ex abundanti voluerit colligere, si maximè Apostolus loqueretur de scriptis Prophetarum & Apostolorum, illud tantum sequi, quòd doctrina scripta sit fundamentum, minimè verò excludi doctrinam non scriptam. Ad quod sic distinctè respondeo; doctrina Apostolorum & Prophetarum, licet eadem numero sit, diuersum tamen ratione prædicationis & scriptionis sortiri respectum, proinde nos doctrinam Prophetarum & Apostolorum olim voce viua prædicatam, minimè omnium secludimus, sed dicimus eandem, ratio-

ne omni-

ne omnium dogmatum, & articulorum fidei, integram, plenam, perfectam, cunctisq; suis partibus & numeris absolutam, in scripta Prophetarum, Euangelistarum, & Apostolorum esse relatam. Interim secludi dicimus traditiones, quæ præter illud scriptum verbum forinsecus adijciuntur, vt nimirum scripti verbi diuini defectus, quem aduersarij sibi imaginantur, assumento eiusmodi traditionum suppleatur. Quod autem dictum est, varia habere Ecclesiam fundamenta, nam interdum Christum appellari fundamentum Ecclesiæ, interdum Apostolos & Prophetas, non hoc negamus, rectè intellectum, sed ad præsentem causam nihil quicquam pertinere diximus, scimus Christum solum esse vnicum fundamentum Ecclesiæ, ratione personæ & officij, sicut scriptum est 1. Corinth. 3. fundamentum aliud nemo ponere potest &c. quod fundamentum est Christus, Actor. 4. & Petrus 1. Epist. 2. cap.

Deinde vero quod attinet ad Apostolos & Prophetas, dicuntur hi fundamēta, Apocal. 22. non ratione personarum suarum, sed doctrinæ ratione, sicut iam est expositum.

Progredior ad locum Rom. 15. quærit Dominus opponens, quid is ad institutum faciat, respondeo plurimum. Nam si Apostolus qui in tertio cœlo vidit in gloria filium DEI IESVM Christum, & ab eo suum Euangelium accepit, non audet gloriari de huiusmodi superioritate vel authoritate, statuendi quicquam in rebus fidei, præter id quod Christus in ipso efficit & operatur, quantò minus Pontifices Romani, qui Apostolo Paulo infinitis vicibus sunt inferiores, vt & reliqui præfecti & Prælati Romanæ Ecclesiæ, huiusmodi sibi authoritatem & superioritatem vendicare, & arrogare debent, statuendi & decreta faciendi, in rebus fidem, cognitionem DEI, & æternam salutem attinentibus, extra & præter vocem Christi scripturam nimirum sacram.

Quod insuper regerit D. D. suam explicationem super locum Deuter. 4. referri ad eas tantum additiones ad verbum scriptum, quæ verbo scripto contrariæ sint, aut quæ à priuatis priuata authoritate circa cultum diuinum constituantur, satis hoc superque confutatum est, & ostensum in hac quæstione particulas, Extra & præter, idem sonare, ratione sensus, quod contra verbum, quia contra manifestam prohibitionem in scripto verbo reuelatam, sunt.

Ad locum Matth. 15. quod attinet, vbi examinatur traditio Pharisaica, de lotione manuum, ante sumptum cibum, dicit, non simpliciter & absolutè eam reprehendi, sed quatenus propter eam violatur lex diuina.

Certum autem est, Saluatorem ideò Pharisaicam illam traditionem reprobare, non tantum, quia pro suis traditiunculis superstitiosè obseruandis, nō poterant commodè deuenire ad obseruationem mandatorum Dei, sed etiam reprobare pharisaicam illam traditionem, propter annexam opinionem necessitatis & cultus, & opinionē quidem necessitatis refellit Christus, quando instituit populum, non quod in os ingreditur, contaminare hominem, sed quod ex ore egreditur: opinionem verò cultus, quam Pharisæi suæ traditioni assuerant, reprehendit & damnat testimonio Esaiæ: frustrà me colunt, & quòd ostenditur eam traditiunculam non ab his, qui in authoritate cathedræ erant, fuisse profectam, est id manifestè falsum. Certum enim est & textus indicat, nominari traditionem seniorum per quos non tantùm eo capite, verumetiam cap. 5. Matth. doctores, præfecti et gubernatores Ecclesiæ Iudaicæ notabantur. Quod autem dicit D.D. eam traditionem non fuisse diuinam, sed humanam, suæ verò Ecclesiæ Pontificiæ traditiones diuinas esse, non humanas, iterum committit Paralogismum petitionis principij. Poterant enim seniores Iudaicæ Synagogæ, sacerdotes, Pharisæi, & Scribæ, non minùs iactare, suam hanc traditionem esse diuinam, quippe publica authoritate constitutam. Et miror ego, cur hac in parte reijciat D.D. Pharisæos & Scribas, cum tamen superioribus diebus dictum sit, quod adhuc Matth. 23. Scribæ & Pharisæi sederint in cathedra Moysis, ita quidem vt præcipiat Dominus audire eos, & facere secundum ea, quæ ex Moyse proponebant. Quomodo igitur assertio D.D. cum superiorū dierum assertionibus conciliari queat, ipse viderit. Est verò & hoc erroneum, quod per seniores, Matth. 15. non Sacerdotes ipsi intelliguntur. Constat enim Sacerdotes quoq; approbasse illas seniorum traditiunculas, imò fuisse ex collegio seniorum illorum, Ioan. 1. & alibi.

Quod obiecit D. D. non reprehensas esse Sacerdotum traditiones, quatenus essent Sacerdotes, est istud quoq; apertissimè erroneum.

Ioan. 10. dicit Dominus de Doctoribus populi, à sua, Christi scilicet doctrina dissentientibus, omnes, omnes, qui ante me fuerunt, fuerūt fures & latrones, & damnat Matth. 21. & Ioan. 2. non modo Scribas & Pharisæos, sed quod ex contextu colligitur, sacerdotes ipsos hoc nomine, quod templum Domini in speluncam latronum conuertissent.

Et miror hoc nunc demum obijci de Sacerdotibus & illorum traditionibus à Christo non reprehensis, cum superioribus diebus disputatum à vobis sit, eam potestatem & authoritatem circa traditiones iam tum expirasse, cui verò authoritati nunc patrocinium præstatis.

Cum

CVM SERENISSIMIS ET ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS CONSVLtum videretur vt redimendi temporis gratia, deinceps à dictando abstineretur, sequentes leges sunt consignatæ.

I.

Ne imposterum ad calamum dictetur, tardè tamen & distinctè, vt dicta percipi possint, loquantur.

II.

Singula argumenta in forma Dialectica singulatim & seorsim discutiantur, quo discusso, ad alterum modo iam dicto procedatur.

III.

Lex quinta priori instructione proposita, accuratè obseruetur.

IV.

Qui proponit argumentum, non confirmet illud, donec responsio data sit.

V.

Transgressores legum pro arbitrio Principum, in ordinem redigantur.

Conclusæ 2. Decemb. 22. Nouemb. Ann. 1601.

3. Decembris.
23. Nouembris. Ann. 1601.

THESIS THEOLOGORVM BAVARICORVM, CVIVS SVMMA PRIMA SESsion publicè à D. Gretſ. fuit recitata; ſuppleta & aucta, Theologis aduerſæ partis eſt exhibita, quæ ſic habet.

SAcra ſcriptura non eſt iudex omnium controuerſiarum fidei & religionis Chriſtianæ, ſed hoc munus pertinet ad Pontificem Romanum, eoquè hodie fungitur Clemens VIII. Petri ſucceſſor, Chriſti Vicarius. Cuius definitio toti Eccleſiæ, cum authoritate propoſita, in controuerſis religionis quæſtionibus decidendis infallibilis eſt, ſiue cum concilio, ſiue abſquè concilio definiat. Eſt quidem ſcriptura religionis norma infallibilis, verùm nec ſola, nec vnica, ſed præter hanc neceſſariò admitti debent traditiones, & Eccleſiæ definitiones, Doctorumq; orthodoxorum conſenſus, &c.

SES-

SESSIO SEPTIMA.

3. Decembr.
23. Nouemb. Anno 1601.

Hora ſeptima Antemeridiana.

Conſueta precatio recitata à D. Hailbronnero.

D. HVNNIVS.

SINE omnibus ambagibus ad ſequentia me confero; De voculis præter & cõtra, nonnulla paucis repetimus, traditiones dogmaticas, quæ nec in ſcripturis extant, nec inde deduci poſſunt, dicimus eſſe & præter, & contra ſcripturas, quatenus in his non ſunt fundatæ. Eſſe verò etiã contra ſcripturas patet, quia in prohibitionem ſcripturarum impingunt, quæ quicquam vel nouorum dogmatum, vel cultuum addi prohibent. Eſtq; in locis Deuter. *par ratio, detractionis, & additionis, detractio ſtrictè & ſimpliciter eſt prohibita, etiam aduerſario confitente. Ergo detractioni oppoſita additio ſtrictè itidem & ſimpliciter prohibita eſt, ita vt neq; per detractionem deflectere liceat ad ſiniſtrã, neq; per additione liceat, ſub ſpecie bonæ intentionis deflectere ad dextram. Petit autẽ principium aduerſarius, dum inquit, loco Apoſtoli, ad Gal. 1. Si quis aliud Euangelium annunciauerit, præter id, quod prædicauimus vobis; &c. Anathema dici illis qui aliud Euangelium, atq; adeò contrarium annuncient, vbi particula præter, παρ' ὃ vim habet potius cõtra, ſicut & Rom: 16. quæro enim, an liceat Euangeliũ aliud prædicare, quod à Paulo prædicatum non ſit? ſi negat aduerſarius, conſtat iam propria ſignificatio voculæ præter, & manet hic ſenſus, quod ne diuerſum quidem, aut aliud Euangelium prædicare fas ſit, præter id, quod Paulus annunciauerit: ſin affirmat, licuiſſe aliud Euangelium annunciare, dummodo Paulino non ſit contrarium, ſequetur ergo, iam eſſe Euangelia diuerſa, quod abſurdũ eſt. Euangelium enim hoc loco, doctrinam de Chriſto Euangelicam ſignificat, quã vnicam eſſe conſtat, aliâs dicuntur quatuor Euangelia, ratione hiſtoricæ narrationis, ſed ratione doctrinæ, eſt vnicũ tantũ Euangelium. Locus Rom. 16. de his qui offendicula gignunt, præter doctrinam Apoſtolicam, nihil facit ad præſens inſtitutum, nam quemadmodum doctrina Pſeudodoctorum tempore Pauli gignebat diſſidia & ſcandala, ſic & traditiones non ſcriptæ, quibus vis dogmatũ tribuitur, ſi imponãtur Chriſtiano populo obſeruandæ, gignũt ſuperſtitiones teſte*

Paulo ad Coloss. 2. ne tetigeris, ne gustes, ne contrectes. Et conuellunt libertatem Christianam, dum sub capistrum seruitutis adigunt hominum conscientias, quas DEVS *à iugo traditionum vult esse liberas, & ad solum verbum in scriptura nobis commendatum adstrictas. in libertate qua vos Christus liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini, Galat. 1. Quòd ad verba Deuter. 4. 5. 12. de non addendo, contineant generale mandatum, probaui ex versu connexo, omnia quæ præcipio tibi, obserua & audi. Instat Aduersarius, si strictè accipiantur, secuturum, quod præcepta quæ Dominus per subsequentes Prophetas dedit, licuerit populo etiam non obseruare, hoc cum sit absurdum, absurdam etiam putat esse nostram expositionem; Respondeo in subsequentium Prophetarum libris, aut nihil noui præceptum est, ratione cultus & doctrinæ, sed repetita & illustrata vetera doctrinæ Mosaicæ capita, aut si quid additum est, additum est id non à sacerdotibus, sed à Domino* DEO, *qui solus ad hoc præceptum suum, de non addendo, aut diminuendo, alligatus non est, & proinde potestatē habet solus præter capita prius reuelata, reuelare etiam plura, vel etiam quasdam instituti cultus partes iterum abrogare, sicut lex ceremonialis, Leuitica, per authoritatem ipsius omnipotentis* DEI *abrogata est, nihilominus autem scriptura inde & primo initio scriptionis per Moysen facta, semper fuit corpus perfectum ratione populi præsentis; Ita quidē, vt ab eo populo nihil quicquam vltrà requireretur vel credendum, vel in cultu faciendum. Et postquam quatuor illa, quæ Prophetæ prædixerant, in nouo testamento, vel mutanda, vel adijcienda, iam perfectè continentur in scriptura Euangelica & Apostolica, nempè historia de incarnato & pro nobis crucifixo Christo; Deinde sacramentorum veteri Testamento annexorum, adeoque totius Leuitici cultus abrogatio; Tertiò sacramentorum noui testamenti institutio: & deniq; vniuersalis cunctarum gentium vocatio per Euangelium in omnem terram sparsum &c. Idcircò completum iam habemus, perfectumq; doctrinæ corpus, pro noui Testamenti hominibus seruandum, scripturam nimirum Propheticam & Apostolicam simul iunctam, quæ nos plenè potest erudire ad salutem, per fidem in Christum* IESVM; *& perfectum reddere hominem* DEI, *ad omne bonum opus apparatum 2. Timoth. 3. Iam de loco Deuter. 17. obieceram aduersario, quod truncatè citasset locum illum de sacerdotibus quæstiones definientibus, & quod omisisset particulam eam, quæ verum spiritus sancti sensum reddit, nimirum, & docuerint te iuxta legem. Rectè autem & iustè à me reprehensum esse hoc, testatur ipse scopus, ad quem D. D. suam citationem direxerat, scilicet vt euinceret, sacerdotum judicio simpliciter * scandalum, si quid etiam extra & præter non tantùm contra scripturam Mosaicam decernerent. Vnde non obscu-*

* standum

obscurè colligitur, cur particulam illam dissimulauerit. Ipsa verò particula à D. Doctore prætermissa, validum nobis præbet argumentum, quod Sacerdotibus nō licuerit in definiendis controuersiis, quicquam extra vel præter legem statuere, quod sic patet; qui tenetur definire controuersias iuxta legem, ei non licet decisionem dare extra vel præter legem, quomodocunq; accipiatur vocula præter, ratio est, quia iuxta legem definiri nihil potest, nisi eiusdem decisio in ipsa lege contineatur: prouoco hac in parte ad Theologos simul & Iureconsultos. Iam sequitur minor propositio: Sacerdotes in cathedra sedentes, tenebantur definire controuersias iuxta legem, tanquam normam; Ergò non extra vel præter legem, quomodocunque tandem vocula præter accipiatur. Et proinde additio traditionum non scriptarum, quam ex hoc loco summo Sacerdoti vendicabat D. Doctor, eodem hoc loco, ceu fulmine cœlesti labefactatur & euertitur, siue ergo iam vrgeatur à nobis determinatio casuum, quorum ibi in specie fit mentio, inter sanguinem & sanguinem, lepram & non lepram, &c. tum nihil pertinet ad institutum; siue referatur iste locus ad diiudicationem omnium controuersiarum etiam religionis, tum dicta & euicta causa nostra est, quòd videlicet controuersiarum decisio fuerit instituenda iuxta legem, tanquā decisionis normam, & proinde non præter legem, quocunq; tandem sensu intelligatur illa vocula. Et apparet simul verba hæc Mosaicæ sanctionis; Et docuerint te iuxta legem, &c. non absolutæ assertionis, sed conditionis vim habere, hoc sensu, si ex lege scripta Moysis fiat propositi casus decisio, quòd in ea definitione iuxta legem facta, sit acquiescendum. Hæc de istis locis.

Ex similitudine de Testamento, non confeci ego illud argumentum, quod mihi D.D. imputat, nec locutus sum de aliquo Testamento, quod adhuc mutari potest, vel per additionem vel detractionem, sed vsus sum loco Paulino ad Gal. 3. vbi de testamento legitimè facto disseritur, & per mortem testatoris confirmato, tale testamentum, inquit Paulus, nemo reiicit, aut addit aliquid. Constat ergò mea applicatio, si in tabulis humani alicuius testamenti legitimè facti, & per mortem testatoris confirmati, adiecta esset hæc clausula, quòd ei nihil debeat addi vel detrahi, & verò aliquis alius adderet quippiam, obtendens interim se contra literam testamenti nihil addidisse, licet præter illud quippiam addiderit, non est dubium, quin omnes Iureconsulti pronunciaturi essent, quod non modò præter, sed etiam contra claram literam & formulam prohibitionis peccârit: Sic quia volumini doctrinæ Moysaicæ talis prohibitio perspicuis verbis annexa est, non addes, neq; diminues, hoc tantum facies, non declinabis, neq; ad dextram per additionem, neq; ad sinistram per detractionem; Dixi autem, & adhuc dico, omnes intelligentes homines pronunciaturos, si quid saltem

præter Mosaicam doctrinam addatur, hoc ipso iam additionem esse contra illam, itaq; contra adiectam prohibitionem omni luce clariorem.

In exemplo sacerdotum Nadab & Abiu, res plana est, nam licet bona intentione admouerent accendendis victimis ignem alienum, tamen quia id eis præceptum non erat, sicut habent verba textus, puniti sunt à Deo, vt ipsorum exemplo constaret publicè, ne Sacerdotibus quidem fas esse, quicquam in cultu suscipere, quòd eis præceptum non sit. Iam de dicto Matth. 18. dictum illud, dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, &c. autumat aduersarius, locũ illum agere de vniuersis decretis Ecclesiæ, sed textus ostendit secundũ subiectã materiã disseri de offensis priuatis, si te offenderit frater tuus, &c. nec habetur id textu, vocula, qui Ecclesiam non audit, quasi sit vniuersalis, sed si Ecclesiam non audierit ἐὰν in græco textu. Deinde verò non negamus, ab hypothesi ad thesin transire Dominum, cum inquit, amen dico vobis, quicquid alligaueritis super terram, erit alligatum etiam in cœlis. Quæ verba pertinent ad ministerium Ecclesiæ proprium, vbi per clauem ligantem, legem scilicet alligantur impœnitentes, & per clauem soluentem, Euangelium videlicet, soluentur & absoluentur à peccatis, qui pœnitentiam agunt, & in Christum credunt; Et data est illa potestas ministerij non soli Petro, sed omnibus Apostolis quòd pluralis numerus ostendit, quicquid alligaueritis, &c. His inquam & cunctis illorum in ministerio successoribus data potestas est ligandi, sed iuxta legẽ, id est impœnitentiũ hominũ peccata retinendi. Data etiam potestas est soluendi, sed iuxta doctrinam Euangelij: hæc est illa norma solutionis. Deniq; vt concludam, quòd obiicit D.D. malè prospectum esse Ecclesiæ, si non sit in Ecclesia potestas aliqua, & ordinarius quidam Iudex, cuius decreta repudiari non debeant. Respond. non opus esse in quæstionibus fidei, vt sit aliquis, qui prætoria potestate decernat, etiam extra & præter scriptum Dei verbum, qua ratione non modò male, sed pessimè esset prospectum, & consultum Ecclesiæ, ob causas, quæ in discussione Iudicis in progressu, Deo volente assignabuntur; sic autem Eccesiæ suæ prospexit Dominus quàm rectissimè, quòd ministerium instituit, quod depositum scripturæ concredidit Ecclesiæ suæ, quod donum interpretationis adiunxit, non vni soli in solidum assignatum, sed à Spiritu Sancto distributum, prout vult, 1. Corinth. 12. quod insuper dederit Ecclesiæ suæ Doctores & fideles scripturarum interpretes, qui in casibus religionis ex ipso textu scripturarum, veram sententiam eruant, erutam Christiano populo proponant, & Ecclesia si deprehendat definitiuam sententiam esse sacræ scripturæ conformem, eam obedienter amplectatur, & in illa acquiescat. Restat vnicum duntaxat, nimirum

rum locus 1. Timoth. 3 allegatus, Ecclesia est stabilimentum & columna veritatis & dispiciendum est, quo sensu columna veritatis, appelletur Ecclesia. Tenendum ergò, quod fundamentum scripturæ seu veritatis, non sit Ecclesia, sed scriptura, siue veritas sit fundamentum Ecclesiæ, iuxta manifestum locum, Ephes. 2. superstructi estis super fundamentum Prophetatarum & Apostolorum. Dicitur autem ἑδραίωμα & στύλος, stabilimentum & columna veritatis, Primò ratione custodiæ oraculorum DEI, & conseruationis ac propagationis sacræ scripturæ. Deinde ratione testimonij, quod veritati in scripturis comprehensæ perhibet Ecclesia, vt quauis potius supplicia sustinere malit, quàm eripi sibi sinat veritatem in verbo diuino scripto, cœlitus nobis commendatam. Interim manet Ecclesia subdita (de vera Ecclesia loquor) voci sponsi sui, & alligatam se profitetur vnicè ad perfectum illud corpus scripturæ, propheticæ & Apostolicæ, simul iunctæ.

D. TANNER.

Peto me iam etiam audiri, ego enim sum respondens.

D. IAC. HAILBRONNER.

Mihi heri concessum fuit, ea quæ restant absoluere.

D TANNER.

Conuentum est de alio processu, & inprimis, ne posthac responsiones dictentur ad calamum.

D. IAC. HAILBRONNER.

De perfectione vel sufficientia sacræ scripturæ inter me & aduersarium quæstio incidit, de qua prolixam ille instituit declamationem, de perfectione debita & indebita. An necessaria fuerit illa, omnibus Auditoribus relinquo. Qui autē putat, me frustraneā suscepisse operā, cum perfectionē sacræ scripturæ Syllogismo quodā ostenderē, prouoco ad Protocollum, quod luculenter testabitur, mihi ab aduersario responsione quadam ad Syllogismum meum ex Analogia quarti præcepti desumptum, occasionem fuisse datam, his enim respondit verbis; Nego maiorem, negationis rationem affero aperam, quod scilicet omnia officia parentibus debita & exhibenda, in quarto præcepto cōtineātur, non autē omnis cultus religionis, nec omnes articuli fidei cōprehenduntur in in lege scripta, hæc fuerunt verba: Qui autem negat omnes cultus religionis

omnesq; articulos fidei in sacra scriptura contineri, is eam imperfectionis arguit, opus enim quod non complectitur ea omnia, quæ ad sui perfectionem pertinent, perfectum esse aut dici non potest. Haud abs re igitur huic assertioni quam ego ipsi omniscio operis authori parùm honorificam esse arbitror, refutationem opposui, forma syllogistica comprehensam, ex additionis prohibitione sumptam, de qua tum inter nos miscebantur sermones, nam & alijs contra hanc opinionẽ argumentis sumus instructi. Deinde ad quæstionẽ à me propositam, an nimirum vnquam ad traditiones non scriptas applicati fuerint Israëlitæ, & an quispiam propter illarum transgressionem fuerit punitus, aliquot exemplorum allegatione respondere sibi visus fuit. Primũ quidem fuit eorum, qui vixerunt ante Legem Moysis, annis circiter bis mille, quo tempore transgressores legis non scriptæ fuerint puniti; id verò huc non pertinet, de ijs enim nulla inter nos est quæstio, sed de ijs, qui post legem datam & scriptam vixerunt, quamuis & illi habuerunt legem scriptam, non quidem in tabulis, sed in cordibus. Roman. 2. eamq; non humanam sed diuinam, ideoq; propter eius transgressionem, non autem ob transgressionem humanarum traditionum, in negotio cultus & religionis fuerunt puniti, sed & tum temporis habuerunt reuelationes diuinas, de venturo Messia, verbum de sacrificiis per SS. Patriarchas prædicatum, quibus reuelationibus credere, secundum quas etiam religionem & cultum instituere oportuit: quæ reuelationes diuinæ successu temporis à Moyse literis fuerunt mandata, & Israëlitis proposita, qui eo quoq; tempore secundum rationis iudicium, Deum colere voluerunt, sicut factum est ante diluuium, in Ecclesia Cainica, post diluuium in Ecclesia Nimbrodica, hi quoq; ipsi Deo, cultum minimè gratum exhibuerunt; est enim, & fuit omni tempore hæc DEI immota voluntas, vt non nisi secundum reuelatam suam voluntatem, religio & cultus omnis instituatur. Secundum exemplum ab aduersarijs allatum fuit Ecclesiæ extra Synagogam Israëliticam, quæ sine Lege scripta Mosaica per bis mille annos circiter, salua constiterit, nõ legi scriptæ obtemperans, &c. quæ verò fuerit illa Ecclesia, & ea quidem salua extra Synagogam Israëliticam, nusquam inuenio. Nisi quod omnibus seculis quidam ex Gentilismo ad religionem Israëlitarum fuerunt conuersi, adeoq; secundum scriptum verbum Mosaicum, religionem & cultus suos instituerunt, etsi fortassis non omnes Circumcisionis sacramentum susceperunt. Tertium, Exemplum fuit ex Deuteronom. 17. vbi grauibus minis diuinam intentatam fuisse vindictam aiebat, non tantum ijs, qui legem scriptam non obseruarent, sed etiam, qui Sacerdotum Imperio obedire detrectabant, sine additione, si Sacerdos aliquid præceperit, quod apertè in lege scripta nõ esset. Respondeo, lex illa, vt iam antè quoq; dictum, non disponit, de controuersijs

religio-

religionis, sed de causis politicis. Si, inquit Dominus, difficile & ambigum &c. deinde expresse additur, & docuerint te iuxta legem eius; quod vero in causa religionis, non semper nec in omnibus obtemperandum fuerit sacerdotibus absque omni legis scripta intuitu, testantur exempla Prophetarum, Ioannis Baptistæ, Christi & Apostolorum, qui secundum aduersarij sententiam, quod in omnibus, præsertim verò religionis negocijs standum fuerit sententia Pontificis, iustè fuissent condemnati propter obedientiam Pontificis, eiusdemq; synedrio recusatam. Quartum exemplum fuit Prophetæ cuiusdam 3. Reg. 13. a Leone discerpti, quod contra traditum solum, non contra scriptum verbum, panem in Bethel comedisset. Respondeo, fuit hoc mandatum ipsi, non hominibus, sed ab ipso Deo immediatè traditum, ideoq; obtemperare debuisset. Longè alia est ratio traditionum, de quibus inter nos & aduersarios controuertitur. Si tam certò constaret illas à DEO esse traditas & promulgatas, sicut certum atq; indubitatum fuit, mandatum illud Prophetæ datum, diuinum esse, nemo inter nos esset, qui contradicere ausus fuisset. Ideoq; & hoc exemplum de personali mandato, ad propositum nihil pertinet. Quintum exemplum fuit Rechabitarum, Hieremiæ 35. cap. qui metu pœnæ, legem non scriptam, sed traditam obseruârunt. Respondeo, hoc quoq; exemplum præfixum scopum, ad quem collimandum erat, minimè attingit. De dogmatibus enim & cultibus præter expressum DEI verbum, à magistratibus Ecclesiasticis institutis agitur. Ionadab autem filius Rechab, nec sacerdos fuit, nec magistratus, nec cultum instituit, id quod in ipsius potestate minimè erat positum, sed disciplinam instituit domesticam, qua familiam suam ad frugalitatem, sobrietatem, & contemptum huius mundi assuefacere voluit absq; omni cultus et meriti opinione. Qua in re dum obtemperarunt liberi, non tam præcepto paterno, quam scripto Dei mandato, de parentibus honorandis obtemperarunt; cui mandato scripto, illa ipsa promissio fuit addita, quam Ionadab filijs suis, versu septimo, eiusdem capitis, fuerat pollicitus, vt viuatis diebus multis in terra, in qua vos peregrinamini. Nihil igitur faciunt exempla illa omnia & singula; ad probandum id, quod à me de traditionibus non scriptis, in causa dogmatum & cultuum fuit quæsitum. Et hoc quidem alterum est, de quo mihi fuit respondendum.

Tertiò ad syllogismum, quo probaui, omnes additiones dogmatum & cultuũ hac voce diuina prohibitas esse, quod præcipio tibi, hoc tantum &c. limitationem quidem audiui, iam antè sæpius iteratam, nunquam verò probatam. De subditis & magistratibus, de contrarijs & consentaneis additionibus, quæ distinctiones & limitationes iam antè partim à Domino Collega meo, partim à me non tam ex prædicto mandato, quàm ex alijs scripturæ testimonijs & exemplis,

abundè refutata sunt, cum aduersarius suas illas limitationes & exceptiones, ne vno quidem verbo defendendas susceperit, quibus nostris probationibus ex literali, perspicuo, manifesto, ac genuino istius mandati aliquoties repetitò sensu desumptis, noua iam accessit ratio, quam hoc syllogismo inclusam propono. Contrariorum est eadem ratio, detractiones omnes in negocio cultus, & fidei simpliciter & strictè prohibita sunt, ipsis Aduersarijs testibus. Ergò omnes quoque additiones simpliciter & strictè sunt prohibita; idq; eò magis, quia additionum interdictum, pluribus verbis & circumstantijs munitum est, quia natura hominum magis prona est ad additionem, quam ad detractionem, in negocio religionis.

D. TANNER.

Respondendum mihi est ad vtriusq; opponentis argumenta, in qua tamen responsione consulto & libenter acquiescam, & obseruabo monita illa Serenissimorum & Illustrissimorũ Principum hesterna, nempè vt in responsionibus ad calamum non dictetur, propter moram, propter fastidium, propter alias & graues rationes. Et quia aliàs nullus secuturus esset finis, hac protestatione, vt nihilominus ea quæ dico, etiam in scripta referantur, & ad Protocollum dentur, & vt vltima mihi concedatur responsio.

D. HVNN.

Etiamsi non ad calamum dictes, tardè tamen loquaris, secundum legem quintam, vt responsiones tua excipi queant.

D. TANNER.

Mallem equidem dictare, sed parco hac in parte Serenissimis & Illustrissimis Principibus.

CANCELLARIVS PALATINVS NEVBVRGENSIS.

Legit legem quintam, & decimam.

D. TANNER.

De istis legibus iam heri inter nos conuentum, nempè vt ita lentè loquamur, vt possint dicta percipi ab Auditoribus id non detrecto, non omnia quæcunque dicuntur in Protocollum sunt referenda. Interim Notarij sensum in scripta referant, & Protocollo inserant, quod facilè poterit fieri, si forma syllogistica vtrinq; agatur.

D. HVNNIVS.

Non con-

Non concedetur tibi vtrumq; , alterutrum deligendum est, si scripto velis agere; liceat sanè, sed vt & nobis ea prælegantur, ita vt possimus percipere, sin voce vis proponere, ita proponas, vt possint excipi à Notarijs. Contra tuam nuperam de Protocollo factam declarationem, qua in dubium vocasti illius fidem; solenniter igitur protestamur, & dicimus, nihilominus ratum haberi Protocollum contra friuolam illam tuam protestationem.

D. TANNER.

Stabo omninò voluntati Serenissimorum & Illustrissimorũ Principum, quin & meam responsionem, scripto dare Notarijs non recuso, vt recitetur ex charta.

D. HVNN.

Si voles comprehendere scripto & recitari publicè, liceat nobis etiã nostram vlteriorem sententiam scripto comprehendere, & publicè legendam tradere.

D. TANNER.

Non est vestrum dare vltimam responsionem, sed nostrûm, qui sumus respondentes.

D. HVNNIVS.

Ergo requiris, vt nos acquiescamus in tuis rationibus?

D. TANNER.

Omninò, quia vos estis opponentes, & mihi respondendum est tamdiu, quamdiu vos opponitis.

D. HVNNIVS.

Liceat tibi opponere, sed ita, vt & nobis replicare vlterius liceat.

Res vtrinq; arbitrio Serenissimorum & Illustrissimorum Principum commissa est.

D. TANNER.

Non æquum est, vt vltimus sit in respondendo opponens; si non potero hoc à vobis impetrare, dictabo ad calamum, & ero molestus, licet inuitus.

Idem D. TANNER.

Scribant itaq; Notarij. Ad obiecta ergo D. Hunnij, quod attinet, prætermissis ijs quæ ad rem non faciunt, sequentia annotanda sunt.

Primò

Primò, cum rursus ait, à me negatum esse, Reges & Prophetas legibus scriptis obligatos fuisse, non dubito, quin in hoc contra suam conscientiam loquatur, manifestè sciens, neq; negatam, neq; etiam negari à me debuisse indefinitam illam propositionem, (Reges & Principes veteris testamenti scriptæ legi obtemperare debebant) quam nemo sapiens negare potest. Aliud est enim loquendo de particulari lege aliqua, dicere, Reges & Principes tali legi, vtpotè quæ eis lata non fuerit, neq; de ijs vsquequaq; intelligatur, nō fuisse penitus subiectos: alioquin legibus ad se spectantibus, vtiq; non minus subiecti fuerunt, quàm alij inferiores.

Secundò, quod attinet ad locum Ephes. 2. ædificati &c. respondit falsissimum esse, quod locus iste ad prædicatum duntaxat sit restringendus verbum, afferens duas rationes. Primò quia Prophetæ, de quibus est sermo, tunc non viuebant amplius, quorum proinde non alia quàm scripta doctrina haberi potuit. Secundò quia Apostoli iam quoq; non amplius viuunt, quorum etiam doctrinam non nisi per scripturam audire possumus. Sed respondeo primò, falsissimum esse, nec vlla verisimili ratione probabile, quod locus ille sit restringēdus ad verbum DEI scriptum, vt vult Aduersarius, cum tum temporis Apostolica doctrina de qua ibi sermo est, ex maiori parte nondum scripta fuerit, sed prædicatione tantum ad Ecclesiam peruenerit. Deinde falsum est, tunc nullos fuisse Prophetas, quorum doctrina, tanquam fundamento Ecclesiæ, fideles niti debuerint. Ipsi enim Apostoli simul vtiq; Prophetæ etiam erant, & Apostolus quoq, de Prophetis Ecclesiæ primitiuæ apertè mentionem facit 1. Cor. 12. & Ephes. 4.

Tertiò falsum est, nos iam audire Apostolicam doctrinam non posse, nisi ex scriptura, falsum est inquam hoc, & in hoc asserendo aduersarius principium manifestè petit.

Quartò, ad locum Rom. 16. quod attinet. Is sanè pro nobis, non pro Aduersarijs facit. Tribuitur enim ibi confirmatio in fide, non tantùm Euangelio scripto, sed etiam prædicationi, atq; adeò verbo non scripto, quod scilicet ab Apostolo tunc voce palàm prædicabatur. Neq; negamus, mysterium illud redemptionis humanæ, de quo Apostolus illic loquitur, ꝑ scripturas Prophetarum patefactū esse; sed mala prorsus & futilis consequentia: aut: Ergò omnia omninò dogmata, tàm morum, quā fidei, per SS. Prophetas & Apostolos patefacta sunt. Aut: Ergo scriptura est vnica & sola norma omnium controuersiarum religionis.

De fun-

De fundamento multiplici Ecclesiæ, quod dixi, cum negare Aduersarius non possit, alioquin vanis & inanibus verbis perstringit.

Quintò, ad locum Rom. 15. non audeo &c. dicit Aduersarius, rectè illum à se alligatũ, ad probandum, quod Pontifex non debeat vsurpare sibi potestatem, ad quicquam in scriptura apertè non contentum, constituendum, & Ecclesiæ proponendum, ait enim D. Apostolus Paulus, hoc sibi arrogare ausus non fuit, quantò minus Pontifex &c. Sed non dubito, quin denuò contra suam conscientiam, hunc locum adduxerit, cum manifestè sciuerit, Apostolum de tali potestate hîc nihil loqui, sed solùm asserere, se non audere quicquam loqui eorum, quæ DEVS per se non fecerit, id est, se non audere falsum dicere, & sibi arrogare, quod tamen DEVS per se non fecerit. Mala prorsus igitur consequentia; Ergò etiã Apostolus aut Pontifex non ausus fuit sibi arrogare potestatem, quicquam in scriptura non expressum, circa fidẽ & mores constituendi.

Sextò, circa locũ Matth. 15. de Pharisæorum traditione multa dixit aduersarius, verùm nihil ad rem, partim etiam falsò. Primò enim falsum est, quod traditionem illam, lotionem scilicet manuum, ante cibũ, absolutè reprehenderit Christus, quis enim hoc credat? nec contrarium potuit probare aduersarius. Secundò falsum, reprehendi traditiones quaslibet humanas, sub opinione cultus aut necessitatis, nec enim hoc probare etiam potuit Aduersarius illud, frustra me colunt &c. nihil ad rem facit, reijciuntur enim hic duntaxat traditiones merè humanæ, atque adeò absq; diuina authoritate latæ, quales sunt quæ aut scripto Dei verbo contrariæ sunt, aut alioquin vanæ & futiles, ab ijs qui potestatem nõ habebant, conditæ. Cæteras verò traditiones, diuina scilicet authoritate, etiã extra scripturas traditas, tantum abest, vt Christus reprehenderit, vt manifestè eas quoq; commendet, quales omnino sunt traditiones Ecclesiæ Catholicæ, juxta illud, Luc. 10. qui vos audit &c. Actor. 15. Visum est spiritui sancto, & nobis; semper autem, quando in scriptura de traditionibus merè humanis sermo est, & reprehenduntur traditiones, tunc aut sunt contrariæ mandatis diuinis, aut alioquin inutiles & vanæ, vt patet ex omnibus scripturæ locis, vbi de traditionibus humanis fit mentio. Esai 29. Matth. 25. Marci 7. Coloss. 2. 1. Timoth. 4. Tit. 1. Alias traditiones Christus similiter commemorat Matth. 23. Hæc oportuit facere, & illa nõn omittere. Et quamuis non negem, neq; negauerim, quod tamen hic falsò mihi tribuitur, inter Scribas & Pharisæos, quorum traditiones Christus subinde taxabat, fuisse, aut esse potuisse

quoq; Pontifices, nunquam tamen traditiones, ſub nomine Pontificio Chriſtus reprehendit, idq; propter honorem ſacerdotij Aaronici. Ex quo patet, quàm minimè ſint conſentanea dicta Aduerſariorum, dictis Chriſti, dum tam audacter traditiones catholicas, ſub nomine non tantū Pontificis ſimpliciter appellari, ſed varijs quoq; calumnijs affecti traducunt. Neq; ſcio quorſum ſpectet ille locus Ioan. 10. omnes qui ante me fuerunt &c. niſi vt intelligamus, omnes tum Pſeudoprophetas, pſeudodoctores, & quoſcunq; hæreticos, qui per legitimum oſtium, qui Chriſtus eſt, vt ibi in textu explicatur, in Eccleſiam ad docendum non intrant, eſſe fures & latrones, vt ibi declaratur.

Illud quoq; firmum manet, quod Scribis & Phariſæis, quà tales erant, authoritas regendi populum, ſeu leges ferendi non competebat; id quod de ſcribis manifeſtum eſſe poteſt. Lucæ 7. 10. vbi legisperiti νομικοὶ non legislatores ſeu nomothetæ appellantur. De Phariſæis id manifeſtius eſt, quàm vt à quoquā negari poſſit. Videatur Epiphanius. Scribæ legis expoſitores fuere &c. Ioſephus de Phariſæis idem dicit. Falſum quoq; eſt, quod mihi tribuit D. Aduerſarius, quaſi ſuperioribus diebus, omnem cathedræ Moſaicæ authoritatem negauerim, aut abrogauerim, viuente Chriſto, vt ex dictis & Protocollo patebit. Vnde magis mirum eſt, quod ſuam ipſe falſitatem tantoperè miratur.

Ad locum Deuter. 4. quod attinet, hac ratione conatur hodiè Dominus Aduerſarius probare, quod omnis omninò additio eo loco qualitercunq; fiat extra ſcripturam, ſit prohibita. Ait enim omnis omninò detractio prohibita eſt; Ergò etiam adiectio. Reſpondeo, ſicut omnis detractio illa ſolùm prohibita eſt, quæ legi aduerſatur, ita etiam illa omnis duntaxat adiectio prohibita eſt, quæ legi ſcriptæ aduerſatur. Interim ſicut fieri potuit, & factum eſt, vt per Prophetas & Apoſtolos diuina authoritate, multa de lege ſcripta Moſaica detraherētur, imò lex ipſa Moyſis tandem penitus abrogaretur, ita quoq; ſit & fieri poteſt, vt eadem authoritate diuina, per Apoſtolos & Prophetas, alioſq; poteſtatem à Deo habentes, quædam adijciantur, ſicut omninò adiecta eſſe à Prophetis & Apoſtolis, nemo negat. Quod ſi dicant, eam declarationem tantum eſſe præcedentium, tunc pari modo nos quoque catholici de traditionibus Eccleſiaſticis, & catholicis dicimus, vt dicere poſſumus, eas duntaxat, quaſdam declarationes legis ſcriptæ eſſe, nam pari modo ex ſcriptis legibus reliquæ non ſcriptæ mediante authoritate Eccleſiaſtica, quam ipſa ſcriptura commendat, elici poſſunt.

Circa

Circa illum locum ad Gal. 1. ſi quis aliud Euangelium prædicauerit, præter &c. quærit Aduerſarius, an liceat Euãgeliũ aliud prædicare, quod à Paulo prædicatum non ſit. Reſpondeo minimè licere, per Euangelium enim intelligitur, bonum illud nuncium incarnationis Chriſti, & redemptionis humanæ, præter quod Euangelium, aliud ſanè prædicari nõ poteſt. At verò traditiones Eccleſiæ, aliud Euangelium non ſunt, ſed declarationes quædam tantum ſunt, & determinationes, circa cultum aut mores, ſcripturæ ipſimet, & Euangelio conuenientes.

Quod autem dicit, quod traditiones non ſcriptæ pariant facilè ſuperſtitiones. Reſpõdeo facilè omninò parere poſſe, ſi omnes omninò traditiones, aut à nobis commendarentur, aut ab Eccleſia præciperentur. Dicimus autẽ, nos non quaslibet traditiones, ſed legitima authoritate, ab habente poteſtatẽ diuinitus factas, ſeu traditas, obſeruãdas. Cuius eſt inuigilare, ne alij, qui authoritatẽ non habent, traditiones quaslibet ſuo arbitratu cõfingant. Et ſi eadem Eccleſiaſtica authoritate poteſtate, quã Dominus Eccleſiæ conceſſit, factũ non eſt, vt adulterinæ quædã ſcripturæ recipiantur, quæ tamẽ aliunde non poſſunt, quã ex Eccleſiæ traditione refutari aut diſcerni; poterit quoq; eadem diuina authoritate, & diuino præſidio, deſuper inuigilante fieri, vt Eccleſiarum præſules, traditiones etiam non germanas, & adulterinas non admittant.

Neq; illud etiam probatum eſt, tempore illo, quo Deuter. 4. lex illa ſtatuebatur, omne omninò præceptum diuinitùs traditum, perfectè & apertè lege ſcripta ipſa fuiſſe contentum, quod mirum eſt, ab Aduerſario aſſeri, cum iam aliâs confeſſus ſit, traditionem illam de libris Canonicis veteris teſtamenti, non ex ſcriptura, ſed ex Eccleſiæ ſolum authoritate, fuiſſe firmam & ratam.

Circa illud Deuter. 17. rurſus accuſat me, quòd particulam illam, juxta legem, prætermiſerim, cum eam afferre non debuerim, & allata quoque ad rem nihil faciat: fatemur enim Pontifices juxta legem, non contra legem docentes audiendos fuiſſe, ſed hoc eſt, quod à nobis aſſeritur, & ab illo nulla ratione refutatur, non tunc tantùm juxta legem à Sacerdotibus ea, quæ circa fidem aut mores controuerſa eſſent, conſtituta fuiſſe, quando decernebant ea, quæ apertè in ſcriptura continerentur; hoc enim minimè refellitur per illam particulam, juxta legem. Aliud eſt enim juxta legem, aliud eſt, non niſi apertè contenta in lege. Itaque ſemper principium petit Aduerſarius, dum ſimpliciter aſſerit, non probat, ex hac voce, iuxta legem, excludi omnes omninò

traditiones non scriptas. Itaq; nullum est argumentum illud factum ab aduersarijs; qui tenetur definire controuersias iuxta legem, ei non licet dare decisionem extra vel præter legem, hoc est in lege non expressam, falsa enim est hæc propositio, nec vlla ratione probari potest. Ratio enim allata nulla, quia inquit iuxta legem nihil definiri potest, nisi eius decisio in ipsa lege contineatur. Est enim hæc aperta petitio principij. Et quamuis ipse pro sua defensione, ad omnes Theologos & Iureconsultos prouocet, nihil hoc tamen ad probationem suæ, aut nostræ causæ improbationem facit; prouoco enim similiter, ad omnes Theologos & Iureconsultos, qui vel extremis tantùm labris diuina & humana iura degustarint, an quamuis Iudices in quacunq; Republ. non nisi iuxta leges eius Reipub. iudicare debeant, an inquam nihil omninò decernere possint, quod in lege scripta, apertè & expresse non contineatur. Manifestum est enim Legislatores, ad casus, & circumstantias particulares, de quibus iudicium ferendum est in legibus ferendis, apertè non descendere, sed iudicia circa hos iudici relinquere. Intelligit ergò, quod vanè prouocauerit ad Theologos & Iureconsultos.

Sed ait aduersarius in illo ipso loco Deuter. 17, casus particulares, ita determinatos esse, vt Pontificibus nulla relinquatur potestas, controuersias circa cultum, fidem & religionem decidendi, aliqua scilicet decisione, quæ apertè in scriptura non habeatur. Dicit enim ibi solùm esse mentionē de controuersijs politicis; aut alijs eiusmodi, quæ ad cultum non spectauerint. Sed contrà aio vniuersim de omnibus ibi controuersijs sermonem esse. Neq; enim tanū dicit ibi Deus, si fuerit ambiguū, &c. inter sanguinē & sanguinē, lepram & non leprā, sed etiam sine vlla restrictione, inter causam & non causam; quod confirmari potest ex 2. Paralip. 19. omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus tuis, &c. vbicunq; quæstio est de lege, de mandato, de cæremonijs, de iustificationibus, ostendite eis, vt non peccent in Domino, & ne veniat ira, super vos & super fratres vestros, sic enim agentes non peccabitis.

Ad locum 2. Timoth. 3. quod attinet, omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad doctrinam, vt perfectus sit homo, &c, nihil prorsus ad institutum probandum facit. Ait enim tantummodò, omnem scripturam, atq; adeò quem libet scripturæ librum vtilem esse, non sufficientem esse, ad docendum aut arguendum: Idq; eo tandem fructu vt perfectus sit homo DEI ad omne opus bonum instructus. Legit totum

rum locum. Nisi ergo concedendum sit, quod omnis scripturæ liber sufficiens sit ad salutem homini, nulla ratione hic locus, ad scripturæ sufficientiam talem, qua scilicet omnis omninò traditio excludatur, probandam valet, sicut sanè nemo dixerit vnquam, quemlibet scripturæ librum ita sufficientem esse.

Quod attinet ad similitudinem de testamentis, ait Aduersarius, malè à me suam ratiocinationem esse propositam, hanc enim sui argumenti vim esse, loquendo scilicet, de testamento legitimè facto, & per mortem testatoris confirmato, cui addita adiectione cautum sit, ne ei quicquam addatur, vel detrahatur, de quo testamento inquit Apostolus, quòd id nemo reijciat, aut illi aliquid addat, de tali ait testamento loquendo, si in tabulis humani testamenti legitimè facti, nefas est aliquid addere, vel detrahere, nefas quoq; erit testamento diuino, scripturæ scilicet sacræ, quicquam addere vel detrahere, sed primum illud nefas est; Ergò & hoc. Sed Respondeo planissimè concedendo similitudinem, sicut & nudius tertius admissa est, facit enim hæc pro nobis, nihil contra nos, vt etiã ibidem declaraui, & nunc rursus repeto; quemadmodũ enim etiam loquendo de tali testamẽto, non obstante illa cautela, de nihil addendo, aliæ quædã dispositiones, à testatore extra testamentũ factæ, executioni mandari possunt & debent, modo ipsimet testamento nihil inseratur: Ita etiam non obstante illa cautela, quam Deus suo testamento adiecit, de nihil addendo, dispositiones quoque aliæ extra testamentum factæ, & à Deo * siue Ecclesia, quasi vt ita dicam, singulari & peculiari Codicillo commissæ, executioni mandari & admitti possunt, & debent. Vnde rursus tota aduersarii argumentatio concidit. * suæ Ecclesiæ.

Circa exemplum sacerdotum, Nadab & Abiu, rem ait claram esse, & rectè ait; Clarum enim est, quod sacerdotes illi, non tantum extra, sed etiam contra legem fecerint. Quod enim alias facere aliquid licuerit pro re nata, in lege non expressum, & præter legem, patet exemplo Dauidis, qui cum alijs Laicis comedit panes propositionis, quos alioquin Laicis comedere, per legem non licebat. Quod exemplum Christus quoq; in Euangelio commendat.

Circa illud, Matth. 18. si Ecclesiam, &c. rursus opponit aduersarius, locum illum non agere de vniuersis decretis, cum textus ostendat, disseri de priuatis tantum offensis, primò enim illud, si peccauerit in te frater, &c. secundum sacrorum etiam quorundam Patrum interpretationem, non significat offensas quæ erga proximum committuntur, sed simpliciter offensas, quæ altero vidente & sciente commit-

tuntur, vt idē ſit in te.quod corā te.Secundò, Tametſi illud dictū;ſi peccauerit in te,&c. particulariter loquatur, de offenſis priuatis, illud tamē quod confirmationis loco annectitur, ſi Eccleſiam non audierit,&c. vniuerſale eſt,& talem reſtrictionem non habet. Tertiò ex ſequentibus quoq; verbis id confirmatur, nempè quòd vniuerſaliter etiā, circa materiam cultus,conceſſa ſit Eccleſiæ poteſtas iudicandi,patet hoc inquam ex adiunctis, quando ibidem vniuerſaliter dicitur à Chriſto, quicquid alligaueritis,&c. neq; probare poteſt aduerſarius, quòd hæc quoq; ſeu ſolutio,ſeu alligatio, fieri tantum debeat ex lege ſcripta,ita vt nulla alioquin ſolutio aut alligatio valeat, in lege apertè non expreſſa. Nos verò è cōtrà aſſerimus, ſimpliciter alligandi poteſtatē Eccleſiæ conceſsā eſſe, ferendo ſcilicet etiam leges, & ad eas obligādo Eccleſiā,etiā circa materiam cultus,etiā in ſcriptura apertè non contentas.Similiter & ſoluendi poteſtas vniuerſalis eſt, eximendi ſcilicet à Legibus Eccleſiæ poteſtati ſubiectis(ab ea latis) eos quos pro re nata eximendos iudicabit. Neq; contrarium probauit Aduerſarius, vt probare debuit.

Vltimò quod ait,non malè proſpectū fore Eccleſiæ, tametſi nullus ſit alioquin ordinarius Iudex præter ſcripturam, qui controuerſiis quibuslibet determinādis præſit. Econtrà verò, non ſolū malè, ſed peſſimè quoq; fore Eccleſiæ conſultū, ſi extra ſcripturam ſacram quoq; liceret Eccleſiæ prælatis,quælibet circa mores & fidē determinare. Reſp.quòd malè conſultum foret Eccleſiæ, ſi præter ſcripturam, nullus eſſet Iudex; Id ſuo loco melius demonſtrabitur, non autē peſſimè ideò conſultū eſt, quod Eccleſiæ ſit cōmiſſa poteſtas etiam extra apertam ſcripturā,quædā decernendi,cū Eccleſia in hoc regatur in fallibili inſtinctu&authoritate ſpiritus S.Et prorſus per ſe incredibile eſt,quòd Deus,ſiue ſpiritusS. priuatis quibuslibet priuatim ſpiritū ſuū,quo ſcripturas infallibiliter interpretarentur,cū ceſſerit,&nullū interim Eccleſiæ caput conſtituerit,cui ſuum quoq; ſpiritū concederet,quo non tantum pro ſe caput eiuſmodi (quid agendum ſit) ſciret,ſed etiam reliqua Eccleſiæ membra regeret.

Circa locum 1.Timoth.3 à me citatum, quo dicitur Eccleſia columna & firmamentū veritatis, ait eatenus tantū eſſe verum, quatenus ſcilicet ſacrā ſcripturam, qua Eccleſia gubernetur,cuſtodit,ſed hoc vanum eſſe & futile, ſuo quoq; loco,cū ad probationes noſtras peruenerimus, Deo volente oſtendemus.

Rurſus allegat illud, Epheſ.2.ſuperſtructi eſtis ſuper fundamentū,&c. ſed iam ſuperius ad id reſponſum eſt.Atq; hæc ad obiectiones.D. Hun,

SESSIO OCTAVA.

3.Decembris.
23.Nouembris. Ann. 1601.

Pommeridiana.

D. TANNER.

EXpediui hodiè quàm potui breuissimè argumenta & obiectiones D. Hunnij, vnum tamen adhuc locum oblitus, ex expistola ad Gal. 5. nolite,ait Apostolus, iterum iugo seruitutis contineri. Ergo inquit Aduersarius,non licitum est alias leges, non scriptas, ab Ecclesiæ prælatis, ijs quæ scriptæ sunt; addere; sed negatur consequentia, nihil enim de legibus non scriptis addendis ait Apostolus, sed loquitur solùm de iugo seruitutis, & Legis Mosaicæ, cui, monet Galatas, ne velint esse subiecti. Ita enim clarè se explicat in sequentibus, ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, &c. Christus vobis nihil proderit.

Ad protestationem ipsius circa Protocollum quod attinet, hoc solùm dicimus,nos protestationi initio à nobis factæ acquiescere. Iam venio ad D. Hailbronnerum, qui quæ de perfectione & imperfectione scripturæ sacræ vtrinq; dicta sunt,iudicanda relinquit Auditoribus, ego viciſſim omnibus iudicanda relinquo.

Ait deinde ad Syllogismum à se factum, sibi à me occasionem datam esse, sed hoc nihil ad rem,non enim quæritur, qua occasione prolatus sit,sed an benè concludat; euidenter autē à me anteà ostensum est, nihil per eum etiam ex nostra sententia contra scripturæ perfectionem concludi posse.

Ad quæstionē illam mihi à se propositam, an vnq̄ fuerint aliqui, qui ob violatas leges seu traditiones non scriptas,sint puniti,cū varia exempla produxissem. Respondit,ea nihil ad rē facere,non quidē primū illud

de

de ijs qui vixerunt antè legem Moyſis, cum ipſe de tempore legis ſcriptæ interrogaret. Sed reſpondeo, quæſtionem ab ipſo mihi propoſitam generalem fuiſſe, an vllo vnquam tempore punitus aliquis fuerit ob violatam legem non ſcriptam, vt ipſum Protocollum teſtabitur. Ait deinde, eos habuiſſe legem ſcriptam, nõ in charta, ſed in cordibus, eamque non humanam, ſed diuinam, ſed hoc reſponſum pari ratione nos Eccleſiaſticis & catholicis traditionibus applicamus: ſunt enim & ipſæ quoq; diuinæ, à DEO ſcilicet, Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus inſpiratæ, & ab eis in mente & cordibus, quamuis non in charta inſcriptæ.

Secundum exemplum Eccleſiæ extra ſynagogam produxeram, reſpondit ipſe ſe neſcire quæ fuerit illa Eccleſia. At ſanè ex ſcriptura id facilè ſcire potuiſſet & debuiſſet, conſtat enim in ſcriptura commendari Iob à religione & fide, à quo etiam, vt apparet, eius amici non diſſentiebant, quoad fidem, & in ſynagoga tamen non erant, & per ſe alioquin manifeſtum eſt, etiam ſynagogam, non vt Eccleſiam Chriſtianam, fuiſſe vniuerſalem, omneſq; in ſe veras Eccleſias continentem, extra quã ſcilicet alij ſaluari non potuerint, vt cum Eccleſia Romana iam accidit. Similiter & Naaman Syrus credebat in DEVM Iſraëlis, & Iudæus tamen non erat.

Tertium exemplum produxeram ex Deuter. 17. qui ſacerdotis imperio &c. Reſpondet ipſe, legem illam nihil diſpoſuiſſe de controuerſijs religionis, ſed negotijs politicis, quod falſum eſſe hodie oſtendi, illud enim cauſam & non cauſam, generale eſt; Ait, aliunde conſtare, non in omnibus obtemperandum Sacerdotibus, abſq; omni ſcriptura ſacra præcipientibus aut aliquid ſtatuentibus. Reſpondeo, neq; nos dicimus, Sacerdotes aut fallere nunquam potuiſſe, aut poſſe, ſed ſolum Pontificem ſummum, præſertim verò cum concilio aliorum ſacerdotum aliquid decernentem, idq; non ſolùm in Eccleſia Chriſtiana, ſed etiam in veteri; negantes eos aliquid falſi, cum authoritate judiciaria & pro cathedra, docere poſſe; aut potuiſſe. Interim hoc etiam certum manet, in dubio, ſuperioris cuiuſcunq; mandatis obtemperandum & acquieſcendum eſſe.

Quartum exemplum attuleram ex 3. Reg. 13. de Propheta à leone occiſo ob inobedientiam, non contra legem ſcriptam, ſed voce acceptam; ait D. Aduerſarius, hoc mandatum ipſi non ab hominibus, ſed ipſo DEO datum: Sed hoc non obſtante, firmiſſimum eſt exemplum, certiſſimum eſt enim, hoc caſu peccantem contra legem traditam, non ſcriptã punitum

punitum fuisse. Et de nostris quoq; traditionibus Catholicis pari modo asserimus, eas non humanum merè præceptum, sed diuinum & diuina authoritate nixum continere, vt etiam hodiè dixi.

Ad quintum exemplum, Hieremiæ 35. Respondet, hoc exemplum ad rem nō facere, cum nihil hic de dogmatibus & cultibus, sed de disciplina solummodò domestica, constitutum sit à Ionadab; sed negamus, non ob cultum etiam ipsius DEI eiusmodi cæremonias, à Rechabitis fuisse obseruatas. Certè enim nihil ad sanitatem magnopere spectabat, vt à vino abstinerent, nihil ad domesticam disciplinam, vt domos non ædificarent. Addit non tam præcepto non scripto parentis, quàm scripto DEI verbo de obtemperando parentibus, obediuisse. Sed hæc nos similiter quoq; de Ecclesiasticis traditionibus asserimus, non tam enim Ecclesiam audit, quàm Christum ipsum, qui Ecclesiæ obtemperat, iuxta illud, qui vos audit, me audit, &c. Circa Syllogismū illum quo probasse se existimat, omnes additiones dogmatum & cultuum, ex illa particula, quod præcipio tibi, hoc tantum, &c. dicit se limitationem & explicationem quidem meam audiuisse, sed sæpius iteratam, nunquam verò probatam; Sed respondeo, meum fuisse respondere, illius probare, qui explicationem & limitationem meam, si bona non erat, refutare debebat; quid? quod etiam eiusmodi responsionem meam argumento confirmaui, asserens alioquin secuturum esse, ne prophetis quidem & Apostolis deinceps licitum fuisse futurum, etiam diuina authoritate, quicquam ad ea, quæ ad id vsq; tempus scripta erant, addere. Sed suam assertionem, noua iam ratiocinatione & Syllogismo ita confirmauit. Contrariorum, inquit, est eadem ratio, sed detractiones omnes sunt prohibitæ simpliciter; Ergo & additiones, sed ad hoc respondi iam Doct. Hunnio,

Itaq; concludo ex omnibus hactenus vltrò citroq; citatis, circa loca illa, Deuter. 4. 5. 12. cuiuis prudenti facile constare posse responsionem & explicationem eiusmodi locorum, semel à me datam, nulla ratione refutari & refelli potuisse. Taceo interim, quod aliæ quoq; responsiones, dudum ad eosdē locos, nō minus validè dari possint. Primò enim dato, non concesso, quòd Deus ibi loquatur de omnibus omninò præceptis, non tamen id esset restringendum ad præcepta duntaxat scripta, cum nunq̄ dicat Deus, nihil addes ad ea, quæ scripsi, sed quæ dixi, & loquor vobis, & quæ præcipio vobis, neq; in illo loco, Deut. 12. dicitur, hoc tantum facito, quod scribo, aut scripsi, aut scripturus sum tibi, sed

quod præcipio tibi. Quòd etiam ex hebræa voce patet, quæ est מִצְוָה nec vlla ratione probari potest, quòd omnia omninò præcepta, tam fidei, quàm morum, veteris testamenti, sint scripta.

Secundò, dato non concesso, quod omnia omninò quoq; Legis veteris præcepta scripta essent, & quod ad ea tantum obseruanda Israelitas astringere Deus voluerit, nihil tamen hoc ad nouam legem & Christianos nouæ legi subiectos pertinere potest; cum etiamsi per impossibile probent, aut probauerint, quòd omnia omninò legis veteris præcepta scripta fuerint, de nouæ tamen legis præceptis id probare nequaquam possint. Et diuersa est ratio veteris & noui testamenti; tum quia constat, ea quæ ad cultum & cæremonias spectant, longè prolixius & specialius, per plurimas leges, Exod. Leuit. Deuter. fuisse determinata, quàm in nouo Testamento; deinde quia Synagoga particularis tantum quædam* eaquè non ita ampliùs circumscripta terminis; cui proinde facilè, leges etiam particulares, ab ipso Deo immediatè determinari & præscribi potuerunt. Cum Ecclesia Christiana vniuersalis sit, nec vllis locorum terminis circumscribatur, quæ etiam pro diuersitate temporis, diuersas etiam leges, circa cultum & cæremonias requirat. Itaq; responsum ad hæc quæ mihi sunt opposita. Iam si volunt Domini opponere aliquid, ad meas responsiones, facere licebit, sed extra modum illum dictandi molestum.

* erat Ecclesiæ eaq;

D. HVNNIVS.

Quia Principibus ita videtur, vt quæ satis superq; discussa sunt, prætereantur, & ad Protocollum sese partes disputantes referant: Idcircò vt voluntati Ser. & Illust. Principum satisfiat, breuitati modis omnibus studebo; quæ autem in hac refutatione prætermitto, nō ideò prætermitti statuatur, quasi ad ea responderi nequeat, cum iam pridem validissimè sint protrita, nec extra sophisticationes, quicquam solidi prolatum. Circa explicationem loci ad Ephes. 2. scopus argumentationis ipsius fuit, vt persuaderet Auditoribus, eum locum fere tantum ad prædicatum verbum pertinere. Vter hac in parte alterum falsi, iustè vel iniustè arguerit, Auditorium esto iudicium.

D. TANNER.

Obsecro si vis obijcere, fiat obiectio in forma.

D. HVNNIVS.

Iam faciam. Demonstratū heri est, *quod locus Apostoli ad Ephes. 2. de scripto quoq; verbo Prophetarū & Apostolorū, quod cū prædicata ab ipsis doctrina* pla-

planè coincidit, manifestè agat, & status quæstionis fuit, an Ecclesia habeat talē authoritatem, vt extra scriptum verbum possit & ausit, traditiones quasdam dogmaticas vel constituere vel amplecti. Responsum fuit, Ecclesiam alligatam esse ad verbum, & superstructam super verbum siue super doctrinam Prophetarum & Apostolorum. Ideoq; non posse, nec debere Ecclesiam, quicquam statuere in rebus diuinis, quod non sit verbo scripto Prophetarū & Apostolorum consentaneum. Si Ecclesia superstructa est super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, id est, supra doctrinam eorum, sequitur quod extra doctrinam prophetarum & Apostolorum, nullum sit aliud fingendum Ecclesiæ noui Testamenti fundamentum; At prius est verum; Ergo & hoc postremum.

D. TANNER.

Respond. Nego sequelam.

D. HVNNIVS.

Consequentiam probo. Demonstratum enim heri est, quod verbum illud & fundamentum, quo de loquitur Apostolus, necessariò ad doctrinam prophetarum scriptam, & doctrinam Apostolorum scriptam referendum sit; non tamen excluso prædicato Prophetarum & Apostolorum verbo, vtpote quod à scripto verbo planè nihil discrepat, sed cum eodem ratione dogmatum & articulorum coincidit.

D. TANNER.

Proba sequelam.

D. HVNNIVS.

Probatio mea omninò debet esse bimembris, primò ratione propheticæ scripturæ. Secundo ratione scripturæ Apostolicæ, ita vt probem per fundamentum Prophetarum & Apostolorum, intelligi eorum doctrinam scriptam.

D. TANNER.

Nego id desiderari.

D. HVNNIVS.

Si tu demonstrabis aliud, per fundamentum intelligi quàm doctrinam, euiceris causam tuam.

D. TANNER.

Tuum est probare sequelam, non meum demonstrare, & prouoco ad legem quartam, quam recitauit.

D. HVNNIVS.

Legit locum, Ephes. 2. & addit. Ostendit hic locus, quod Apostolus agat, non de imperfecto aliquo fundamento Ecclesiæ, sed de perfecto.

D. TANNER.

Infer & fac Syllogismum.

D. HVNNIVS.

Ego ab aduersario toties interturbatus, disertissime profiteor, nolle me cũ isto homine, amplius disputare, nisi permittat vt explicentur, & euoluantur dicta scripturæ, nisi enim ratio illa sophistica coërceatur, ni hil possumus cũ illo agere.

D. TANNER.

Explicent, quando tamen necesse est explicare textum. Videmus subterfugere dominum illam viam, quæ proxima est ad indagandam veritatem, de quo protestor coram toto auditorio.

D. HVNNIVS.

Tu hodiè locum Pauli ad Ephes. 2 ferè tantùm ad prædicatum verbum Prophetarum & Apostolorum retulisti.

D. TANNER.

Hoc mihi falsò tribuitur.

D. HVNNIVS.

Quicquid Prophetæ & Apostoli docuerunt & prædicauerunt, id scriptis traditum est. Itaq; præter illud scriptum verbum propheticum & apostolicum, nullum est aliud fundamentum Ecclesiæ.

D. TANNER.

Nego antecedens.

D. HVNNIVS.

Confirmo per collationem locorum Apostolicorum; testatur enim Paulus, & explicat quid sibi velit, per fundamentum Prophetarum & Apostolorũ 2. Tim. 3. sciens quòd à puero sacras literas nosti, quæ te possunt erudire ad salutem, per fidem, in Christo Iesu. Omnis enim doctrina diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum, in iustitia, vt perfectus sit Dei homo ad omne opus instructus. Hoc loco Paulus priore quidem membro commendat perfectionem scripturæ propheticæ, quòd ex illa Timotheus sufficienter erudiri potuerit ad salutem. In posteriori membro cum ait, omnis scriptura, &c. loquitur de integro complexu & systemate scripturæ propheticæ pariter & Apostolicæ, deq; illa prædicat, quòd possit hominem ad omne opus bonum instruere, & perfectum reddere.

D. TANNER.

Fac Syllogismum.

D. HVNNIVS.

Legit locum denuò; A puero sacras literas, &c. Hæ sunt scripturæ propheticæ. Nam tempore infantiæ Timothei, non extabant scripturæ Apostolicæ: Omnis scriptura, &c. Hic quoq; prorsus nulla fit mentio vllius non scriptæ tradi-

traditionis, sed solius scripturæ sacræ Prophetarum & Apostolorum, cui hic vltimus finis assignatur, quod perfectum hominem facit. Perfectio verò & æterna salus est effectus perfectus dependens à perfecta causa. Et idcirco non opus est ad perfectionem hominis, vel ad æternam nostram salutem, traditionibus non scriptis; sic igitur concludo: perfectus effectus dependet à perfecta causa, salus & perfectio hominis sunt effectus perfectus; Ergò dependent à perfecta causa.

D. TANNER.

Responde ad id, quod probare debes Domine Doctor. Nam quæ allata sunt, ad rem nihil faciunt; nego enim quod omnis doctrina sit scriptis tradita.

D. HVNNIVS.

D. Doctor respondeat ad alterutram propositionem syllogismi mei; video autem te non posse respondere. Si doctrina quam hoc loco, nempè 2. ad Timoth. 3 commendat Apostolus, est omnibus partibus & membris absoluta, ita vt finis inde sequatur perfectus & absolutus, nempè salus & perfectio hominis, tum sequitur quod omne dogma, & omnes articuli, & omnis doctrina fidei, Propheticis & Apostolicis scriptis sint comprehensa. At antecedens est verum; ergò etiam consequens.

D. TANNER.

Transeat ista sequela, nego verò minorem.

D. HVNNIVS.

Eam ergò demonstrabimus ex visceribus textus; Apostolus enim de scriptura veteris testamēti sic inquit, sciens quod à puero sacras literas &c. Itaq; demonstratum est his verbis, quod Apostolus luculentissimè asseueret, Timotheum potuisse in sua pueritia ad æternam salutem instrui per scripturam Propheticam, nullis adhibitis traditionibus dogmaticis.

D. TANNER.

Assumit hoc argumentum & negat consequentiam.

D. HVNNIVS.

Vtrum in vestra Dialectica vsitatum sit, negare consequentiam, non assignata ratione, non disputabo, sed iudicium relinquam omnibus, an non Paulus hoc loco manifestissimè asserat, Timotheo adhuc puero scripturam veteris testamenti sufficientem fuisse ad salutem.

D. TANNER.

Paulus non dicit, quod omnis scriptura sit vtilis, exclusa omninò

traditione, dicit quidem esse vtilem, sed non dicit esse sufficientem; & notandum quod Paulus loquatur de Timotheo consistente in puerilibus adhuc annis, & cum nondum essent scripta noui testamenti. Quod si ita intelligamus, potuisse Timotheum per scripta veteris testamenti perfectum reddi, & per illam solam doctrinã, sequeretur nos nihil opus habere doctrina Euangelica, & frustra esse scriptas epistolas Apostolicas, quod nullus vestrum ausus est dicere, Apostolus enim, vt dixi, hoc solum dicit, quod doctrina veteris testamenti, possit instruere hominẽ ad salutem, sed non sequitur idcirco illam doctrinam esse sufficientẽ. Alias sequeretur etiam, quod quilibet liber scripturæ, V. G. Liber Ruth. epistola ad Philemonem, omni alio libro excluso, imò reliquis omnibus exclusis, sit sufficiens, & omnibus numeris absolutus ad hunc finem.

D. HVNNIVS.

Respondebo hac conditione, ne me interpelles. Quod de scriptura veteris testamenti dicitur, in textu præsenti Timotheum potuisse ex illa sufficienter instrui ad salutem, & quod ideo nihil opus habeamus scriptis Apostolicis noui testamenti. Resp. initio. Distinguenda esse tempora, nam tempore pueritiæ Timothei, nondum extabant scripta noui testamenti, nisi quædam fortasse paucæ partes.

Proinde ad æternam salutẽ, potuit eo tempore Timotheus sufficienter instrui ex sacris scripturis veteris testamenti. Deinde verò postquã accesserunt scripta noui testamenti, constabat systema & corpus doctrinæ Christianæ, non ex sola scriptura Prophetica, verum etiam ex scripturis sanctorum Apostolorum & Euangelistarum, ita, vt circa scriptionem huius epistolæ nulla propemodum pars noui testamenti fuerit desiderata. Ostensum est ergo, quod scriptura Prophetica Timotheum adhuc puerum existentem sine traditione non scripta, instituere ad æternam salutem potuerit; quantò id poterit vberius præstare integrum corpus scripturæ veteris & noui testamenti.

D. TANNER.

Nego hoc dicere Paulum. Probetur.

D. HVNN.

Litera loquitur.

D. TANNER.

Litera non loquitur: non sequitur, panis est vtilis ad hominem sustentandum: Ergo est sufficiens, ita nec superius sequitur; proba hoc quod debes probare, aliâs apparebit te non posse probare.

D.HVN-

D. HVNNIVS.

Quasi verò, simile tuum est planè dissimile. Quaritur an ne aliquid aliud prater scripta Prophetica fuerit requisitum, prater scripta Prophetica, ad institutionem Timothei.

D. TANNER.

Nego Apostolum dicere quod tu asseris, tuum est probare.

D. HVNNIVS.

Legit textum; Omnis scriptura diuinitus inspirata est vtilis ad docendum &c. Ex illo sic fui argumentatus; Effectus perfectus dependet à perfecta causa, Salus aterna & perfectio hominis, ad omne bonum opus, est effectus perfectus; Ergo dependet à perfecta causa. Responde ad hunc syllogismum.

D. TANNER.

Id non nego, proba quod debet probari. Hoc enim nego, quod hæc doctrina sit ita perfecta & sufficiens, vt omnibus exclusis sola instruat hominem ad vitam æternam.

D. HVNNIVS.

Tu ludis petendo principium.

D. TANNER.

Non ego peto principium; tuum est probare.

D. HVNN.

Ad literam ego prouoco, omnis scriptura, collectiuè sumitur vocula omnis & integrum designat corpus, vt in Psalmo dicitur, sonus eorum exiuit in omnem terram, id est, totā terram. Ita vt Apostolus non solum partes sed totum etiam systema complectatur, per particulam omnis. Itaq; tota illa scriptura vtilis est ad docendū omnia simul, ad arguendū omnia simul. Praterea si sacra scriptura ad Elenchū omnem omnium errorum & hæreseon qua possunt exoriri confutationē sufficiens est, ita vt ab ijs hareticis apud quos authoritas sacra scriptura sacrosancta est, non possit excitari haresis, qua non antè determinata sit in sacra scriptura, & inde non possit confutari, sequitur irrefragabiliter, quod sacra scriptura ad dijudicationem omnium errorum sit sufficientissima: At prius est verum; ergo & consequens.

D. TANNER.

Transeat maior. Nego minorem.

D. HVNNIVS.

Eam

Eam ergo sic probo. Est hoc inter cætera κριτήρια certitudinis & maiestatis scripturæ sacræ non postremum, quod DEVS eiusmodi absolutissimum corpus doctrinæ nobis tradidit, vt nulla à tempore Apostolorum potuerit oriri hæresis, quæ ex illo volumine non potuerit solidè refutari. Et proinde concludo per sufficientem inductionem, quod nulla possit oriri hæresis, quæ non solidissimè ex sacra scriptura possit redargui. Id patet exemplo Arrianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Cerinthi, Ebionitarum, Valentinianorum &c. nec potest vllum dissimile exemplum ostendi; Ergò &c.

D. TANNER.

Nego antecedens: Nempe quòd omnes hæreses ex sola scriptura possint sufficienter refutari. Imò nulla, nulla, nulla harum hæreseon enumeratarum sufficienter ex sacra scriptura est refutata.

D. HVNNIVS.

Notent hoc Notarij.

D. TANNER.

Imo notent, & quidem diligenter, dico quod dixi.

D. HVNNIVS.

Profer exemplum dißimile.

D. TANNER.

Nego omnia illa exempla, quod videlicet vlla illarum hæreseon, exclusa auctoritate Ecclesiæ, ex sola scriptura fuerit sufficienter confutata.

D. HVNNIVS.

Per inductionem exemplorum probatur hoc: si catalogum omnium hæreticorum, apud quos auctoritas sacræ scripturæ est sacrosancta, de sæculo ad sæculum, de tempore ad tempus examinaremus, cognosceremus vtiq; omnes illorum hæreses, & errores ex sola sacra scriptura sufficientissimè esse refutatos.

D. TANNER.

Nulla fuit vnquam hæresis, quæ ex sola scriptura potuerit refutari; Arrianorum hæresis ex sola scriptura non potuit sufficienter refutari; nec Nestorianorum, nec Eutychianorum, nec quorumcunq; hæreticorum, quod clarè repeto, assurgendo, vt omnes intelligant.

D. HVNNIVS.

Indicabit Ecclesia, habemus, quid foueas in animo.

D. HAIL-

D. J. HAILBRONNER.

Contrarium testabuntur omnia monumenta SS. Patrum quod nimirum ex sola scriptura hæreses sufficienter sint confutatæ.

D TANNER.

Nulla hæresis ex sola scriptura potest sufficienter refutari, quia nec de ipsa scriptura, seposita auctoritate Ecclesiæ, sine traditione constare potest, quòd sit canonica,

D, HVNNIVS,

Est ignoratio Elenchi; nam concessisti in meo argumento adiectam illam determinationem; de quibus ego Hæreticis loquar, videlicet apud quos sacrosancta est sacræ scripturæ authoritas: Demonstret D. Doctor vel vnico tantum exemplo & ostendat hæresin, quæ ex sacra scriptura non possit refutari.

D. TANNER.

Peto probari, quod ex sola scriptura fuerint sufficienter refutatæ illæ hæreses.

D. HVNN.

Illud argumentum meum agit de Hæreticis, apud quos præsupposita est authoritas sacræ scripturæ, tu euagaris à scopo.

D. RVNGIVS.

Legit testimonia, de perfectione, & perspicuitate sacræ scripturæ. Item testimonia pro vnica norma doctrinæ, ex Iure canonico, quæ omnia huic sessioni immediatè subiunguntur.

T TESTI-

TESTIMONIA SANCTORVM PATRVM, DE EMINENTISSIMA AVTHORITATE SACRÆ SCRIPTVRÆ, quòd pro vnica Norma doctrinæ, ac Iudice controuersiarum Religionis sit vsurpanda.

TERTVLLIANVS, *qui vixit circa Annum Christi 160. Episcopus Carthaginensis, inter latinos Ecclesiæ scriptores primus, lib. de resurrect. carnis, pag. 37.* Aufer deniq; hæreticis, quæcunq Ethnicis sapiunt, vt de scripturis solis quæstiones suas sistant; & stare nō poterunt.

Idem aduersus Hermogenem, pag. 350. Adoro scripturæ plenitudinem, quæ mihi & factorem manifestat, & facta; scriptum esse doceat Hermogenis officina, si non scriptum, timeat, væ illud adijcientibus aut detrahentibus destinatum.

IVSTINVS *Philosophus & martyr, Anno Christi 141. ex sola scriptura disputat cum Tryphone Iudæo:* non sustinuissemus, inquit Iudæus, te disserentem, nisi CVNCTA ad scripturas referas *pag. 215.* ἐξ αὐτῶν γὰρ τὰς ἀποδείξεις ποιεῖσθαι ἀπαγγέλλεις. *Iustinus vicissim pag. 217.* scripturas vobis commemorabo, minimè omniū, apparatum verborū arte sola conquisitorū.

Rursus pag. 239. Trypho Iustino testimonium perhibet, ipsum sedulo operam dare, vt ad scripturas confugiens, tutus sit in omnibus.

IRENÆVS. *Episcopus Lugdunensis in Gallia circa annum Christi 175. lib. 1. cap. 1. pag. 37. lib. 4. cap. 69. pag. 502. vocat sacram scripturam;* τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ, canonem veritatis immobilem.

Idem, lib. 3. cap. 1. non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognouimus, quàm per eos per quos Euangeliū peruenit ad nos, quod quidem tunc præconiauerant, postea verò per Dei voluntatem, in scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.

Idem, lib. 3. cap. 2. cū ex scripturis arguuntur (*Hæretici*) in accusationē conuertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, neq; sint ex authoritate; Et quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. Non enim per literas traditam

illam

illam, sed per viuam vocem, ad quam causam & Paulum dixisse, sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non mundi huius.

Idem, lib. 5. pag. 590. Oportet confugere ad Ecclesiam, & eius sinu educari & dominicis scripturis enutriri. Plantata est enim Ecclesia paradisus in hoc mundo. Ab omni ergo ligno paradisi escas manducabis, ait spiritus Dei, id est, ab omni scriptura Dominica manducate.

CYPRIANVS *anno circiter 230. ad Pompeium, contra Epist. Steph.* nihil innouetur, nisi quod traditum est, vnde est ista traditio? Vtrum ne de Dominica, & Euangelica authoritate descendens, an de Apostolorum mandatis & EPISTOLIS *veneris? Ea enim facienda esse, quæ SCRIPTA sunt, DEVS testatur & proponit ad IESVM Naue dicens, Non recedat liber legis ab ore tuo, vt obserues facere omnia, quæ scripta sunt. Si igitur aut in Euangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis & actibus continetur, obseruetur etiam hæc sancta traditio. *veniens

Ibidem, quæ ista obstinatio? quæue præsumptio? Humanam traditionem diuinæ dispositioni velle anteponere?

ORIGENES ALEXANDRINVS *circa annũ Christi 233. homil. 1. in Hieremiã. tom. 2. fol. 10.* Necesse est nobis scripturas sanctas in testimoniũ vocare, sensus enim nostri & enarratiões, sine his testibus nõ habẽt fidẽ.

Idem, tract. 23 in Matth. legis exemplo silentium Sadducæis imposuit IESVS, volens ostendere, quoniam amaram & nociuam mendacij vocem obmutescere fecit claritas veritatis. Sicut ergo saluator, verbo doctrinæ suæ, silentium imposuit Sadducæis, & falsum dogma, quod apud illos veritas putabatur, conuicit fiducialiter: sic facient & Christi imitatores exemplis scripturarum, quibus oportet, secundum sanam doctrinam omnem vocem obmutescere Pharaonis, in qua glorians dicit, mea sunt flumina, & ego feci ea &c.

Idem, in Matth. tract. 25. debemus ergo ad testimonium verborum, quæ proferimus in doctrina, proferre sensum scripturæ, quasi confirmantem quem exponimus sensum, sicut enim omne aurum extra templum, non est sanctificatum, sic omnis sensus qui fuerit extra diuinam scripturam, quamuis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctissimus, quia non continetur à sensu sacræ scripturæ, quæ solet eum solum sensum sanctificare, quem habet in se.

IDEM ORIGENES *ad Rom. cap. 3. lib. 3. pag. 368.* Post hæc verò, vt ei moris est de scripturis sanctis vult affirmare, quod definiat: simul & Doctoribus Ecclesiæ præbet exemplũ, vt ea quæ loquuntur ad popu-

lum, non proprijs præsumpta sententijs, sed diuinis munita testimonijs proferant. Si enim ipse tantus ac talis Apostolus, authoritatem suorum sufficere posse non credit, nisi doceat in lege, & Prophetis scripta esse quæ dicit: quantò magis nos minimi hoc obseruare debemus, vt non nostras cum docemus, sed S. Spiritus sententias proferamus.

IDEM ORIGENES *in Matth. tract. 26. pag. 14.* Nemo vti debet ad confirmationem dogmatū, libris qui sunt extra canonizatas scripturas.

LACTANTIVS *Firmianus, qui tempore Constantini Magni, Anno circiter 314. floruisse dicitur, Instit. diuina. lib. 5. cap. 20. docet: In negocio religionis non valere quicquam mortalis hominis auctoritatem, sed diuinis aliquibus testimonijs confirmanda esse dogmata, sicut Christiani faciant, non opus esse vi & iniuria, quia religio cogi non posit; Verbis potius quàm verberibus rem agendam esse, vt sit voluntas: Defendendam esse religionem non occidendo, sed monendo, non sæuitia, sed patientia, non scelere, sed fide.* Illa enim malorum sunt; hæc bonorum. Et necesse est bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si meritis, si malo religionem defendere velis, iam non defendetur illa, sed polluetur, & violabitur. Nihil est enim tam voluntarium, quàm religio, in qua si animus sacrificantis, auersus est, iam sublata, iam nulla est.

In rebus fidei, nec quicquam valet mortalis hominis authoritatas, sed diuinis testimonijs confirmanda sunt dogmata: Pontifex Romanus est homo mortalis; Ergo nec quicquam in rebus fidei valere debet eius auctoritas, donec sua dogmata, diuinis aliquibus testimonijs confirmet, sicut olim fecerunt Christiani.

HILARIVS *Pictauorum Episcopus, circa annum Christi 350. de Trinit. lib. 3. pag. 43.* benè habet, vt ijs; quæ scripta sunt, contentus sis,

Idem HILARIVS *ad Constantium Augustum (Arrianæ factionis authorem) lib. 2.* In quantum ego, nunc beatæ religiosæq; voluntatis verè te Domine Constanti Imperator, admiror, fidem tantum secundū ea, quæ scripta sunt, considerantem, & meritò planè ad illa ipsa vnigeniti Dei eloquia festinans, vt Imperatoriæ sollicitudinis capax pectus, etiam diuinorum dictorum conscientia, plenum sit. Hoc qui repudiat, Antichristus est, & qui simulat, Anathema est.

Et paulò post.

Fidem Imp. quæris? audi eam, non de nouis chartulis, sed de Dei libris.

Ibidem ad obiectionem, quod hæretici quoq; pro defensione suorum dogma-

tum

tum scripturas citare soleant. *Respondet*: omnes scripturas sine sen su loquuntur, fidẽ sine fide prætendunt, scriptura enim non in legendo, sed in intelligendo: neq; in præuaricatione sunt, sed in charitate sunt scriptæ: nec sub eis ea, quæ non scripta sunt, prædicentur.

BASILIVS *Mag. Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, circa annum Christi 380. scripturam sacram, inter se & aduersarios,* IVDICEM *constituit. Epist. 80. ad Eustchaium Medicum, tomo 2. pag. 74.* Non putamus æquum esse, vt quæ apud ipsos obtinuit loquendi consuetudo, pro lege ac canone habeatur rectæ doctrinæ. Si enim ad probandã doctrinã rectam valet consuetudo, licet & nobis omninò, in hac re illos imitari, stemus igitur arbitratu à Deo scripturæ (*scriptura diuinitus inspirata inter nos* ARBITER *vel* IVDEX ESTO.) & apud quos inueniuntur dogmata diuinis Oraculis consona, illis omninò veritatis adiudicetur sententia.

IDEM, *Epistola 74. ad Episcopos Occidentales, de Apollinario scribit* Esse quædam in ipsius libris, quibus orbem repleuerit, nonnulla ad Theologiã pertinentia, non ex scripturæ probationibus, sed ex humanis argumentis adstructionem habentia.

IDEM *in Ethicis definit 28.* Quodcunq; vel verbum vel factum, corroborandum esse diuinæ scripturæ testimonio, ad plerophoriam bonorum, & confusionem malorum.

IDEM *in Ethicis definit 72. cap. 1.* Oportet subditos eos, qui in scripturis imbuti sunt, probare eaquæ in Doctoribus dicuntur, & quæ scripturis sunt consona, recipere, quæ aliena, reijcere, & eos, qui eiusmodi alienis doctrinis perseuerant, vehementius auerlari.

IDEM, *in Ethicis definit 80. cap. 26.* Quid est proprium fidei? indubitata persuasio de veritate diuinorum Eloquiorum, quæ nulla ratione, neque per naturalem necessitatem inducta, neq; per pietatem effecta & composita concutiatur. Quid est proprium credentis? vt tali persuasione assentiatur virtuti dictorum, neq; quicquam præsumat, vel reprobare, vel superaddere. Si enim quicquid ex fide non est, peccatum est, sicut dicit Apostolus, fides verò ex auditu, auditus autem per verbum DEI est; Ergò quicquid extra diuinam scripturam est, cum ex fide non sit, peccatum est.

IDEM *de fide, Tomo 2. pag. 194.* Manifestus est fidei lapsus, & liquidum superbiæ vitium, vel respuere aliquid eorum, quæ scriptura habet, vel inducere quicquam quod scriptum non est. Cum Dominus noster IESVS Christus dicat: Oues meæ vocem meam audiunt, & præ-

miserit, alienam autem non sequuntur, sed fugiunt ab illo, quoniam non norunt vocem alienorum. Et Apostolus per humanum exemplum vehementer prohibeat, aliquid in diuinis scripturis vel addere, vel demere. Cum dicit hominis tamen testamentum corroboratum nemo reprobat, aut aliquid ei superstruit.

IDEM *in regulis contractioribus, quæst. 1. tomo. 2. pag. 294.* An liceat aut conducat, vt sibi ipsi quisquam permittat, vel facere, quæ bona putat, absq; diuinarum scripturarum testimoniis? in responsione. Quoniam quæ inter nos versantur & aguntur, quædam sunt per mandatum Dei in sacris scripturis definita & explicata; quædam verò nõ explicata. De ijs autem quæ scripto sunt explicata, nulla prorsus cuiquam in vniuersum data est potestas, vt vel faciat aliquid eorum, quæ vetita sunt, vel omittat quicquam eorum, quæ sunt præcepta, cum Dominus ea mandauerit ac dixerit: Et custodies verbum, quod ego tibi præcipio hodie, nec addes illi, nec tolles de illo quicquam. De illis verò, quæ explicata non sunt, canonem nobis posuit Apostolus Paulus. Omnia mihi licent, sed non omnia prosunt, &c.

IDEM *Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 7.* Quod itaq; patres nostri dixerunt, nos etiam dicimus, quod gloria communis est patri & filio, &c. At non hoc nobis sufficit, quod patrum est traditio. Nam & illi scripturæ authoritatem secuti sunt ex testimonijs, quæ paulo antè ex scriptura produximus initio accepto, &c.

AMBROSIVS *Episcopus Mediolanensis, Anno Christi 380. nullum alium agnoscit Iudicem Disputat. quam Sacram Scripturam, lib. 2. de vocat. Gen. capit. 3.* sanctis *inquit*, Scripturis non loquentibus quis loquatur?

IDEM, *de fide ad Grat. lib. 1. cap. 4.* Nolo argumento credas sancte Imperator, & nostræ disputationi, scripturas interrogemus, interrogemus Apostolos, interrogemus Prophetas, interrogemus Christum; Quid multum? Patrem interrogemus, cuius honori studere se dicunt.

HIERONYMVS, *in Syria circa Annum Christi, 390. in Matth. cap. 23.* Hoc quia de scripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur,

IDEM, *in Psalm. 86. Tom. 8. pag. 127.* exceptis Apostolis, quodcunq; posteà dicetur, abscindatur, non habeat authoritatem.

Quamuis ergo sanctus sit aliquis post Apostolos, quamuis disertus

tus sit, non habet authoritatem. Quoniam Dominus narrat in scriptura populorum & principum horum, qui fuerunt in ea.

IDEM *in Mich. lib. 1. cap. 1. tom. 6. pag. 139.* Ecclesia Christi in toto orbe Ecclesias possidens, spiritus vnitate coniuncta est, & habet vrbes legis, Prophetarum, Euangelii & Apostolorum, non est egressa de finibus suis, id est, de scripturis sanctis.

IDEM, in Agg. 1. Gladius verbi DEI percutit omnia, quæ absque authoritate & testimoniis scripturarum, quasi traditione Apostolica reperiunt atq; * conuincunt. *confingunt

Vult igitur vt traditiones quoq; quæ Apostolorum nomine venditantur, ex scripturis examinentur. Multi enim superstitibus adhuc Apostolis, & post illorũ obitum, prætextu Apostolicarum traditionum homines deceperunt, vt videre licet. Actor, 15. in Epist. Synodi Hierosolymitanæ, ad fratres Antiochiæ, Syriæ & Ciliciæ, vers. 24. Audimus quia quidam ex vobis exeuntes turbauerunt vos, verbis euertentes animas vestras. Quibus non mandauimus. 2. Thes. 2. vers. 2. Ne citò moueamini à vestro sensu, neq; terreamini, neq; per Spiritum, neq; per sermonem, neq; per Epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini.

Papias prætextu traditionum Apostolicarum multis Ecclesiasticis viris erroris author extitit, teste Eusebio, lib. 3. capit. vltim. Idipsum testatur Benedictus Pererius Iesuita in comment. in Genesin. lib. 3. vbi agit de Paradiso, verum, inquit, Irenæus affirmat se, quod de Paradiso tradit à Presbyteris ASIÆ, DISCIPVLIS APOSTOLORVM ACCEPISSE. *Sed quid tum postea? An ideò quodcunq; ab istis Presbyteris proditum est, tanquam certum & indubitatum doctrinæ Christianæ dogma haberi debet? Nonne constat istos ipsos presbyteros, eodem referente Irenæo, quædam & falsa & diuinis litteris contraria docuisse? Certè Irenæus lib. 3. aduersus hæreses, cap. 36. persuadere studet, Christum Dominum annos propè 50. in terris vixisse, idq; probat ipse vel eò potissimum argumento. Quòd Presbyteri Asiæ Apostolorum discipuli, id sibi ab Apostolis traditum alios docuerunt. Quam tamen opinionem, & vero procul abesse, & aduersari non solùm historiæ Ecclesiasticæ, sed etiam Euangelicæ, etiam leniter sacris literis eruditi facilè possunt intelligere.* Hactenus Pererius Iesuita.

IDEM HIERONYMVS, *Tomo 2. aduersus Heluid. pag. 5.* non Rhetorici campum desideramus * eligi, non Dialecticorum tendiculas nec Aristotelis spineta conquirimus, ipsa scripturarum verba ponenda *eloqui

ponenda sunt, vt ipsis quibus aduersum eos vsus est, (Heluidius) testimonijs reuincatur, vt intelligat se & legere potuisse quæ scripta sunt, & non potuisse, quæ pietate roborata sunt, cognoscere.

Annis ante Hieronymum ducentis circiter, id ipsum scripsit CLEMENS *Alexandrinus vt ex* SCRIPTIS *de non scriptis iudicemus, Stromat lib.*1. Cui autem mala educatione & doctrina obtusus est animæ oculus, vadat ad propriam lucẽ, ad veritatẽ. Quæ in scriptis ea, quæ non sunt scripta indicat, πρὸς τὸ οἰκεῖον φῶς βαδιζέτω ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν τὴν ἐγγράφως τὰ ἄγραφα δηλοῦσαν

Hieronymus Conciliorum quoq́, decreta ex sacra scriptura examinari iubet, in Epist, ad Galat. cap.5. Spiritus sancti doctrina est, quæ libris Canonicis prodita est, contra quam si quid statuant Concilia, nefas esto.

CLEMENS ALEXANDRINVS, *scribit Strom. lib.6. pag.314. Petrũ dicere solitũ* οὐδὲν ἄπερ γραφῆς λέγομεν, absquè scriptura nihil dicimus.

IOANNES CHRYSOSTOMVS *Episcopus Constantinopolitanus, circa annum Christi 403, Corinth.7. homil.13.* habemus omnium exactissimam trutinam, gnomonem & regulam, diuinarum inquam Legum assertionem. Ideo oro & obsecro vos omnes vt relinquatis, quid nam huic aut illi videatur, deq; his à scripturis hæc omnia inquirite, & veras diuitias discentes, eas sectemur, vt æterna possideamus bona.

IDEM *in Genes. homil.13.* orat, vt ad amussim Canonem sacræ scripturæ sequamur.

IDEM *Tom.1. in Psalm.95. colum.* 960. 774. Quis est qui ista promittit? Paulus. Neq; oportet quicquam dicere sine testibus, solaq; animi cogitatione. Nam si quid dicitur absquè scriptura, Auditorum agitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum sermonem vt friuolũ auersans, interdum vt probabilem recipiens: Verum; vbi è scriptura diuinæ vocis prodijt testimonium & loquentis sermonem & audientis animum confirmat.

IDEM, *Ibid. homil.49. ex cap.24.* Quia in Ecclesijs Christi, frequenter exeunt seductores, propterea nullis omninò credendum est, nisi ea dicant, vel faciant, quæ sunt conuenientia scripturis.

IDEM, *Concione 4. de Lazaro,* quid Abraham? si Moysen & Prophetas non audierunt, nec si quis ex mortuis resurrexerit, credent, idq; verum

rum

rum esse, quod qui nō audit scripturas, neq; ex mortuis excitatos, auditurus sit, declararūnt Iudæi: qui quoniam Moysen & Prophetas * audierant, neq; cum mortuos vidissent excitatos, crediderunt. * non audierant

Vt verò & aliundè cognoscat, quod grauior sit scripturarum ac Prophetarum doctrina, quàm si quid à mortuis resuscitati renuncient, illud considera, quod quisquis mortuus est, seruus est. Quæ verò scripturæ loquntur, locutus est Dominus. Proinde etiamsi mortuus reuiuiscat, etiamsi Angelus è cœlo descendat, maximè omnium credendum est scripturis. Nam Angelorum genus mortuorum pariter ac viuentium Dominus eas condidit.

Idem. Homil. 58. in cap. 10. Ioannis, meritò Ostium scripturas appellat, (Christus) quoniã nos ad DEVM ducunt, & eius cognitionem nobis aperiunt. Ipsæ oues faciunt: Ipsæ oues custodiunt, neq; lupos irrumpere permittunt. Tanquam enim ostium firmissimum hæreticos arcent, & in tuto constituunt, neq; nos, modò velimus, aberrare vnquã sinent &c.

Et mox: Qui sacra non vtitur scriptura, sed ascendit aliundè, id est, non concessa via, is est fur. Ecce cum patre conuenientiam, cum scripturas in mediũ proferat: Ideò dicebat Iudæis, scrutamini scripturas, & Moysen, & Prophetas adducit in testimonium.

Idem, in cap. ad Hebr. &c. 5. homil. 8. si habuerimus sensus animi exercitatos, poterimus huiusmodi (dogmata puta) discernere. Quomodo autem fiunt sensus nostri exercitati? ex vsu scripturarum, ex frequenti auditione. Quando enim proponimus eorum errores, & hodiè audieris, & crastina probaueris, non benè se habere, cuncta doceris, cuncta cognoscis, & si hodiè non assequeris, cras assequeris. Vt mox sicut qui regulas tradunt, non compellunt decem millia metra scrutari; sed illud quod traditum est custodire jubent, sic & in dogmatibus. Sed nemo ad scripturas attendere, si enim aduerteremus, non solum non incideremus in fallaciam, sed etiam alios deceptos inde liberaremus, & de periculis abstraheremus.

Idem Hom. 52. in Ioann. Hoc igitur pacto, si scripturas scrutari diligenter voluerimus, salutem assequi poterimus. Si penitus in eis versabimur, & doctrinam rectam & vitam docebimur.

Idem Hom. 13. in Genesin. Oro vt omnibus illis præclusis auribus, ad amussim canonem sacræ scripturæ sequamur.

Idem tom. 2. opere imperfecto in Matth. hom. 49. colum. 10. & 9. quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias, nulla probatio

potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem; nisi scripturæ diuinæ. Antea enim multis modis ostendebatur, quæ esset Ecclesia Christi, & quæ Gentilitas. Nunc autem nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi; NISI TANTVMMODO PER SCRIPTVRAS.

Ibidem, sciens ergo Dominus tantam confusionem rerum in nouissimis diebus esse futuram, ideo monet, vt Christiani, qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ ad nullam rem fugiant, nisi ad scripturas. Alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur & peribunt, non intelligentes quæ sit vera Ecclesia. Et per hoc incident in abominationem desolationis, quæ stat in sanctis Ecclesiæ locis.

Idem, Tom. 3. Hom. de sancto & adorando spiritu, col. 898. spiritus ex Euangelio probandos esse docet; venit, inquit Montanus, dicens, spiritum sanctum habeo, venit Manichæus, dicens, spiritum sanctum habeo. Non fuit autem manifestum. Vt igitur ne plures nomine seducerentur, quoniam inuisibiliter donum venturum erat, dicit. Quando venerit Paracletus, spiritus veritatis, qui à patre procedit; Ille vos memores faciet verborum meorum, & inducet vos in omnem veritatē. Non enim à semetipso loquetur. Nam si quem videritis dicentem, spiritum sanctū habeo, & non loquentem Euangelica, sed propria, is à seipso loquitur &c.

Ibidem paucis interpositis, si videritis Euangelica repetentem, profecto spiritum sanctum habet; Veniet enim spiritus sanctus, vt recordari vos faciat eorum quæ docui. Si quis igitur eorum, qui dicuntur habere spiritum sanctum, dicat aliquid à seipso; et non ex Euangelijs, non credite, meam doctrinam sequimini.

Si traditiones Apostolicæ, consuetudines, dogmata, spiritus, Ecclesia, scripta patrum, omnia ex scriptura sacra sunt examinanda, est & manet profectò scriptura Vnica norma & regula doctrinæ, omniumque controuersiarum Religionis Iudex. Sed secundum doctrinam sanctorum Patrum, illa omnia ex scriptura sunt examinanda sicut de traditionibus, consuetudinibus, dogmatibus, & spiritibus hactenus probatum est, de scriptis verò patrum post patescet. Ergo scriptura est, & manet vnica norma ac regula doctrinæ, & controuersiarum religionis Iudex.

Idem, Joann. Chrysostomus tom. 4. in 2. ad Timoth. hom. 9. si quid vel discere, vel ignorare opus sit, illic (in scriptura sacra) addiscemus, si arguerit falsitatem, inde hauriemus, si corrigi, si castigari ad exhortationem

nem, ad solatium: si quid desit, & oporteat addisci, ex ea nihilominus discimus. Non ergò sine illa profici potest (homo DEI) pro me inquit, scripturas habes: si quid addiscere cupis, hinc poteris. Si autem Timotheo ista scribit, sancto spiritu pleno, quantò magis nobis dicta putare debemus?

EPIPHANIVS *Episcopus Constantiæ Cypri, circiter Annum Christi 400. hær. 65.* Nos vniuscuiusq; quæstionis inuentionē non ex proprijs ratiocinationibus, sed ex scripturarum consequentia desumimus.

Idem Epiphanius Hæres. 76. Dum confutat Aetij Anomœi libellum, eidem obijcit: Quod non ex consequentia scripturæ, sed ex mortalis cogitationis, syllogismos pronunciet.

SVLPITIVS SEVERVS BITVRIGVM *in Gallia Episcopus, circa Annum Christi 420. in hist. sac. pag. 2.* Vniuersa sacrarum rerum mysteria, non nisi ex ipsis fontibus (sacris voluminibus) hauriri queunt.

CYRILLVS *Episcopus Alexandrinus, Anno Christi 430. de recta fide ad Reginas:* Necessarium nobis est: Diuinas sequi literas, & in nullo ab earum præscripto discedere.

Idem, lib. 5. in Leuit. Ego puto in hoc biduo duo testamenta posse intelligi, in quibus liceat omne verbum, quod ad Deum pertinet, requiri & discuti, atq; ex ipsis omnem rerum scientiam capi, si quid autem superfuerit, quod non diuina scriptura decernat, nullam aliam debere tertiam scripturam ad auctoritatem scientiæ suscipi.

AVGVSTINVS *Episcopus Hipponensis in Africa, Anno 430. Ep. 166.* in scripturis didicimus Christum, in scripturis didicimus Ecclesiam, has scripturas communiter habemus: quare non in eis & Christum & Ecclesiam communiter, retinemus?

Idem de nupt. & concupisc. ad Valerium lib. 2. cap. 33. Hæc controuersia Iudicem quærit. Iudicet ergo Christus; iudicet cum illo & Apostolus, quia & in Apostolo ipse loquitur Christus.

Idem Epist. 48. Audi, dicit DOMINVS, non dicit Donatus, aut Rogatus, aut Vincentius, aut Hilarius, aut Ambrosius, aut Augustinus, sed dicit DOMINVS.

Idem in Psal. 57. Auferantur è medio chartæ nostræ, procedat in medium CODEX DEI. Audi Christum dicentem. Audi veritatem loquentem.

De vnitate Eccl. cap. 3. non audiamus: hæc dico: hæc dicis: sed

audiamus, Hæc dicit dominus; sunt certè Libri Dominici, quorum au-ctoritati vtriq; consentimus, vtriq; credimus, vtriq; seruimus. Ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.

Ibidem; auferantur ergò illa de medio, quæ aduersus nos inuicem, non ex diuinis canonicis libris, sed aliunde recitamus.

Ibidem, quia nolo humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctá Ecclesiam demonstrari.

Ibidem; Ergò in scripturis sanctis canonicis eam requiramus.

Eod. lib. cap. 10. nemo mihi dicat, ô quid dixit Donatus, aut quid dixit Parmenianus, aut Pontius, aut quilibet illorum, quia nec catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi fortè falluntur, aut contra Canonicas Dei scripturas aliquid sentiant.

Eodem lib. cap: 16. Remotis ergo omnibus talibus, Ecclesiam suam demonstrent, si possunt, non in sermonibus, & rumoribus Afrorum, non in Concilijs Episcoporum suorum *(Constantiensi, Tridentino)* non in literis quorumlibet disputatorum *(Lombardi, Thomæ, Scoti, Bellarmini)* non in signis & prodigijs fallacibus *(ad* MARIAM *Oetingensem, S. Leonhardum, Saluatorem &c. factis)* quia etiam contra ista verbo Domini præparati, & cauti redditi sumus. Sed ex præscripto legis : in Prophetarum prædictis : in Psalmorum cantibus: in ipsius pastoris vocibus : in Euangelistarum prædicationibus, & laboribus, hoc est, in omnibus sanctorum librorum authoritatibus.

Eod. cap. vtrum ipsi (Donatistæ) Ecclesiam teneant, non nisi diuinarum scripturarum canonicis libris ostendant.

Idem, epist. 163. Faciamus Codices Canonicos præsto esse. Et si qua proferri potuerint ex vtraque parte documenta, vt posthabitis cæteris, nulla si Domino placuerit, interpellante molestia, quotquot diebus poterimus, ad hoc vacantes, & vnusquisque nostrum apud suum hospitem Dominum deprecantes, adiuuante ipso, cui pax Christiana gratissima est, rem tantam & bono animo cœptam, ad inquisitionis terminum producamus.

Idem contra Maximin. Arrian. lib. 3. cap. 14. Quid est inquam ὁμοούσιον, nisi ego & pater vnum sumus? Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus proferre concilium: nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris, scripturarum auctoritatibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.

IDEM, *de peccatorum meritis & remiss. lib. 1. cap. 22.* Cedamus igitur & consentiamus authoritati sacræ scripturæ, quæ nescit falli, nec fallere.

IDEM, *Contra lit. Petiliani Donatistæ, lib. 3. cap. 6.* Proinde siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunq; alia re, quæ pertinet ad fidem, vitamq; nostram, non dicam nos, nequaquam comparandi ei, qui dixit, licet si nos, sed non omninò quod secutus adiecit. Si Angelus de cælo nobis annunciauerit. Præterquam quòd in scripturis legalibus, & Euangelicis accepistis, Anathema sit.

IDEM *contra Crescent. Grammat. lib. 2. cap. 31.* Neq; enim sine causa tam salubri vigilantia CANON Ecclesiasticus constitutus est, ad quē certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omnes iudicare non audeamus. Et secundum quos de cæteris libris vel fidelium, vel infidelium liberè iudicamus.

EOD. *lib. cap. 32.* Ego huius Epistolæ auctoritate non teneor, qui literas Cypriani non vt canonicas habeo, sed eas ex canonicis considero, & quod in eis diuinarum scripturarum authoritati congruit; cum laude eius accipio, quod autem non congruit, cum pace eius respuo.

IBIDEM, Quapropter ita hoc Cypriani non accipio, quamuis inferior incomparabiliter Cypriano, sicut illud Apostoli Petri, quod gentes iudaizare cogebat, nec accipio, nec facio, quamuis inferior incomparabiliter Petro.

IDEM, *Augustinus tomo 9. libro de pastoribus, cap. 11.* constituit montes Israel, authores diuinarum scripturarum. Ibi pascite vt securè pascatis. Quicquid indè audieritis, hoc vobis benè sapiat. Quicquid extra est, respuite; ne erretis in nebula. Audite vocem pastoris: colligite vos ad montes scripturæ sanctæ. Ibi sunt deliciæ cordis vestri. Ibi nihil venenosum: nihil alienum; vberrima pascua sunt.

PLVRA *ex Augustino infra citantur ex allegatis Iuris Canonici.*

IDEM, *in Psalm. 67.* vtriusq; testiamenti testmonijs acquiescendum, vt quando aliquid ex his profertur, & probatur omnis contentio, pacifica quiete finiatur.

THEODORETVS. *Episcopus Cyrensis, Ann. Christi 440. Dialogo 1. pag. 18.* Noli mihi (inquit Orthodoxus) humanis cogitationibus & raciocinationibus obstrepere. Ego enim in sola scriptura diuina acquiesco.

EODEM. *Dial. pag. 48.* Decebat te acquiescere in Apostolicis & Propheticis demonstrationibus. Quia verò etiam SS. Patrum interpre-

 tationes

rationes requiris. Ego & hanc tibi, DEO iuuante, applicabo medicinam.

IDEM, *dial.2.pag.146.* Non enim adeò perditè confidens sum, vt ausim aliquid affirmare, quod sacra scriptura silentio præterit.

Perditè igitur confidentes sunt Pontificij, qui tot dogmata & cultus, tam pertinaciter defendunt, de quibus, vt ipsimet fatentur, expreßè nihil extat in scriptura. *Idem in quæst. in Leuit. capite 10. de igne alieno.* Ex quibus docemur, non debere nos extinguere spiritum, sed accendere gratiam quam accepimus, extraneumque nihil ad sacram scripturam inuehere, contentosque doctrina Spiritus Sancti, abominari hæreses, quarum fautores nonnulli fabulas addiderunt, alij suas commentationes impias sententiæ scripturæ prætulerunt.

Histor. Tripart. lib. 2. cap. 6. CONSTANTINVS MAGNVS *Imperator Romanus ad Patres concilij Nicæni,* Euangelici, *inquit,* libri sunt & Apostolici antiquorumq; Prophetarum sanctiones, quæ nos erudiunt, quid de sacra lege sapiamus (vel quid de diuino numine sentiendum sit) expellentes igitur hostile certamen ex verbis diuinitus inspiratis, solutionem quæstionum

Theodor. lib. 1. cap. 7. mente percipiamus.

IOANNES DAMASCENVS, *Monachus in Græcia, circiter annum Christi 730. orthodox. fidei, lib. 1. cap. 1.* Cuncta igitur quæ tradita sunt, & per legem, & per Prophetas, & Apostolos, & Euangelistas suscipimus, cognoscimus, veneramur. Nihil vltra illa perquirentes.

Idem, lib. 4. cap. 18. Quare optimum & animæ conducentissimum est, diuinas scrutari scripturas. Nam quemadmodum arbor plantata secus decursus aquarum, sic anima diuina irrigata scriptura impinguatur, & maturum fructum affert, fidem orthodoxam, & semper virentibus folijs decoratur, id est, Deo placentibus actionibus. Ad actionem enim studiosam, & contemplationem synceram ex Diuinis scripturis apti euadimus. Nam virtutis omnem exercitationem, & omnis vitij auersionem, in illis comperimus.

Ibidem. Hauriamus ex huius horti fonte perennia & purissima fluenta salientia in vitam æternam.

THEOPHYLACTVS, *Bulgariæ Episcopus, circa An. Christi, 609.* *In Ioan. cap. 10. fol.* 184. indicia ponit perniciosi: Ille enim inquit, non ingreditur per ostium, hoc est per scripturas. Non enim vtitur scripturis testibus, neq; Prophetis. Nam profectò scripturæ ostium sunt per quas adducimur ad DEVM; illæ lupos non permittunt intrare. Prohibent autem

tem hæreticos ; vt nos securi simus, & de omnibus rationem dant, de quibus voluerimus. Fur igitur est, qui non per scripturas ingreditur stabulum ouium, & ita per illas deprehenditur : Sed ascendit aliunde, hoc est aliam sibi viam & insolidam parat, sicut & corrupti sunt. Talis erit Antichristus. Non enim ex scripturis illius testimonia.

Idem in 2. Timoth. 3. sub finem, super locum. Omnis scriptura diuinitus inspirata prodest. Prodest, *inquit*, nobis, docens nos, si quid sit discendum. Nihil enim est, quod non possit sacra scriptura dilui.

PANORMITANVS *tit. de elect. capitulo, significasti* ; In concernentibus fidem, etiam dictum vnius priuati præferendum esse dicto Papæ, si ille moueretur melioribus auctoritatibus veteris & noui testamenti.

IOANNES GERSON *Cancellarius Parisiensis. An. Domini,* 1420. *part. 1. considerat. 5.* Adiungatur huic declarationi duplex veritas. Prima veritas. staret, quod aliquis simplex, & non authorisatus esset tam excellenter in sacris literis eruditus, quod plus esset credendum in casu doctrinali suæ assertioni, quàm Papæ declarationi, constat enim plus esse credendum Euangelio, quàm Papæ, si doceat ergo talis eruditus veritatem aliquam in Euangelio contineri, vbi & Papa nesciret, vel vltrò erraret, patet cuius præferendum sit iudicium.

Altera veritas. Talis eruditus (simplex vel laicus) deberet in casu, si & dum celebraretur Generale Concilium, cui & ipse præsens esset, illi se opponere, si sentiret maiorem partem ad oppositum Euangelij, malitia vel ignorantia declinare.

Qui scripturam sacram collocat supra Papam & generale concilium; Ille constituit eam supremam & vnicam normam religionis, & controuersiarum iudicem αὐτόπιστον.

Panormitanus & Gerson scripturam sacram collocant supra Papam, & generale concilium; Ergò constituit illam supremam & vnicam Normam Religionis & controuersiarum iudicem αὐτόπιστον.

Idem Gerson infrà.

DISCIPVLVS *de tempore sermone,* 23. Nec etiam Christus mendicauit tempore prædicationis suæ, quod probatur ex eo, quod nunquam legitur mendicasse. Et valet Consequentia. Quia in sacra scriptura tenet locus ab authoritate negatiuè, secundum illud Hieron. Quicquid dicitur & sacræ scripturæ authoritate non probatur, ea leuitate contemnitur, qua affirmatur.

Petrus

PETRVS DE ALIACO, *quaestio.2.in prin.in quarto sentent.* Recurrendum est ad sacras scripturas, vt vitam aeternam adipiscamur.

THEOLOGI LOVANIENSES, *in praefat. Bibliorum, Ann.1573.* cum sacra scriptura Dei opt.max.benignitate fidelibus data sit, tanquam certissimum Catholicae fidei, & religionis fundamentum.

IOAN GERSON, *Cancellarius Parisiensis. Ann. Domini 1425. de examinat. doctrinarum, parte 2. Consid.1.* Attendendum est in examinatione doctrinarum, primò & principaliter, si doctrina sit conformis sacrae scripturae, tàm in se, quàm in modi traditione, declaratur ex authoritate beati Dionysij dicentis in sentent. nihil audendū dicere de diuinis, nisi quae vobis à scriptura sancta tradita sunt. Cuius ratio est, quoniam scriptura nobis tradita est, tanquam regula sufficiens & infallibilis pro Regimine totius Ecclesiastici corporis & membrorū, vsq; in finē saeculi. Est igitur talis ars, talis regula vel exemplar, cui se non conformans alia doctrina, vel abijcienda est, vt haereticalis, aut suspecta, aut impertinēs ad religionem, prorsus est habenda: Hinc glossa quaedam super illud: Apparuerunt Moyses & Elias, loquentes cum eo, scilicet IESV in transfiguratione, suspecta est omnis reuelatio, quam non confirmat lex & Prophetae, cum Euangelio, quae tria significant, Moyses, Elias, & Christus. Alioquin delusiones daemonum, aut potius proprii capitis phantasiationes, quàm reuelationes habeantur. Talibus idiotis obiiciatur illud Christi: Erratis nescientes scripturas.

TESTI-

TESTIMONIA.

SANTORVM PATRVM.

DE PERFECTIONE SACRAE scripturæ.

ATHANASIUS *contra gentiles in exordio*; αὐτάρκεις μὲν γάρ εἰσιν αἱ ἅγιαι καὶ θεόπνευστοι γραφαὶ πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἀπαγγελίαν. per se quidem sufficientes sunt sanctæ ac diuinitus inspiratæ scripturæ ad veritatis indicationem.

IRENÆVS, *lib. 2. cap. 47.* credere autem hæc talia debemus Deo, qui & nos fecit rectissimè scientes, quia scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe à verbo Dei & spiritu eius dictæ.

IDEM, *lib. 4. cap. 45.* Audiui à quodam Presbytero, qui audierat ab his, qui Apostolos viderant, & ab his, qui didicerunt, sufficere veteribus de his, quæ sine concilio spiritus egerunt, eam quæ ex scripturis esset probationem.

IDEM, *lib. 4. cap. 66.* legite diligentiùs id, quod ab Apostolis vobis est Euangelium datum, & legite diligentiùs Prophetas, & inuenietis vniuersam actionem, & omnem doctrinam, & omnem passionem Domini nostri prædicatam in ipsis.

Author operis imperfecti in Matth. 22. Homil. 41. Quicquid quæritur ad salutem, TOTVM iam adimpletum est in scripturis.

CHRYSOSTOM. *ad Tit. Homil. 1.* OMNIA Euangelium continet, & præsentia, & futura, honorem, pietatem, fidem, simul omnia prædicationis verbo conclusit.

CYRILLVS *Tom. 3. contra Iuli. Apostatam lib. 7. colum. 159. ad obiectionem Iuliani dicentis: vobis vestrarum scripturarum Lectio sufficit, cũ melius sit ab illis homines arcere, quàm ab Idolothytorum cibis. Respondet* igitur, sufficit quidem diuina scriptura, ad faciendum eos, qui in illa educati sunt, sapientes & probatissimos, & sufficientissimam habentes intelli-

nostræ Religionis & diuinitatis mysteria explicantur. Quod verò attinet ad eam partē, quæ Moralis nominatur, hinc quoq; OMNIA ad omnes virtutes præcepta colliguntur, quibus quidem duabus partibus, omnis nostræ salutis & fœlicitatis ratio continetur; vt nihil possit esse horum librorum lectione dignius, nihil fructuosius, nihil omnium hominum generi accommodatiùs, nihil maiori doctrina & sapientia refertius; nihil præstantius, nihil vtilius, nihil magis necessarium.

Dietenberger *in Glossa Esa. 8.* Ihr aber solt Euch mehr zum Gesetz vnd zu dem zeugnuß der Geschrifft halten/ vnd von denen raht suchen/ bey welchem ihr auch rahts gnueg finden werdet/ Luc. 16. Darauß zuuernemmen ist, daß man inn vnd auß heyliger Schrifft genuegsam bericht findet/ zu allem/ daß der Seelen Hail betrifft/ wiewol solches nicht von jederman gesehen wirdt/ der die Schrifft nach dem buchstaben liset/ 1. Cor. 14.

Cum igitur scriptura sacra, omnia quæ nobis necessaria sunt, contineat, quid opus est tot dogmatibus, sacramentis, cultibus, sine & extra, vel præter scripturam, à Pontificibus Romanis, eorumq; Ecclesia diuersis temporibus excogitatis?

Canonem fidei perfectum esse oportet, scriptura sacra est Canon fidei; Ergò illum perfectum esse oportet.

Theophylact. ad Philem. 3. Canon & amussis neq; additionem patitur, neq; ablationem.

TESTIMONIA

SANCTORVM PATRVM, DE PERSPICVITATE SCRIPTURÆ SACRÆ.

TERTVLLIANVS, *lib. de resurrectione carnis, pag. 17. vocat hæreticos* LVCIGVGAS *scripturarum.*

Sentit ergo scripturas esse lucidas; ideoq; hæreticis formidabiles.

IRENÆVS, *lib. 3. aduersus hæres. capite 2. testatur hæreticorum esse proprium, scripturas sacras obscuritatis & imperfectionis arguere.* Cum ex scripturis arguuntur, &c. *vt supra.*

IDEM, *lib. 2. cap. 46.* Cum igitur vniuersæ scripturæ, & propheticæ, & Apostolicæ, in aperto, & sine ambiguitate, & similiter ab omnibus audiri possint.

LACTANTIVS, *Instit. diuin. lib. 6. cap. 21.* illis qui scripturam obscuritatis arguere ausi fuerunt, præclare admodum & eleganter respondet. Num igitur Deus & mentis, & vocis, & linguæ artifex diserte loqui non potest? Imò verò summa prouidentia carere fuco voluit ea, quæ diuina sunt, vt omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.

IDEM, *De falsa religione, lib. 1. cap. 1.* In diuina illa sapientia omnia dicta prona sunt, auditu suauia, facilia intellectu.

EPIPHANIVS, *contra Aetium lib. 3. Tom. 2.* Omnia nobis lucida sunt in diuina scriptura de sancta fide, & nihil obliquum, aut tortuosum, aut contrarium.

CHRYSOSTOMVS, *in Ioann. Homil. 1.* Doctrinam, inquit, Ioannis, nulla caligine, nullis tenebris esse opertam, SOLE CLARIOREM ESSE, ATQVE ILLVSTRIOREM.

IDEM *in Thess. 2. Hom. 3.* omnia clara sunt & plana ex scripturis sacris. Quæcunque Necessaria sunt, manifesta sunt.

IBIDEM, Respondet ad obiectionem, quid opus sit concionatore? per nostram negligentiam, necessitatem istam factam esse, respondet.

Idem

Idem, tom. 2. hom. 3. de Lazaro, colum. 1342. Quid igitur, inquiunt si nõ intelligamus ea, quæ continentur in his? Minimè quidẽ, etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia. Quanquam fieri non potest, vt omnia ex æquo ignores. Propterea si quid spiritus gratia dispensauit illa, temperauitq;, quo publicani, peccatores, tabernaculorum opifices, pastores & Apostoli, IDIOTÆ, ILLITERATI, per hos libros salui fierent, ne quis Idiotarum ad hanc difficultatis confugere possit excusationem, vt omnibus facilia conspectu essent, quæ dicuntur, vt & opifex, & famulus, & vidua mulier, & omnium hominum indoctissimus, ex audita lectione, aliquid lucri vtilitatisque reportaret.

Ibidem, Apostoli verò & Prophetæ omnia contrà fecerunt (contra morem Philosophorum) manifesta claraq; quæ prodiderunt, exposuerunt omnibus, velut communes orbis doctores, vt per se quisq; discere possit ea, quæ dicuntur è sola lectione.

Ibidem, cui non sunt manifesta, quæcunq; in Euangelio scripta sunt?

Ibidem, Quin etiam signa, miracula, historiæ, nõne cuiuis nota manifestaq; sunt?

Prætextus iste est, & causatio, pigritiæq; velamentum.

Idem, Præfat. Epist. ad Rom. Lingua illius (*Pauli*) supra solem emicuit, doctrinæq; sermone supra reliquos omnes exuberauit.

AVGVSTINVS *de doct. Christ. lib. 2. cap. 6.* Magnificè & salubriter spiritus sanctus scripturas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod nõ alibi planissimè dictum reperiatur.

Eod. lib. cap. 9. In ijs quæ apertè posita &c. vt sup.

Idem, Epistola tertia ad Volusianum. Non quod ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate.

Idem, Tom. 3. de oper. Monach. cap. 9. de verbis Pauli: Dominus ordinauit ijs, qui Euangelion annunciant, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vsus sum; sic scribit. Quid hoc apertius? quid clarius? vereor ne fortè cum dissero, volens id exponere, obscurum reddam, quod per se lucet & claret. Qui enim hæc verba non intelligunt, aut se non intelligere fingunt, mea multò minus intelligunt, vel se intelligere profitentur: nisi fortè propterea citò intelligant nostra, quia conceditur eis intellecta deridere. De Apostoli autem verbis, non ita conceditur; propterea vbi aliter ea; secundum suam sententiam interpretari non possunt, cla-

ta & manifesta, obscura & incerta esse respondent, quia & praua & peruersa dicere non audent.

Ibidem, conatur caro & sanguis recta deprauare, aperta claudere, serena obnubilare.

In hoc dicto S. Augustini, accuratè admodum & graphicè depictam, contemplari licet causam querelæ Pontificiæ & Iesuiticæ, de obscuritate scripturæ, sanè nimis claram & manifestam eam esse vident, contra religionis suæ articulos & cultus.

Quia verò praua & peruersa dicere non audent, etiam clara & manifesta obscura esse respondent.

Si tam obscura & perniciosa esset laicis præsertim scriptura sacra, patres illos non fuissent hortati ad eius lectionem.

Athanasius in Epistola ad Ephes. cap. 6. qui tamen commentarius in hanc & cæteras Epistolas Paulinas à pluribus Vulgario tribuitur: si vis, tibi vt liberi obsequantur, diuinis hos adde & assuesce sermonibus, nec dixeris Monachorum esse, sacris literis intendere animum, quin potius Christiani cuiusuis hominis id sanè officium est, & eius præcipuè, qui huius sæculi rebus inuersatur, & eò magis, quia & maiori indigeat ope vt qui incendij fluctibus agitetur. Facit igitur in rem tuam quàm maximè, vt sacra scripta tui, & audiant, & lectitent liberi.

Chrysostomus in Genes. 9. homil. 29. Sed & domi diuina biblia in manus sumite, & vtilitatem in illis positam magno studio suscipite.

Idem in Coloss. 3. homil. 9. Audite obsecro SÆCVLARES omnes, comparate vobis Biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis, vel nouum testamentum acquirite, Apostolorum acta, Euangelia, continuos & sedulos Doctores: si acciderit mœstitia, huc veluti Apothecam pharmacorum introspice: Hinc tibi sume solamen mali &c.

Idem, Tom. 2. hom. 3. de Lazaro. colum. 1340. Ne quis mihi dixerit, Ego forensibus causis affixus sum, publica gero negocia, artificium exerceo, vxorem habeo, alo liberos, familiæ curam gero, mundanus homo sum, non est meum legere sacras scripturas, sed eorum qui mundo dixerunt Vale &c.

Vide isthic præclaras responsiones ad istam obiectionem.

Gregorius in pastorali, cap. 44. scriptura Prophetici sermonis in tenebris vitæ præsentis facta est nobis Lucerna, & lumen itineris.

GRE-

GREGORIVS de *Valentia Iesuita, in Analysi fidei catholicæ, pag. 100. ipse fatetur eas fidei veritates, quæ absolutè & simpliciter ab omnibus hominibus necessario cognoscendæ & credendæ sunt, perspicuè ferè in scripturis ipsis doceri.*

Quandoquidem igitur de ijs dogmatibus, de quibus inter nos & illos controuertitur, perspicuè nihil docetur in sacris scripturis, arbitramur illa simpliciter & necessario cognoscenda & credenda non esse.

TESTI-

TESTIMONIA PRO VNICA NORMA DOCTRINÆ ex Iure Pontificio.

Dist. 8. cap. 9. ex Cypriani lib. 2. Epistola 3. ad Cæcilium. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendũ putauerit, sed quid, qui ante omnes est Christus prior, fecerit. Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed DEI veritatem: cum per Isaiam Prophetam DEVS loquatur & dicat: sine causa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.

Solius Christi vox pro norma ac regula Religionis & cultus haberi debet.

Vox illa nusquam alibi, præterquam in scriptura sacra reperitur certa quidem & indubitata.

Ergo sola scriptura sacra pro norma religionis adeoq; voce Iudicis est agnoscenda.

Dist. 9. cap. 3. ex prologo Augustini, lib. 3. de Trinitate, noli meis literis tanquã canonicis scripturis inseruire, sed in illis, & quod non credebas, cum inueneris, incunctanter crede; In istis autem, quod certũ non * habeas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere.

* habebas

Ead. dist. cap. 5. ex Augustini Epistola 19. ad Hieron. Ego solis eis scriptorum, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, vt nullum eorum scribendo errasse audeam credere, ac si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaq; polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios authores vel Canonicos (*Augustinus habet teste Glossa.*) * vt per illos authores Canonicos, vel * pro tali ratione, quod à vero nõ abhorreat, persuadere potuerunt.

* vel
* probabili

Eadem dist. cap. 8. ex Augustino de Baptis. contra Donatist. lib. 2. cap. 3. Quis nesciat sanctam scripturam Canonicam tàm veteris quàm noui testamenti CERTIS suis terminis contineri, eamq; omnibus posterioribus

rioribus Episcoporũ literis ita præponi, vt de illa omninò dubitari & disceptari non possit, vtrum verum, vel rectum sit, quicquid in ea scriptũ esse constiterit? Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum canonem, vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet ea in re peritioris, & per aliorum Episcoporum grauiorem authoritatem doctioremq; prudentiam; & per concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est.

Normam ac regulam veritatis αὐτόπιστον *atq; infallibilem esse oportet, sola scriptura canonica* αὐτόπιστος *est, atq; infallibilis; sola enim hanc laudem habet quod errare non possit.*

Ergo sola scriptura canonica est Norma ac regula veritatis.

Scripta quæ ex scripturis Canonicis reprehendi possunt, non sunt ***αὐτόπιστα.*** *Non enim ex sese, sed* aliunde suam habent authoritatem: ideoq; pro norma *veritatis haberi non possunt. Omnium Episcoporum adeoq; etiam Romanorum Episcoporum scripta ex scripturis canonicis reprehendi possunt. Ergo non sunt* αὐτόπιστα, *nec pro norma veritatis habenda.*

Eiusdem argumenti canones plures extant dist. 9. cap. 9. ex epist. Augustini 48. ad Vincent. Noli frater contra diuina, tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias, ex Episcoporum scriptis, siue nostrorum, sicut Hilarij, siue (antequam pars Donati separaretur) ipsius vnitatis, sicut Cypriani & Agrippini: primò quia hoc genus literarum ab authoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contrà sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerint, quàm veritas postulat. In eo quippe numero sumus, vt non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo accipere: & si quid aliter sapitis, id quoq; Deus vobis reuelauit.

Hoc præteritum Reuelauit, in Glossa ex alijs locis August. tract. in Joan. 5. 45. 53. 98. & alijs corrigitur, vbi ferè semper legitur Reuelabit. Deinde etiam ex græco textu ἀποκαλύψει.

Eadem dist. canon. 10. ex Epist. August. 3. ad Fortunatianum. Neque quorumlibet disputationes, quamuis catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atq; respuere, si fortè inuenierimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel

TESTIMONIA

PRO VNICA NORMA DOCTRINÆ ex Iure Pontificio.

DIst. 8. cap. 9. ex Cypriani lib. 2. Epistola 3. ad Cæcilium. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendū putauerit, sed quid, qui ante omnes est Christus prior, fecerit. Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed DEI veritatem: cum per Isaiam Prophetam DEVS loquatur & dicat: sine causa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.

Solius Christi vox pro norma ac regula Religionis & cultus haberi debet.

Vox illa nusquam alibi, præterquam in scriptura sacra reperitur certa quidem & indubitata.

Ergo sola scriptura sacra pro norma religionis adeoq; voce Iudicis est agnoscenda.

Dist. 9. cap. 3. ex prologo Augustini, lib. 3. de Trinitate, noli meis literis tanquā canonicis scripturis inseruire, sed in illis, & quod non credebas, cum inueneris, incunctanter crede; In istis autem, quod certū non * habeas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere.

* habebas

Ead. dist. cap. 5. ex Augustini Epistola 19. ad Hieron. Ego solis eis scriptorum, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, vt nullum eorum scribendo errasse audeam credere, ac si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaq; polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios authores vel Canonicos (*Augustinus habet teste Glossa.*) * vt per illos authores Canonicos, vel * pro tali ratione, quod à vero nō abhorreat, persuadere potuerunt.

* vel
* probabili

Eadem dist. cap. 8. ex Augustino de Baptis. contra Donatist. lib. 2. cap. 3. Quis nesciat sanctam scripturam Canonicam tàm veteris quàm noui testamenti CERTIS suis terminis contineri, eamq; omnibus posterioribus

rioribus Episcoporũ literis ita præponi, vt de illa omninò dubitari & disceptari non possit, vtrum verum, vel rectum sit, quicquid in ea scriptũ esse constiterit? Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum canonem, vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet ea in re peritioris, & per aliorum Episcoporum grauiorem authoritatem doctioremq; prudentiam; & per concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est.

Normam ac regulam veritatis αὐτόπιστον *atq; infallibilem esse oportet, sola scriptura canonica* αὐτόπιστος *est, atq; infallibilis, sola enim hanc laudem habet quod errare non possit.*

Ergo sola scriptura canonica est Norma ac regula veritatis.

Scripta quæ ex scripturis Canonicis reprehendi possunt, non sunt αὐτόπιστα. *Non enim ex sese, sed* aliunde suam habent authoritatem: ideoq; pro norma *veritatis haberi non possunt. Omnium Episcoporum adeoq; etiam Romanorum Episcoporum scripta ex scripturis canonicis reprehendi possunt. Ergo non sunt* αὐτόπιστα, *nec pro norma veritatis habenda.*

Eiusdem argumenti canones plures extant dist. 9. cap. 9. ex epist. Augustini 48. ad Vincent. Noli frater contra diuina, tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias, ex Episcoporum scriptis, siue nostrorum, sicut Hilarij, siue (antequam pars Donati separaretur) ipsius vnitatis, sicut Cypriani & Agrippini: primò quia hoc genus literarum ab authoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contrà sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerint, quàm veritas postulat. In eo quippe numero sumus, vt non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo accipere: & si quid aliter sapitis, id quoq; Deus vobis reuelauit.

Hoc præteritum Reuelauit, in Glossa ex alijs locis August. tract. in Ioan. 5. 45. 53. 98. & alijs corrigitur, vbi ferè semper legitur Reuelabit. Deinde etiam ex græco textu ἀποκαλύψει.

Eadem dist. canon. 10. ex Epist. August. 3. ad Fortunatianum. Neque quorumlibet disputationes, quamuis catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atq; respuere, si fortè inuenierimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel

à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum.

Diſt. 10. cap. 2. ex Symmachi Papæ decretis in ſexta ſynodo Romana confectis, ſequens citatur canon. Non licet Imperatori vel cuiquam pietatem cuſtodienti, aliquid contra diuina mandata præſumere, nec quicquam quod Euangelicis, Propheticis aut Apoſtolicis regulis obuiet, agere.

Cum autẽ ab eo tempore, à Pontificibus Romanis, eorumq́; Concilijs, multa fuerint acta & ſtatuta, contra Euangelicas, Propheticas, & Apoſtolicas regulas, patet ipſis hoc non licuiſſe.

Diſt. 19. cap. 7. decretum de ſoliditate Petri non infringenda, in Gloſſ. Gregorij XIII. *ad eas tantum ſanctiones, vel decretales Epiſtolas reſtringitur, in quibus nec præcedentium Patrum decretis, nec Euangelicis præceptis aliquid contrarium inuenitur.*

Quia verò in recentiorum Pontificum decretis multa ſunt, nec præcedentium Patrum decretis, nec Euangelicis præceptis conſona (Mutilatio cœnæ &c.) non tenemur illis præſtare obedientiam.

Diſt. 36 cap. 3. Pontifici præcipitur, vt aut à DEO *diſcat, legendo ſcripturas diuinas & ſæpiùs meditando, aut populum doceat, ſed illa doceat, quæ à Deo ipſe didicerit: non ex proprio corde, aut humano ſenſu (non ex ſcrinio pectoris ſui) ſed quæ ſpiritus ſanctus docet. Deinde vt ad bella non vadat, nec pugnet contra inimicos &c.*

En Pontifex ipſe ſiue Romanus, ſiue alius quiſpiam (nam omnes Epiſcopi ab antiquis Patribus dicti fuerunt Pontifices, interdum etiam Papæ) ad normam ſcripturæ obligatur, nec conceditur illi, vt ex ſcrinio pectoris ſui, vel decreta fingat, vel doceat, vel ſcripturam interpretetur, ſed ea doceat, quæ ſpiritus ſanctus docet in ſacris literis.

Diſtinct. 38. cap. 9. Qui neſcit ſcripturas, neſcit Dei virtutem, eiuſq; ſapientiam. Ignoratio ſcripturarum, ignoratio Chriſti eſt.

Eadem. diſt. cap. 6. ſubſtantia ſummi ſacerdotij noſtri ſunt eloquia diuinitus tradita, id eſt, vera diuinarum ſcripturarum diſciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionyſius.

Ead. diſt. cap. 8. ſicut ſtellas cœli non extinguit nox, ſic mentes fidelium firmamento inhærentes ſacræ ſcripturæ, non obſcurat mundana iniquitas.

In ſecunda parte Decreto: cauſa 24. quæſt. 1. cap. 21. ex Auguſt. lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſt. cap. 6. Non adferamus ſtateras doloſas, vbi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio noſtro,

ſtro, dicentes, hoc graue, hoc leue eſt. Sed adferamus diuinam ſtateram, de ſcripturis ſanctis, tanquam de theſauris dominicis, ET IN ILLA; quid ſit grauius, appendamus, imò non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus.

Ead. cauſa. quæſt. 3. cap. 33. Transferunt Principes Iuda terminos, quos poſuerunt Patres eorum, quando immutant mendacio veritatem, & aliud prædicant, quàm ab Apoſtolis acceperunt.

De hoc canone ſcripſerunt Epiſcopi quidam Bononiæ congregati in concilio de ſtabilienda Eccleſia. Hoc planè Lutheranum eſt axioma. Quid enim aliud quotidie inculcant noſtri Aduerſarij, quàm ne latum quidem vnguem licere ab his rebus, quæ Apoſtolis fuere in vſu, recedere? At quis eſt ex noſtris, qui non recedat ſanè quotidie? Certè vix vmbram quandam retinemus in noſtris Eccleſijs, eius doctrinæ & diſciplinæ, quæ Apoſtolorum temporibus fuerunt. Et prorſus aliam accerſiuimus. Verùm interim in illo decreto apertè appellamur Mendaces, quia hoc fecerimus; At fecimus, ſummis Pontificibus authoribus, & magiſtris, imò imperantibus & impellentibus. Utinam verè non eſſent multi eiuſmodi canones, qui longè aliud præcipiant, quàm in dies Pontifices ſolebant, & nos omnes ſolemus facere (loquimur nunc de doctrinis & fide, non de moribus &c.) Vergerius Tom. 1. fol. 100.

Cauſa, 25. quæſt. 1. cap. 6. Vbi verò apertè Dominus vel eius Apoſtoli, & eos ſequentes SS. Patres ſententialiter aliquid definierunt, ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius, quod prædicatum eſt, vſque ad animam & ſanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apoſtoli, & Prophetæ, deſtruere (quod abſit) niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare conuinceretur.

Licet igitur Pontificum Romanorum leges & decreta ex ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis iudicare & examinare. Quibus cum aduerſantur, nequaquam illis obediendum eſt.

Cauſa 11. quæſt. 3. cap. 86: Laicus debitor eſt, vt veritatem, quam audiuit quidem à Sacerdotibus probatam in ſcripturis, defendat fiducialiter, quod ſi non fecerit, proditor eſt veritatis.

Eadem cauſa, quæſt. 3. cap. 93. Si Dominus ea jubet, quæ non ſunt aduerſa ſcripturis ſanctis ***(non dicit, quæ nõ ſunt contra Pontificem, aut Eccleſiam Romanã, ſed quæ non ſunt contra ſcripturas)*** ſubijciatur ſeruus Domino.

ſi verò contraria præceperit, magis obediat ſpiritus, quàm corporis Domino.

Ead. cauſa. q. 3. c. 101. ſi is qui præeſt fecerit, aut cuiquam quod à Domino prohibitum eſt, facere iuſſerit, vel quod præceptum eſt, prætererierit, aut præterire mandauerit, S. Pauli Apoſtoli ſententia ei ingerenda eſt dicentis: Etiamſi nos, aut Angelus de cœlo euangelizauerit nobis, præterquam quod vobis Euangelizauimus, anathema ſit.

Ibidem; ſi quis prohibet vobis, quod à Domino præceptum eſt, vel rurſus imperat fieri, quod Dominus prohibet, execrabilis ſit omnibus, qui diligunt DEVM.

Item, is qui præeſt, ſi præter voluntatem DEI, VEL præter quod in ſanctis ſcripturis euidenter præcipitur, vel dicit aliquid, vel imperat, tanquam falſus teſtis Dei, aut ſacrilegus habeatur.

Cauſa 11. q. 7. c. oues. Ouibus licet reprehendere paſtorem, ſi à fide exorbitauerit.

Hæ leges omnes cum noſtra ſententia concordant, quod omnes doctrinæ, ex ſanctis ſcripturis ſint examinandæ, quæ illis conſentaneæ ſunt, recipiendæ: quæ cum illis pugnant, repudiandæ ſint, ſiue à Pontifice, ſiue ab alio quodam Antiſtite, aut etiam ab Angelo aliquo proficiſcantur. Quas nequaquam hanc ob cauſam in medium proferre voluimus, quod Ius illud Pontificium normam aut fundamentum religionis noſtræ conſtituamus: ſed vt domeſticorum teſtium productione manifeſtum euadat, temerè atq́; imprudenter in nobis pro hæretico dogmate damnari, quod quidem à Pontificibus Romanis, antiquis Eccleſiæ Doctoribus, & Concilijs decretum, conſtitutum, approbatum, pro authentico & canonico habitum fuit.

Speramus igitur aduerſarios memores fore dicti illius S. Auguſtini, contra Creſcentium Grammaticum lib. 2. cap. 32. de Cypriano apud Creſconium, eiuſdemque aſſeclas pro authentico habito. Vos inquit, quia ſcripta Cypriani nobis tanquam firmamenta canonicæ authoritatis opponitis, quicquid de Cypriano contra vos proferre potuerimus; NECESSE eſt, credatis, & juſtum eſt vt victi taceatis, ac vos aliquando ab errore pernicioſiſſimæ diſſenſionis ad veritatem Catholicam conuertatis.

D. TANNER.

Fuit

Fuit sanè Syllogismus iste valdè prolixus; expectabam ego argumentum in forma. Sed video verba tantùm esse recitata; tam & quidem, prolixè, vt qui vellet Syllogismum facere, deberet habere memoriam plusquam humanam.

Ad illa loca quod attinet, quæ ex Patribus allata sunt; Ita respondeo generatim, hac declaratione præmissa, quòd velimus ad singula separatim respondere, si nobis scripto tradantur, petimus etiã ne prius inserantur Protocollo ea dicta, donec nobis scripto tradita, & nostra quoquè responsio publicè sit recitata, illa enim simul omnia, & singula speciatim refellere, non esset vnius diei opus, iam tantùm respondebimus ad clariora.

Inprimis quod attinet ad Caput illud de norma & iudice. Respondeo generatim ea aliquo ex subsequentibus modis intelligenda esse, nempè primò, quòd generatim commendēt auctoritatem sacræ scripturæ, quod nullus Catholicorum negat. Secundò quod non sint decidendæ controuersiæ contra scripturam. Tertiò, quòd quædam sint facillimæ intelligentiæ, vt Mysterium Incarnationis & Redemptionis, quæ satis clarè traduntur in scriptura. Quartò, quòd SS. Patres disputando contra hæreticos, cupiant suas controuersias etiam dirimere ex scriptura, & ex illa cum hæreticis concertare, de articulis fidei, præsertim contra eos hæreticos, qui authoritatem Ecclesiæ debitam noluerunt concedere; vt enim ego ex Concilio Tridentino non possum cum aliquo hæretico disputare, sic sanè Augustinus vanum suscepisset laborem, si ex Concilio Nicæno contra Arrianos disputare voluisset, qui illud repudiarunt. Quintò, quædam loca malè sunt allegata, & tributa auctoribus, quibus non debuissent tribui, vt Chrysostomi exemplum docet, cui Auctoris operis imperfecti dicta fuerunt adscripta. Sextò, Tandem etiam multa legerunt, sed interim cum suis explicationibus & glossis recitarunt aduersarii, quasi & illa essent verba SS. Patrum, quibus resecatis, sine dubio absurditas allegationis patebit. Vlteriorem & separatam responsionem dabimus etiam scripto, intereà Protocollo non inserantur ea dicta.

Deindè quod ad alteram Classem de perspicuitate scripturæ attinet. Respondeo, Primò, quòd SS. Patres ad abducendos à vanis ludis & spectaculis homines adhortabantur ad lectionem Sacræ Scripturæ. Chrysostomus ablegat suos auditores non ad Apocalypsin, sed ad

* etiam Euangelia & historias; Ita * non asserit esse multa clara in sacra scriptura, quæ ad confusam cognitionem sufficere possunt. Secundò, Hoc aliqua dicta volunt, quòd Sacra Scriptura sit lux videnti & oculos habenti: oculos autem habet, qui Spiritu sancto est illuminatus, vt possit eam sufficienter intelligere. Nihilominus tamen Patres aliquando circa scripturæ sensum errarunt, vt quædam exempla testantur, quamuis alioquin fuerint sancti; vt Chyliastæ, & ipse quoq; Chrysostomus, non omnia assecutus est. Cyprianus quoq; Martyr non omnia legis scriptæ plenè intellexit; imò in grauem errorem incidit, quòd baptizati ab hæreticis, sint rebaptizandi.

Sufficiunt hæc iam; Ad singula respondendum erit scripto, dummodò Domini nobis trádant dicta illa ex scripto recitata.

Finis Sessionis VIII.

RE-

RESPONSIO AD TESTIMONIA SS. PATRVM QVAE ADVERSARII ADFERVNT AD PRObandum, quod ſcriptura ſit vnica norma ac Iudex omnium controuerſiarum Religionis, &c.

CORRAſerunt Aduerſarii ex noſtrorum, ſuorumq; ſcriptis vndique mira diligentia, quotquot inuenire potuerũt, SS. Patrum teſtimonia, quæ ad ſuum illud falſum dogma conſtabiliendum, quòd ſcriptura ſit vnica norma & Iudex omnium controuerſiarum religionis, vel minimam argumenti ſpeciem habere viderentur. Sed hac ſua diligentia aliud non effecerunt, quàm quòd omnibus hac ratione manifeſtum reddiderunt, quod error ille, ab omni antiquitatis & SS. Patrum fide & authoritate ſit deſtitutus, cum ex omnibus allegatis locis, nec vllus quidem eorum cauſam adiuuet, quod hac breui reſponſione fiet manifeſtum.

Et primò quidem, quid generatim ad eiuſmodi loca à nobis ſit reſponſum, iam aliunde patet. Fatemur nempè ſcripturam eſſe quandam fidei normam, & quidem infallibilem, cui nihil contrarium ſit admittendum. Id quod pleraq; SS. Patrum teſtimonia ſolummodo concludunt; ſed non ſequitur, eſſe ſolam & vnicam normam, reiectis Eccleſiæ traditionibus non ſcriptis, &c. Multò minùs ſequitur, ſcripturam eſſe Iudicem propriè, nec opus eſſe alia infallibili authoritate Eccleſiæ.

Ad 1. TERTVLLIANI quem Aduerſarij imperitè Epiſcopum Carthaginenſem nominant, reſpondetur. Agere ibi Tertullianum, contra eos, qui humana ratiocinatione inducti, negabant cum Epicureis, aliiſquè Ethnicis, carnis reſurrectionem; Et de his aliiſq; ſimilibus, qui ea, quæ credenda ſunt, humana ſolum ratione conuellere nituntur, ait Tertullianus, aufer hæreticis, &c. Aliâs hæreticos maximè ad ſcripturã quoq; prouocare, & ſcripturas pro ſuorum defenſione errorũ iactitare ſolitos eſſe, paſſim teſtãtur SS. Patres. Imprimis Tertullian⁹ ipſe in lib. de præſcrip. hæret. *Scripturas* (inquit) *hæretici obtendũt, & hac ſua audacia, ſtatim quoſdam mouet, In ipſo verò cõgreſſu firmos quidẽ fatigãt, infirmos capiunt, medios*

dios cũ scrupulo dimittũt, &c. Itaq; negat eos admittẽdos ad disputationẽ de scripturis, *quoniam* (inquit) *nihil proficiat congressio scripturarũ, nisi planè, vt aut stomachi quis ineat versionem aut cerebri.* Quod notent aduersarij, qui subinde nos taxtabant, quod non ita ex scripturis cum eis congrederemur.

Idem habet Augustinus Hom. 9. tract. 18. *in Ioan. neq; enim nata sunt hæreses, & quædem dogmata peruersitatis, illaqueantia animum, nisi dum scriptura bona, intelliguntur non benè, & quòd in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.*

Idem Tom. 2. epist. 222 ad Consentium; *omnes qui scripturas in authoritate recipiunt, ipsas videntur sibi * scrutari, cum suos potius sectentur errores.*

* sectari.

Item Tom. 4. 83. quæst. quæst. 69. *Qui filium Deo patria qualem non esse contendunt, solent vsurpare familiarius hoc testimonium, vbi ait Apostolus: cum autem ei omnia subiecta fuerint, tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui illi subiecit omnia. vt sit Deus omnia in omnibus; non enim posset eis error oboriri palliatus nomine Christiano, nisi de scripturis non intellectis.*

Item, Tom. 3. Genes. ad *literam*, lib. 7. cap. 9. *neq; enim non omnes hæretici scripturas Catholicas legunt, nec ob aliud sunt hæretici, nisi quod eas non rectè intelligentes suas falsas opiniones, cõtra earũ veritatẽ pertinaciter asserunt.*

Item Tom. 7. de nuptiis & concupiscentia, lib. 2. cap. 91. *non est mirum,* inquit, *si Pelagiani dicta nostra, in sensus quos volunt detorquere conantur, quandoquidem de scripturis sacris, non vbi obscurè aliquid dictum est, sed vbi clara & aperta sunt testimonia, id facere consueuerunt, more quidem hæreticorum etiam cæterorum.*

Idem docet contra literas Petiliani Donatistæ, lib. 2. cap. 51. & Hilarius in fine, lib. de Synodis. Et Vincentius Lirinensis contra prophanas hæreseon nouitates, vbi dicit, hæreticos scripturæ verbis opiniones suas, tanquam aromate quodam aspergere, ne fœtorem exhalent. Quæ omnia diligenter notent Aduersarii, scripturas ita iactitantes.

Ad secundum Tertulliani respondetur: Loqui Tertullianum illic de vno solùm fidei articulo, nempè quòd Deus omnia ex nihilo, non ex præiacente materia condiderit. Quod cum expressè in sacris scripturis habeatur, dicit se adorare plenitudinem scripturæ, quoad hunc articulum; Et meritò væ interminatur Hermogeni, non quod aliquid extra scripturas sacras quomodolibet, sed quod contra scripturam docuerit, Accedit, quod Tertullianus, quando scripturæ plenitudinem nominat,

non

non de tota sacra scriptura loquatur, sed de loco solùm illo scripturæ; In principio Deus fecit cœlum & terram, vt ex textu patet.

Ad testimonium IUSTINI respondemus, Iure ac necessariò Iustinum contra Iudæum disputantem scripturas adducere, non Ecclesiæ Christianæ traditiones, quod in simili cōtrouersia, nos quoq; faceremus. Sed nō sequitur ergo scriptura est vnica norma, & reiiciendæ traditiones.

Ad 1. IRENÆI: Fatemur, scripturam esse canonem veritatis immobilem, sed non sequitur. Ergo scriptura est vnica norma, &c.

Ad 2. IRENÆI respondetur. Ex eo tantum colligi, Euangelium ab Apostolis primò prædicatū, deinde scriptum esse, sed nō dicit, omnia illa, quæ necessariò credenda aut obseruāda sunt, scripta esse, aut ex sola scriptura sacra euidēter colligi posse, cū aduersarii ipsi iam palā confessi sint, aliquid credendum esse necessariò, & quidem eadem fide infallibili, qua Trinitatis & Incarnationis mysterium credimus, quod tamen nec in sacra scriptura expresśè extat, nec ex ea sola euidenter deduci potest. Nempè quòd Euangelium Matth. v.g. sit Matth. atq; adeò liber Canonicus.

Respond. secundò. Etiamsi IRENÆVS, diceret, omnia quæ populis per Apostolos prædicata fuerunt, scripta esse, adhuc tamen non sequeretur, omnia quæ ad religionem necessariò spectant, scripta esse, sed illa duntaxat, quæ omnibus & singulis fidelibus scitu necessaria sunt, & populis quoq; inprimis prædicare solebant Apostoli, qualia sunt decem præcepta, & articuli fidei in Symbolo contēti, & quorundam sacramentorū ratio, cum tamen interim alia plurima ad Ecclesiæ gubernationem, & sacramentorum administrationem sint necessaria, quæ tamen Apostoli fidelibus communiter non prædicabant.

Ad tertiū IRENÆI respondetur eo loco taxari hæreticos, qui & scripturam & traditiones quoq; Ecclesiæ Catholicæ repudiabant, suas tantummodò proprias & priuatas quasdam traditiones iactitantes, vt totum locum legenti euidenter patebit, qui proinde Catholicis nequaquam, sed aduersariis magnoperè aduersatur, Cum ex eo euidenter constet Ecclesiam tempore Irenæi etiam traditiones non scriptas habuisse, & ad confutandos hæreticos adhibuisse; Ita enim subiungit Irenæus. *Cum autem inquit, ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesijs custoditur, prouocamus eos, aduersantur traditioni, dicentes, se non solùm presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, inuenisse veritatem, se indubitatè, & incontaminatè, & syncerè, absconditum scire mysterium.*

Euenit itaq; nec scripturis iam neq; traditionibus consentire eos.

Ad quartum IRENÆI respond. Nihil facere ad rem, fatemur enim omnem scripturam diuinam, esse nutrimentum fidelium, sed non sequitur: Ergò scriptura est vnica norma & Iudex, &c. cum præsertim ibi Irenæus iubeat ad Ecclesiam fugiendum, vt scilicet ab ea veram scripturæ interpretationem accipiamus, ne sicut aranei ex optimis floribus venenum pro melle sugamus.

Ad primum & secundum CYPRIANI respond. eum hæc scripsisse cum suum errorem de rebaptizandis iis, qui baptizati essent ab hæreticis tueri vellet. Itaque mirum non est, si more aliorum errantium raciocinatus fuerit, cùm alioquin constet, nullum vnquam orthodoxum, sed solos hæreticos, à Catholicæ Ecclesiæ sensu & consensu ad scripturas prouocasse. Accedit, quòd Cyprianus non omnes traditiones, sed eas duntaxat, quas ipsi scripturæ contrarias existimabat, reijciendas censuit.

Ad primum ORIGENIS respondetur, ibi solum asseri proprios sensus & interpretationes, siue enarrationes scripturæ, quæ in scriptura non fundantur, vim non habere, ac proinde interpreti scripturæ ad suas interpretationes constabiliendas, opus scripturæ testimonio, quod minimè negamus.

Ad secundum ORIGENIS respon. rectè ab Origene suaderi, vt veritatis inimicis semper opponantur scripturæ, sed non sequitur, omnia scripta esse, aut Ecclesiæ authoritatem repudiandam, vtpote quam ipsa scriptura nobis quàm maximè commendat.

Ad tertiũ ORIGENIS respond. Reijcit Origenes in doctrina fidei priuatas sententias, & scripturæ interpretationes, vt patet ex illis verbis. *Non ergò debemus, ad confirmandam nostram doctrinam, nostros proprios intellectus * vitare.* *iurare

Ad quartũ ORIGENIS similiter respon. solum monet Doctores, vt in doctrina fidei, non priuatas opiniones, sed diuinis nixas testimonijs, & ipsius spiritus sancti sententias proferant. Vbi certè Conciliorum & Ecclesiæ Decreta non excluduntur, cum & ea quoq; sint quædam Spiritus S. sententiæ iuxta illud, Act. 15. Visum est nobis & spiritui sancto.

Ad 5. ORIGENIS respon. Origenem tantum eo loco agere de scripturis, quæ tanquam Canonicæ, nomine sanctorũ (Apostolorũ) obtrudebãtur, de quibus dicit, magni viri esse circa huiusmodi scripturas, implere illud: Omnia probate, quod bonũ est tenete; sed propter imperitio-

tiores, eiuſmodi libros ad confirmanda fidei dogmata, omninò eſſe * interpretandos, quod & nos fatemur. ſed hoc quid ad rem? *; intermittendos

Ad teſtimonium LACTANTII reſpon. Lactantium ibi contra Ethnicos agere, & ab ijs petere, vt non armis & vi, nec etiam aſſeueratione propria, ſed diuinis aliquibus teſtimoniis ſua confirment. Nec enim valere quicquam mortalis hominis authoritatem.

Sed hinc malè concluditur; Ergò Pontificis Romani authoritas in rebus fidei nihil valet; quia Pontificis Romani authoritas non eſt purè humana, ſed diuina, iuxta illud Chriſti; paſce oues meas. Ioan. 21. & Luc. 10. qui vos audit, me audit.

Ad primum HILARII reſpondetur, nihil inde confici, cum enim ſcriptura ſatis clarè myſterium Trinitatis declararet, gratulatur ſibi S. Hilarius, quòd Arrianus contentus eſſet ſcriptura. Sed non ſequitur, Ergo ſcriptura eſt vnica norma, &c.

Ad ſecundum ſimiliter laudat Conſtantium Arrianum, quod fidem circa Trinitatis videlicet myſterium, de quo tùm controuerſia erat, tantum ſecundũ ea, quæ ſcripta ſunt, conſideraret; cũ nec in aliis cõtrouerſiis quicquam contra ſcripturam, ſed ſolum ſecundum ſcripturam, ſeu quòd ſcripturæ conſentaneum eſt, admittendum ſit. Sed non ſequitur; Ergo ſcriptura eſt vnica norma.

Ad tertium reſpondetur. Arguit hæreticos, qui ſub prætextu ſcripturarum, ea quæ non ſcripta ſunt, ſuos videlicet priuatos & proprios ſenſus, & ſcripturæ interpretationes, tanquam ſcriptæ eſſent, venditant. Quod Aduerſariorum cauſæ plurimum obeſt, nihil noſtræ.

Ad primum locum BASILII, qui malè citatus eſt, & habetur Epiſtola 80. Reſpondetur à Baſilio tantum repudiari quandam conſuetudinem, non vniuerſalem, ſed particularem certæ regionis, in qua non vſitatum erat dicere tres in DEO hypoſtaſes & vnam naturam. Cui imprimis opponit Baſilius ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem. At quia nec hanc Aduerſarii admittebant, voluit ſcriptura Iudice controuerſiam hanc dirimi. Vocat autem ſcripturam Iudicem impropriè, quemadmodum etiam in cauſis ciuilibus leges ipſæ ciuiles, aut Iuſtinianus legum ciuilium conditor, Iudex quandoquè appellatur; cum tamen interim ad finiendas controuerſias, aliò omninò opus ſit Iudice. Vnde patet, non repudiari à Baſilio conſuetudinem vniuerſalem Eccleſiæ: Deinde ad ſcripturas ideò prouocari, quod ex particularibus illis conſuetudinibus, controuerſia decidi non poſſet.

Ad ſecundum reſpond. Meritò taxat Apollinarium BASILIVS, quod circa fidei doctrinam, quædam ex proprio ingenio, non ex ſcripturæ authoritate confinxerit, à Catholica nimirum fide aliena. Sed hoc quid ad rem facit? Cùm nos ipſi libenter fateamur, nihil non conſentaneum ſcripturæ recipiendum eſſe.

Ad tertiū reſpondetur inprimis, non dicere Baſilium, omnia omninò ex ſcripturis ſufficienter probari poſſe, ſed omnia quantum ſcilicet fieri poteſt, ſcripturæ teſtimonijs corroboranda.

Reſpond. ſecundo; Etiamſi BASILIVS primum illud diceret, adhuc tamen non ſequeretur, ſcripturam eſſe vnicam normam, &c. ſecluſa etiam Eccleſiæ authoritate infallibili, cum eam Baſilius nuſquam excludat. Accedente verò Eccleſiæ authoritate, fatemur omnia ſufficienter ex ſcripturis colligi poſſe, quæ ab Eccleſia nobis commendantur, cum ipſam Eccleſiam audiendam eſſe, ſcriptura disertè iubeat, Matth. 18.

Ad quartum fatemur nihil contra ſacram ſcripturam recipiendum, ſed omnia etiam Doctorum ſcripta, ſecundum ſcripturæ normam exigenda, quandoquidem errare poſſint ſinguli, licet non vniuerſi, in eo, quod alioquin conſentienter docent; Sed nihil indè cōtra nos ſequitur.

Ad quintum reſpond. locum illum à Cornario Baſilii interprete longè aliter verſum eſſe, ita vt nihil prorſus contra nos faciat. Ita enim habet; *Si enim omne quod non ex fide eſt, peccatum eſt, vel vt Apoſtolus ait, fides autem ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei, omne quod extra diuinitus inſpiratam ſcripturam, non ex fide eſt, peccatum eſt.* Neq; dubitamus quin hæc verſio Baſilii melior ſit; quamuis iam græcus Baſilii textus à nobis haberi non potuerit.

Quod ſi prior lectio admittatur, tunc illud, extra, accipiendum erit pro contra, ne ſibi Baſilius manifeſtè repugnet, cum in multis alioqui locis apertè traditiones etiam non ſcriptas commendet.

Ad ſextum reſpondetur, BASILIVM taxare eos, qui addunt ſcripturæ aliqua dogmata ei repugnantia, vt patet ex verbis ſequentibus; vbi ait; omnem igitur alienam à doctrina Domini vocem vitare ſtatuimus, &c. Addo etiam taxare eos, qui ex proprio & priuato ſenſu, circa religionem quædam innouant, cum interim in eodem ſermone dicat Baſilius, ſe contra hæreticos diſputantem ſæpe vſum eſſe ſermonibus non ſcriptis, cum ſcriptura tamen conſentientibus; Et Apoſtolum ex Philoſophis quoque teſtimonia attuliſſe, quando illa ſcripturæ non repugnabant.

Ad

Ad 7. respondeo similiter BASILIVM tantummodò damnare ea, quæ contra scripturam fiunt, vel dicuntur.

Ad 8. Respondeo, ideo dicere BASILIVM, non sufficere Patrũ traditionẽ contra eos, qui dicebant, non conuenire, vt de filio DEI dicatur, cum quo, sed per quem, non quod Patrum traditionem alioqui, maximi non faceret, sed quod Aduersarij negarent eam esse Patrum traditionem. Vnde ad scripturas confugiendum sibi censuit Basilius.

Ad 1. AMBROSII respondeo. Eum solumodo agere de certa illa quæstione, cur tam diuersa gratia hominibus concessa sit, ante legem scriptam Moysis, in lege scripta, & post legem scriptam, tempore Euangelij. Et inprimis, cur Iudæi, tot olim à DEO benedictionibus cumulati; nunc vsq; adeo sint ab vbertate diuinæ gratiæ destituti. Ad hanc sanè quæstionẽ respondet, se excusando; scripturis, inquam, tacentibus quis loquatur, cum videlicet nec ex scriptura, nec ex traditione certo constaret, quid ad eam esset respondendum. Ex quo proinde absurdissimè colligunt Aduersarij, ab Ambrosio nullum alium agnosci Iudicem cõtrouersiarum, præter scripturam.

Ad 2. respondetur, solùm hinc colligi, quod scriptura sit infallibilis fidei norma, non autem S. Ambrosij & singuli per se Patres; cùm tamen simul omnes in eo quod vnanimiter docent, errare non possint.

Ad 1. HIERONYMI respondetur, loqui illic Hieronymum solùm de particulari illa quæstione, an Zacharias qui occisus est inter templũ & altare, fuerit pater Ioannis Baptistæ; Et cùm Apocrypho quodam libro pro affirmatione quæstionis, testimoniũ proferretur, nec aliunde quoq; ex certa traditione, affirmatio illa probaretur. Respondet, hoc quia de scripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur, cum nullum scilicet alioqui, nisi scripturæ illius Apocryphæ testimonium habeat. Sed hinc minimè sequitur: Ergò traditiones certæ reijciendæ sunt.

Ad 2. respondetur, solùm dicere ibi HIERONYMVM, quod scripta eorum, qui post Apostolos vixerunt, non habeant authoritatem omninò canonicam, vt sacra scriptura, vtpotè in qua nec minimus quidem error inesse potest, Sed hoc ad rem nihil facit, neq; enim dicimus, concilia aut Pontificum decreta esse omninò libros canonicos.

Ad 3. respondetur, Ecclesiam non egredi de finibus sacræ scripturæ, quando traditionibus non scriptis vtitur, easque fidelibus seruandas proponit, cum Ecclesiam ipsam, vt veritatis columnã, eiusq; traditiones

& præcepta, ipsa quoq; scriptura nobis commendet 1. ad Timoth. 3. Matth. 18.

Ad 4. respondetur, HIERONYMVM illic taxare eos, qui aliena à scripturis, ex suo cerebro confingunt, tanquam si essent ab Apostolis tradita, sed non ideo reijciendæ sunt omnes traditiones nō scriptæ, cum alioquin etiam per Epistolas nomine Apostolorum confictas, decipi fideles possint, vt patet ex 2. ad Thessal. 2. Quo responso totus etiam subsequens discursus refellitur.

Ad 5. respondetur, adhibere quidem HIERONYMVM scripturam ad reuincendum Heluidium. Sed quid hoc ad rem? cum præsertim Ecclesiæ authoritatem nunquam excludat Hieronymus?

Ad 6. HIERON. fatemur nihil contra scripturam, nec in conciliis quidem statutum acceptandum esse: Vnde tametsi quis colligat concilia quædam nempè particularia, quæue Summi Pontificis authoritate approbata non sunt, errare posse; nequaquam tamen inde colligi potest, concilia à Sumō Pontifice approbata, in decretis fidei & morum errare, aut in dubium & sub examen vocari posse. Hoc enim etiam Iure ciuili prohibitum est in C. de sum. trin. & fide Cath.

Ad 1. CLEMENTIS ALEXANDRINI respondetur, solum dicere, vt ex scriptura de non scriptis, quæ scilicet certam authoritatem adhuc non habent, judicemus, sed non ita tamen, vt hoc ipso reijciatur aliquid, quod apertè scriptum non est, sed quod scripturæ contrariū est.

Ad 2. CLEMENTIS ALEX. respondetur: Nequaquam inde colligi, quod Apostoli nihil nisi scriptum tradiderint, & prædicarint, vt partim per se manifestum est, partim euidenter patet, ex illo decreto de abstinendo à sanguine & suffocato. Actor. 15.

Ad 1. & 2. CHRYSOSTOMI respondetur, solùm ibi à Chrysostomo asseri, quod scriptura sit infallibilis quædam fidei regula, secundum quā omnium priuatorum opiniones sunt examinandæ: Sed non dicit esse solam & vnicam regulam &c. Accedit quòd in priore loco non agat de controuersijs religionis, sed de opinione vulgi, malo affectu diuitias paupertati contra apertam scripturam præferentis.

Ad 3. respondetur, sensum esse, proprias inuentiones, in rebus fidei, nullo scripturæ testimonio approbatas vim non habere. Traditiones autem Ecclesiæ Catholicæ, propriæ inuentiones non sunt, sed instinctu spiritus sancti, partim ab Apostolis, partim ab eorum successoribus Ecclesiæ traditæ.

Ad 4.

Ad 4. respondetur, CHRYSOSTOMVM id solum dicere, quod ea tantum sint admittenda, quæ scripturis sunt conuenientia, hoc est, eis non contraria, quod etiam nos libenter fatemur.

Ad 5. respondetur, Taxare illic eos tantum, qui scripturas non audiunt. Et additur, ne Angelis quidem contra scripturas credendum esse &c. Sed hoc quid ad rem?

Ad 6. respond. per scripturam quidem arceri hæreticos, sed nō dicit Chrysostomus, per solam scripturam, exclusa authoritate Ecclesiæ: cùm alioqui omnes hæretici ad scripturam prouocare soleant, vt suprà diximus ad 1. locum Tertulliani.

Ad 7. similiter respondetur, è scripturis quidem discerni & dijudicari vera à falsis, sed non solis, & absq; authoritate Ecclesiæ scripturam interpretantis, qua remota, nulla nō hæresis ferè è scriptura se tueri potest.

Ad 8. respondetur, dicere quidem CHRYSOSTOMVM, nos scripturas scrutando, salutem assequi posse, modò tamen non juxta proprium, sed communé Ecclesiæ sensum eas intelligamus. Sed non sequitur: Ergò est vnica norma &c.

Ad 9. respondetur. Iubet quidem CHRYSOSTOMVS, ijs quæ à scriptura aliena sunt, omissis, sequi amussim, & regulam scripturæ. Sed minimè inde sequitur; Ergò est vnica &c. Traditiones enim nostræ à scriptura alienæ non sunt &c.

Ad 10. quod citatur ex opere imperfecto, respondeo 1. opus illud CHRYSOSTOMI non esse, vt docti sentiunt, sed alicuius Arriani, vel certè ab Arriano aliquo corruptum esse, cum manifesti Arrianismi in illo reperiantur. nam homil. 48. Homousianos vocat hæreticos, & homil. 49. contra eosdem ferè semper loquitur. Vnde totus hic locus, tanquam ab Arrianis insertus, in editione recentiori omissus est. Itaq; nihil inde colligitur, nisi quod eadem fuerit olim Arrianorum opinio, quæ Aduersariorum est hodie. Quibus authoribus si gloriari velint Aduersarij, non inuidemus. Quod autem etiam Arriani, nihil non scriptum admittere voluerint, patet prolixè ex Epist. August. 178. contra Pascentium Arrianum, vbi eum errorem fusè confutat. Respondetur 2. tametsi Chrysostomi esset, ita tamen intelligendum fore locum illum, vt Chrysostomo & alijs Patribus non aduersetur. Quando ergò dicit, Ecclesiam veram, & veram religionem Christianam tantummodò ex scripturis cognosci, non ita intelligendum est, quasi

nihil ad religionem Christianam spectet, quod non ex sola scriptura, seposita Ecclesiæ authoritate, euidenter deducatur, sed quia certè omnia, quæ partim ex ipsis immediatè scripturis, partim per Ecclesiæ traditionem circa religionem cognoscuntur, hoc ipso quoq; ex scriptura cognoscuntur, quod ipsamet scriptura Ecclesiam veram per manifestas quasdam notas nobis patefecerit, sine quibus nec Ecclesiam veram cognosceremus, nec etiã consequenter ea, quæ ab ea nobis traduntur, obseruanda esse putaremus. Tantummodo igitur ex scripturis religionem christianam cognoscimus, quia tantummodo ex notis in scriptura declaratis & nõ ex alijs cognoscimus, quæ sit vera Ecclesia, verum habens scripturæ sensum, veramq; religionem Christianam. Sed quia prior responsio est vera & solida, nihil opus est posteriore.

Idem quoad vtrumq; respondeo ad alterum illum locum ex eod. libro. Vult enim vt ad scripturam confugiamus, & ex notis Ecclesiæ in ea descriptis judicemus, quæ sit vera Ecclesia, alioquin erraturos &c.

Ad XI. respondetur argui eos qui non loquuntur Euangelica sed propria, & ex suo capite conficta, vt faciunt omnes hæretici, qui tametsi maximè scripturas crepent, earum tamen interpretationes ex proprio capite confingunt. Quocirca ad argumentum, quod ex præmissis locis extruitur, respõdetur distinguendo, nam si traditiones Apostolicæ, consuetudines, dogmata, spiritus, Ecclesiæ, scripturæ Patrum, omnia sunt ex sacra scriptura examinanda, sic vt nihil circa prædicta credendum vel obseruandum sit, in materia religionis, nisi quod in sacra scriptura expresè extat, vel ex ea euidenter deducitur, etiam seclusa authoritate Ecclesiæ, tunc scriptura erit vnica norma &c. hoc sensu transeat illa propositio maior. At si eatenus tantum per scripturam examinanda sunt omnia illa, quatenus nihil admittendum vel credendum contra scripturam, tum falsa est propositio maior. Minor propositio similiter distinguitur, nam etsi verum esset antecedens in posteriori sensu, tamen vt dixi, conclusio non sequeretur, cum sit falsum in priore. Deinde & illud quoq; falsum est, ex supra citatis locis colligi posse, quod aut conciliorum approbatorum decreta, aut traditiones verè Apostolicæ, aut catholicæ Ecclesiæ vniuersalia decreta, aut generales & approbatæ totius Ecclesiæ consuetudines, aut consentiens SS. Patrũ doctrina, tanquam incerta examinari, & in dubium vocari possint, aut debeant, vt patet ex responsionibus in specie ad singula loca allatis.

Ad 12. CHRYSOSTOMI respondetur omnia ex scripturis disci, aut imme-

Immediatè, aut mediante Ecclesiæ authoritate, quam ipsa nobis scriptura commendat,

Ad 1. & 2. EPIPHANII Respondeo; Taxari ibi propriè ratiocinationes, figmenta, à scriptura aliena,

Ad locum SVLPITII respondetur primò, loqui tantumodò de mysterijs fidei, præter quæ tamen adhuc multa alia, ad mores & cultũ spectantia, in Ecclesia obseruanda sunt. Respõdetur secundò, hauriri omnia fidei mysteria ex fontibus scripturæ posse, sed mediante tamen ipsius Ecclesiæ authoritate, vt suprà dictum.

Ad 1. CYRILLI respondeo, solùm doceri, ne à præscripto scripturæ discedatur, aliquid ei contrarium credendo aut faciendo.

Ad 2. respondeo primò, quosdã non malè existimare, eas homilias in Leuiticũ, Cyrilli non esse, sed Origenis, aut alicuius alterius. Respondeo secundò, eum locum intelligendum esse juxta dicta ad 12. Chrysostomi, & 2. Irenæi. Accedit, quod Cyrillus solum excludat tertiam scripturam, præter nouum & vetus testamentum, non autem traditiones.

Ad 1. AVGVSTINI fatemur, nos ex scripturis & Christum & Ecclesiam discere. sed quid tum? nõ ideo sequitur, ergò traditiones Ecclesiæ nõ scriptæ reijciendæ, cùm ipsamet scriptura eas nobis commendet,

Ad 2. vocat AVGVSTINVS scripturam, Iudicem impropriè, sicut Iuristæ quandoq; suum Iustinianum, cùm tamen interim alius adhuc viuens Iudex omninò requiratur,

Ad 3. 4. & sequentia, vsq, ad XV. locũ illum ex lib. cont. lit. Petiliani adductũ respondeo. Non ideo AVGVSTINVM sepositis Concilijs etiam vniuersalibus, aut etiam traditionibus, voluisse, contra aduersarios ex sola scriptura disputare, quòd concilia aut traditiones Ecclesiæ, alioquin maximi non faceret, sed quod hæretici illi, quos oppugnabat, nec concilia, nec traditiões Ecclesiæ catholicæ sibi aduersantes recipiebant. Et alioquin apertissima scripturæ, ad reuincendos illos hæreticos, extarent testimonia; præsertim circa illã quæstionẽ: Vbi, & quæ nã sit vera Ecclesia, de qua tunc cũ aduersarijs disputabat, sicuti etiã nunc catholici contra sectarios, Ecclesiã suam etiã ex sola scriptura sæpè demonstrarunt. Et porrò etiam demonstrare parati sunt, sepositis etiã concilijs illis, Constantiensi & Tridentino, vtpotè quæ hæretici non recipiunt; sepositis etiam prodigijs, & signis, quæ passim ad sanctorum memoriam in Ecclesia Catholica fiunt, vt etiam S. Augustinus suo tempore facta esse luculentissimè docet lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8. Licet alioqui prorsus

stupenda, & omni fide dignissima, & vel sola ad omnes, nostri præsertim temporis, hæreticos, vt qui nec speciem quidem vllius miraculi habent, refellendos, satis esse possint, quicquid aduersarij mendaciter & impudenter ea tanquam fallacia signa, non secus ac Pharisæi Christi miracula taxent, vbi quando de honore DEI & sanctorum agitur, gratiam nobis spero habebunt, quod scapham appellemus scapham. Neque verò putare debent, se pari ratione posse aut debere Ecclesiæ nostræ Catholicæ miracula atque concilia spernere, qua S. Augustinus Donatistarum seu Arrianorum miracula (apparentia) vel concilia spreuit; potuit enim Augustinus opponere eiusmodi concilijs & miraculis & clariora & præstantiora, tàm concilia quàm miracula, vtpotè quæ nunquam Ecclesiæ deerant. Quod si etiam fecerint Aduersarij, tunc eos sanè ab omni impudentiæ & mendacij crimine libenter absoluemus.

Ad 15. AVGVST. respondeo, illud, præterquam, significare contra quam, vt patet ex eod. Augustino lib. 12. contra Faustum, cap. 3. & tract. 89. in Ioannem, prout etiam accipitur in illo loco ad Galat. 1. cum ibi disputet Apostolus contra eos, qui contra Euangelium à se prædicatum legalia obseruanda dicebant, quomodo vox illa præter, accipitur etiam ad Rom. vlt.

Ad 16. 17. & 18. respondetur, solùm dicere AVGVSTINVM, omnium aliorum Doctorum libros & facta secundum scripturæ normam exigenda, & nec quicquam contra scripturam recipiendum, quod etiã nos fatemur: Ex quo tamen aliud colligi non potest, nisi vt summum, quod singuli Doctores in facto & doctrina errare possint, quod nihil contra nos facit.

Ad 19. & 20. respondeo, Ab AVGVSTINO reprobari ea, quæ ita sunt extra scripturam, vt ei quoq; aduersentur, vt etiam dictum est suprà ad 15. Augustini, & ex alijs eiusdem testimonijs, quorum nos quædam alibi adduximus, euidenter patet.

Ad 1. THEODORETI respondeo, Humanæ rationis figmenta, nõ autem traditiones & præcepta Ecclesiæ non scripta taxari.

Ad 2. respondeo, Decens omninò esse, vt quis acquiescat scripturæ demonstrationibus, ab aliquo Doctore allatis, vt ait Theodoretus, si quando alioqui eiusmodi interpretationibus, cõmunis Ecclesiæ aut SS. Patrum sensus & consensus non repugnant; indecentissimum autẽ, quod volunt sectarij, vt cuiuis scripturæ testimonia alleganti, eaq; ex proprio capite

capite explicanti, credatur, contra receptissimum Ecclesiæ Catholicæ & SS. Patrum consensum. Et si Theodoretus etiam factis à se scripturæ demonstrationibus, etiam SS. Patrum interpretationem adiunxit, quid nî idem faciant omnes Christiani?

Ad 3. respondeo, loqui ibi THEODORETUM, de eo, de quo nec ex scriptura, nec ex traditione seu Ecclesiæ authoritate quicquã constaret: quod cum accidit; nihil etiam pro certo affirmant catholici; quod scire facilè poterant nostri Luterani, nisi tam perditè confidentes essent.

Ad 4. respondeo, Taxari hæreticos, qui aliena dogmata ex suo cerebro conficta scripturis addunt.

Ad illud CONSTANTINI MAGNI respondeo, solùm inde colligi secundum scripturam controuersias fidei decidendas, atq; adeo scripturam principalem quandam regulam esse controuersiarum, sed non solam & vnicam.

Ad 1. DAMASCENI respondeo, Damnari ea quæ à scripturis aliena sunt, cum alioqui constet, eum luculentissimè traditionẽ illam non scriptam, de colendis imaginibus defendisse, vt ex eius testimonio alibi adducto patet.

Ad 2. & 3. respondeo, solummodo illic commendari vtilitatem scripturæ, si tamen in Ecclesiæ obedientia legatur.

Ad 1. THEOPHYLACTI respond. Damnari eos, qui ex proprio capite, noua quædam dogmata à scripturis aliena in Ecclesiam inuehunt.

Ad 2. respondeo, Nihil esse, quod non ex scriptura saltem mediante infallibili authoritate Ecclesiæ, quam ipsa nobis scriptura commendat,* possit dilui. *non

Ad illud PANORMITANI respondeo 1. quod scriptor ille non ita vetus, censuit hac in re, nos parùm curare. Respondeo 2. Illud intelligendum esse de Papa, vt est priuatus Doctor, alioquin fieri non potest, vt priuatus aliquis contra Papam sentiens in aliqua controuersia religionis melioribus rationibus scripturæ ducatur quàm Papa, contrarium cum authoritate definiens.

Ad illud GERSONIS, quoad Pontificem, idem respondeo quod de Panormitano dictum: Quod de concilio addit, locum habet vel ante definitionẽ, quando adhuc in Concilijs causa discutitur, vbi primas tenet eruditio, non authoritas, aut quando concilium non fuit legitimũ & approbatum. Ad illud Argumentum ex Panormitano & Gersone extructum respõdeo. Negando maiorem propositionẽ, non enim sequitur, si

scriptura est super Pontificem, tunc scriptura est suprema & vnica norma, & Iudex controuersiarum Religionis, sicut etiamsi verba ex ore Christi immediatè prolata fuerint vtiq; digniora verbis Apostolorum, ob dignitatem scilicet proferentis, non tamen inde sequitur, ea post ascensum Christi, fuisse vnicam normã & Iudicem &c. Cùm Apostoli ipsi multa primùm posteà decreuerint, à Christo ipso certè immediatè non prolata, aut decreta, vt patet ex Actor. 15.

Ad locum DISCIPVLI respondeo. Comiseratione dignos esse aduersarios, qui ad tantam inopiam testimoniorum redacti, etiam à Discipulo emendicare quodpiam coacti sunt. Quandoquidem autem videntur à Discipulo aliquid discere velle, sciant eum nobis minimè aduersari, nam ex mente Discipuli, non malè ex scripturæ authoritate negatiuè argumentum petitur; ratione materiæ, quando id, quod colligimus, nec ex scriptura, nec aliunde ꝓbatur, maximè si quid eiusmodi est, quod probabile est, scripturam non prætermissuram fuisse, si verum esset; vt quidem in illo suo exemplo fieri putauit Discipulus, tunc enim rectè infertur id, quod eiusmodi est, fidem nullam mereri.

Ad PETRVM DE ALIACO, & Theologos Louanienses, nihil opus est respondere, quia nihil contra nos pugnant.

Ad GERSONEM respondeo, dici ab eo scripturam sufficientem regulam, tùm quia nihil contra illam sit admittendum, tùm quia ex illa, saltem mediante Ecclesiæ authoritate, quam ipsamet scriptura comendat, omnia possunt deduci, vt suprà dictum est, alioquin & Gersonem, & omnes catholicas traditiones, nõ scriptas agnouisse clarius est, quàm vt vlla probatione egeat. Quod si Aduersarios eiusmodi testimonijs gaudere sciuissemus, eosq; in Scriptoribus Catholicis tam malè versatos, vt plura similia inuenire non possent, tum certè rogati facilè illis sexcenta alia similia monstrassemus. Et in illis quoq; Nauarrum in Man. cap. 27. Vbi cùm declarat, quis inter opiniones Doctorum delectus habendus sit; primùm locum tribuit illis, quæ apertè in scripturis fundantur, & similia multa habere potuissent ex Rosella, Armilla, Angelo, Syluestro, & alijs Summistis, in verbo Opinio &c. Vt ita plures quaternionès implerentur, quibus saltem oculos, si non animos legentium præstringerent. Interim juxta Gersonis dictum, quod nobis opposuerunt, talibus Idiotis obijciatur illud Christi; erratis nescientes scripturas.

RESPON-

RESPONSIO AD SECVNDAM CLASSEM TESTIMONIORVM.

De perfectione Sacræ Scripturæ.

ANtequam in specie ad singula eiusmodi loca Respondeamus; Notandum est, nos minimè scripturam, imperfectionis accusare; Id quod Aduersarii, falsò nobis tribuere velle videntur; imò fatemur palam, eas esse perfectas, cum nulla omninò debita eis perfectio desit, vt à nobis alibi explicatum est. Deindè & illud quoq; animaduertẽdum est, nec illud quidem à nobis negari, quin scriptura sufficienter aliquo modo tradat omnia, quæ ad religionem spectant: non solum quia ea quæ omnibus simpliciter scitu necessaria sunt præcipuos nimirum articulos fidei in Symbolo contentos, decem præcepta, & Sacramenta magis necessaria apertè tradit, sed etiam quia ex illa ea quoq; omnia mediante saltem authoritate infallibili Ecclesiæ, quam ipsamet scriptura nobis commendat, deducuntur. Itaq; solùm quæstio est inter nos & Aduersarios, vtrum omnia, quæ ad religionem necessariò spectant, ita in scriptura sufficienter tradantur, vt vel in ea expressè contineantur, vel ex ea sola, seposita ipsius Ecclesiæ infallibili authoritate, euidenter deducantur. In qua quæstione Aduersarii affirmant, Catholici negant. His positis. Ad testimonium ATHANASII Respon. Eum loqui de sufficientia scripturæ ad fidem faciendam. Dicit enim scripturas se ipsis quidem sufficientes esse, ad veritatis indicationem, seu fidem faciendam, vtpote,* quæ inde sui nulla alia indigeant probatione, &c. Quod si de sufficientia id intelligamus; qua scriptura sufficienter omnia contineat, erit id intelligendum, iuxta præmissam à nobis explicationem. *quæ ex parte sui

Ad primum IRENÆI Respond. Dici scripturas perfectas, quoad perfectionem credibilitatis, & exactissimæ veritatis, vtpote diuino ore prolatas. Quod si de alia quoq; perfectione intelligamus, nihil id nobis aduersatur, vt suprà dixi.

Ad secundum IRENÆI respond. Malè ab Aduersariis legi eam

Ad primum CHRYSOSTOMI respondetur primò, loqui Chrysostomum ibi non de scriptura determinatè, sed absolutè de prædicatione & Euangelio. Explicat enim illa verba, manifestauit temporibus suis verbum suum, in prædicatione; &c. Respondetur secundò, etiamsi de scriptura determinatè loqueretur; intelligendã tamen esse vocem OMNIA de generibus singulorum, nõ de singulis generum, quemadmodum dicimus, omnia animalia fuisse in arca Noë, ita enim satis seipsum declarat Chrysostomus, cũ mox subdit: *Et præsentia, & futura, honorẽ, pietatẽ, &c.*

Ad primùm CYRILLI respon. sensum esse, scripturam his, qui in ea simul cum Ecclesiæ obedientia educati sunt, sufficere ad sapientiam, nec ad hoc fideles indigere externis magistris, puta hæreticis, qui extra Ecclesiam versantur.

Ad secundum respon. sufficere miracula in Euangelio conscripta, ad fidem faciendam, quòd Christus sit Filius Dei, vt etiam S. Ioannes ait, capit. vltimo. Sed minimè sequitur; Ergo scriptura est vnica norma, &c.

Ad 3. & 1. & 2. AVGVSTINI respond. ea loca intelligenda esse iuxta ea, quæ initio ad testimonia huius classis, & suprà ad 2. IRENÆI respondimus.

Ad tertium AVGVSTINI respond. Nihil ad rem facere, licet enim omnia scripta sint ab Apostolis, quæ de suis factis & dictis Christus nos legere voluit, non tamen sequitur, omnia omninò ad religionem spectantia scripta esse, cum non omnia Christus in scripturis nos legere voluerit, sed quædam ex traditione discere.

Ad quartum eiusdem, quòd hic denuò repetitur, supra responsum est in priore classe testimoniorum.

Ad quintũ respondetur, omnia ex scriptura posse dilui, aut immediatè, aut mediatè, mediante videlicet Ecclesiæ authoritate, quam ipsa scriptura commendat, vt sæpius dictum est.

Ad locum THEOPHYLACTI respondetur, nihil aliud ibidem dici, quàm quòd Apostolus ipse, 2. Tim. 3. docuit, ad quem locum iam alibi responsum est.

Ad locum CLEMENTIS respondetur 1. scripturam non dici integram regulam omnis veritatis, sed indefinitæ veritatis, quòd verè diceretur, etiamsi vel vnica veritas, tantùm per eam integrè regularetur; Respondetur secundò. Tametsi illud diceretur, intelligendum esse tantùm iuxta dicta ad quintum locum Augustini.

Ad

RESPONSIO AD TERTIAM CLASSEM TESTIMONIORVM DE PERSPICUITATE SCRIPTURÆ.

PRÆTER responsionem generalem ad eiusmodi loca alibi allatā quā scilicet dictū est, huiusmodi loca eò solùm tendere, vt vel significēt, primò scripturam esse lucem, quæ illuminet mentē videntis, hoc est, ex spiritu Dei (loquentis per Ecclesiam) scripturā intelligentis: Aut Secundò vt significent, quædam saltem, præcipuè quæ ad historias & articulos quosdam magis necessarios omnibus pertinent, satis clarè in scriptura contineri. In specie.

Respond. ad primum, HÆRETICOS rectè dici Lucifugas scripturarum, quia lucem scripturæ mentem intelligentis illuminantem fugiant; non sub modio priuatæ interpretationis latentem; (sic enim tantum abest, vt eam refugiant, vt ad eam omnes vel maximè prouocent, vt in prima classe testimoniorum ad primum Tertulliani responsum est), sed super Candelabrum Ecclesiasticæ authoritatis repositam.

Ad primum IRENÆI suprà responsum est, & falsum est, quod dixerit Irenæus hæreticorum proprium esse, scripturas obscuritatis arguere, loquitur enim solùm de certis hæreticis, neque scripturas omnes, neque traditiones verè Apostolicas recipientibus, vt etiam Aduersarij faciunt. Aliâs hæreticorum proprium * esset, ad scripturas tanquam scilicet, alioqui valdè claras prouocare, suprà ostensum est, reiectis Ecclesiæ traditionibus, quas communiter reijcere solebant hæretici; vt de Valentino & Martiano testantur Irenæus lib. 3. aduersus Valent. cap. 2. & Tertull. de præscript. de Arrianis. Epiphan. hæresi 73. de Eunomio Basilius: de Nestorio, Eutychete, & Iconomachis, septima synodus in confess. Basilii Ancyrani, anathemate 7. de hæreticis sui temporis, Sanctus Bernardus Homil. 66. in Cantica: de Ioanne VVicleffo, VValdensis, lib. 2. doctrin. cap. 19. quos etiam Aduersarii imitantur.

* esse

Ad ſecundũ IRENÆI reſpon. Intelligendũ id eſſe de ſcriptura per Eccleſiã declarata, vt patet ex ſequentibus verbis, quibus perſtringit eos, qui nolunt videre lumen prædicationis. Accedit quòd ibidem ſolùm loquatur de quibuſdam articulis contra infideles tunc controuerſis. Nempè an ſit vnus Deus, &c. quales quidem libenter fatemur, apertè in ſcriptura contineri.

Ad primum LACTANTII reſpondetur. Ad ratificanda ea, quæ ibi dicuntur, ſufficere, quod quædam magis neceſſaria omnibus, ad fidem & mores ſpectantia, in ſcriptura clarè habeantur.

Ad ſecundum reſpondetur. Non loqui ibi Lactantium de ſcripturis, ſed generatim de doctrina diuinæ ſapientiæ, in qua omnia, inquit, dictu prona ſunt, auditu ſuauia, facilia intellectu, &c. Vbi Aduerſarii pro dictu, malè ſcripſerunt, dicta, vt ſcilicet hunc locum ad ſcripturam contorquerent.

Ad locum EPIPHANII, reſpondetur. Omnia lucida eſſe in ſcripturis, nec quicquam obliquũ videnti, hoc eſt intelligẽti, vt ſuprà dictũ eſt.

Ad loca CHRYSOSTOMI reſpondetur. Chryſoſtomum, prout temporis & loci ratio poſtulabat, vt homines à ſpectaculis vanis, quibus erant deditiſſimi, auocaret, & ad ſtudium atq; lectionem ſcripturæ prouocaret, vſum eſſe illis amplificationibus, concionatoribus paſſim vſitatis. Omnia clara ſunt ex ſcripturis diuinis, &c. Interim apertè quoquè ſignificat, ſcripturam in multis locis, obſcuram, & intellectu perquàm difficilem eſſe, vt homil. 44. in Ioan. vbi ait; *Christus Iudæos ad ſcripturarũ non ſimplicem, nudam lectionem, ſed ad inueſtigationem perquàm diligentem relegauit; non dixit legite ſcripturas, ſed ſcrutamini. Diuina enim ſumma indigent diligentia. In vmbra enim maioribus illis non abs re locutus eſt, idcircò effodere profundius iubet, vt quæ altè deliteſcunt, inuenire poſſimus. Non enim rem in ſuperficie & in promptu poſitam effodimus; ſed quæ tanquam theſaurus profundè recõditur. Qui enim huiuſmodi quærit, niſi ſummam adhibeat diligentiam & laborem, nunquam quæſita inueniet.* Et in homilia de Lazaro. *Quid igitur*, inquit, *ſi non intelligamus ea, quæ continentur in libris? Maximè quidẽ etiamſi nõ intelligas illic recondita, tamen ex ipſa lectione multa naſcitur ſanctimonia.* Et infrà declarat, ſe cùm ſcripturas apertas vocat, loqui de hiſtoriis & ſimilibus. Et neque hæc tamen omnia clara eſſe; *ſume*, inquit, *librum in manus, lege hiſtoriam omnem, & quæ nota ſunt, memoria teneas, & quæ obſcura ſunt parumq́ manifeſta, frequenter percurre. Quod ſi non poteris aſſiduitate lectionis inuenire quod dicitur, accede ad ſapientiorẽ, vade ad Doctorem.*

re. Et in citata homil. in 2. ad Thessal. *Quæ est ista obscuritas, dic quæso, non historiæ sunt? nosti quæ clara sunt, quid de obscuris rogas? mille historiæ in scripturis sunt, dic mihi vnam ex illis, sed non dices. Prætextus sunt, ista & inania verba, &c.*

Ad primum AVGVSTINI respond. Notanter dixisse Augustinum, ferè. Itaque manent adhuc quædam obscura, alibi in scriptura nō declarata. Deinde hoc ipsum ignoratur, quæ nā sint illa loca clara, per quæ obscuriora alia declarentur. Vnde manet adhuc summa difficultas intelligendi scripturam, etiam in illis locis, quæ clara videntur, vt patet exemplo Lutheranorum & Caluinistarum, quorum illi clara censent hæc verba. Hoc est corpus meum; & per hæc alia obscuriora declaranda: isti verò obscura censent, & per alia loca scripturæ clariora explicanda, &c. Ad secundum Augustini supra responsum est. Idem respondetur ad tertium Augustini.

Ad quartum & quintum respon. Inde tantum colligi posse, esse quædam clara in scripturis; quod libenter fatemur. Quid enim clarius est in scriptura, quàm quod sola fides nō iustificet, iuxta illud Pauli, si habuero omnem fidem, &c. charitatem autem non habuero, nihil sum, &c. prima Cor. 13. Et tamen aduersarii Lutherani, eum locum obscurum faciunt. Calumnia est autem impudens, quod dicunt, ideo scripturam à nobis obscuram asseri, quod eam nimis claram & manifestam esse videamus, contra religionis nostræ articulos. Quasi verò SS. etiā Patres, non alia de causa scripturam obscuram & intellectu difficilem esse dixerint, quàm vt eo prætextu, errores suos tegerent.

Ad locum ATHANASII, & duo sequentia Chrysostomi respondetur. Solum hortari eos ad scripturæ lectionem & auditionem verbi DEI, omnes etiam laicos. Quod nihil ad rem facit. Nō est autē hinc colligendum. Ergo Ecclesia iam malè facit, non indifferenter permittens Laicis lectionem Bibliorum in lingua vulgari; tùm quia id iam minus est expediens, vbi hæreticorum exemplo indoctissimus etiam quisq; facile audet, nouum quodpiam dogma sibi confingere, ea opinione persuasus, quod cùm scriptura, vt aiunt, sit facilis; Omnia quæ legit, facilè intelligat; tum quod conueniens non est, vt sacra scriptura quauis lingua vulgari ita passim edatur, & ab omnibus legatur * semper, multas ob* grauissimas causas, quas nostri sæpius explicarunt. *propter multas &

Ad locū ex GREGORIO de Valentia, responsione opus * est. Nihil enim ab eo dissentimus, neque verò frustrà addidit, ferè, & *non est

ſimul etiam docuit, tametſi multa per ſe clara ſint, in ſcriptura, tamen ex collatione aliorum locorum ſuboriri difficultatem intelligendi etiam illa, quæ alioquin per ſe clara videntur, vt etiam ſupra diximus. Quod autem ſubiungunt Aduerſarii, ſe ex dictis colligere, quòd cùm de ijs dogmatibus, de quibus inter nos & illos controuertitur, perſpicuè nihil doceatur in ſacris ſcripturis, idcircò arbitrari ſe, illa ſimpliciter & neceſſariò cognoſcenda & credenda non eſſe. Miramur primùm vndè ſumpſerint illud antecedens, quod videlicet de dogmatibus hodiè controuerſis, nihil omninò perſpicuè doceatur in ſcripturis; hoc enim nos nunquã diximus, nec ex noſtris dictis colligi poteſt. Deindè valdè miramur illud conſequens, quo certè ſatis manifeſtè declarant Aduerſarii, ſe non multò magis ſuam fidem curare, quàm noſtrã, neq; adeò multũ referre, *an an quis eorum fidem ſequatur* non noſtram. Quod tametſi ex vna parte nobis placere poſſit, eò quod non vſquè adeò malè de noſtra fide ſentire videantur; ex altera tamen parte prorſus deteſtamur, certò ſcientes, quòd qui pertinaciter vel in minimo fidei articulo ſeu particula errat, atq; adeo fidem ipſam totam integram inuiolatamquè non ſeruat, ſaluus eſſe non poſſit, ſed abſque dubio in æternum periturus ſit, vt loquitur S. Athanaſius in Symbolo. Neque enim multum refert, an quis Deum in magnis, an in paruis rebus mendacem faciat, facit autem quiſquis vel minimam fidei particulam à Deo vtiquè reuelatam, pertinaciter negat. Vnus eſt ergo Deus, vna fides, vna Eccleſia, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt. Itaque non ſolum illud Turcici Alcorani, quod in ſua nempè fide quiſque ſaluari poſſit, ſed etiam pacificantium illud non verè pacificum dogma, qui iam olim teſte Euagrio, lib. 5. cap. 14. & 30. docebant, modò præcipui quidam fidei articuli credantur, de cæteris parum eſſe curandum, penitus execramur.

RE-

RESPONSIO AD TESTIMONIA EX IVRE CANONICO, PRO VNICA NORma Doctrinæ.

AD 1. respondetur, in voce Christi, non excludi vocem pastorum Ecclesiæ, juxta illud ipsius Christi. Luc. 10. qui vos audit me audit &c.

Ad 2. & 3. & 4. respondetur, solùm inde colligi, nullius Doctoris vel Episcopi scripta pro canonicis scripturis habenda, & singulos Doctores, imò etiam Episcopos in scribendo, aliquid errare posse, quod fatemur, non autem inde sequitur, quod solum id quod in sacra scriptura continetur, habet infallibilem authoritatem. Nam & Ecclesiæ quoq; Pastores & Doctores simul sumpti in docendo, & sumus Ecclesiæ Pontifex, in definiendo habent infallibilem authoritatem, vnde falsa est illa propositio minor, in proposita argumentatione.

In 2. Syllogismo similiter falsa est propositio minor, si intelligatur, aut de omnibus Episcopis & Doctoribus simul sumptis, quoad ea in quibus vnanimiter consentiunt, aut etiam de solo summo Pontifice, quoad ea quæ in causa religionis dubia toti Ecclesiæ definiendo proponit. Neque ea hoc sensu probatur, aut probari potest, ex citatis canonibus, vel vllo alio argumento.

Ad 5. & 6. est eadem responsio, quæ ad præcedentia.

Ad 7. quàm pulchrè inferunt Aduersarij: Ergò multa Pontificum & Conciliorum (etiam approbatorum nimirum) decreta, vtpotè scripturæ repugnantia, non sunt rectè constituta. Cur non probant, quod temerè assumunt, nempè quod saltem vnicum huiusmodi Pontificis, aut eiusmodi conciliorum decretum scripturæ repugnet, aut si hoc nō possunt, cur non potius contra sua dogmata, vtpotè veræ scripturæ contraria, eiusmodi faciunt illationem?

Ad 8. fatemur, si quid in decretis vel decretalibus Papæ, contrariū scripturæ, aut consentienti præcedentium SS. Patrum doctrinæ reperiatur, id vim nullam habere, nec acceptandum esse. Sed hypothetica, si, nihil ponit in esse. 2. falsum est, quod ea sit Glossa Gregorij XIII.

 Est enim

Est enim appendix solùm Gratiani collectoris, quem constat in suis appendicibus, sæpiùs errasse, cum præsertim illa Glossa, vbi in dictorũ confirmationem exemplum Anastasij Pontificis adducitur, per aliam Glossam corrigatur, vt videre est in Gregoriana illa editione decreti. 3. Falsum est, quod aduersarij subsumunt, in Pontificum decretis, multa esse Euangelicis præceptis & SS. Patrum decretis non consona. Nec exemplum illud mutilationis cœnæ ad rem facit, cum falsissimũ sit, ideò mutilari cœnam, quod laicis sub vtraq; specie non concedatur, vt facilè intelligere possunt Aduersarij ex suimet parentis Lutheri scriptis.

Ad 9. 10. 11. & 12. respondetur. Debere omninò Pontificem studium & meditationem scripturæ non intermittere, nec ex proprio & humano sensu quicquam agere. Et scripturam quoque legitimè intellectam valere, ad vitiorũ fugam, sed non sequitur &c. Ergò scriptura est vnica norma &c. Ergò Pontifex nõ est cõtrouersiarum Iudex &c. Christus enim qui se cum Ecclesia sua permansurum esse, vsq; ad consumationem sæculi, recepit; Et Petrum eiusq; Successores, summos Ecclesiæ Pastores constituit, Ioan. 21. certissimò assistet Pontifici, vt quicquid circa fidei definitiones agit, non ex suo, sed diuino spiritu agat, nec sinet Ecclesiam vniuersam errare, quam posuit columnam & firmamentum veritatis 1. Timoth. 3.

Ad 13. respondetur, Tantùm inde colligi, scripturam esse normam, sed non solam & vnicam, vt volunt Aduersarij.

Ad 14. respondetur. Solùm inde colligi, nihil à scripturis alienum admittendum. Hoc enim in proposito significat vox illa, aliud, vt alibi dictum est. Quos autem Episcopos Bononienses ex nescio quo Vegetio adducant Aduersarij, & ad quid, nondum intelligere potuimus. * Ergò oportet quorsum spectare aut cuius sint, & de qua re loquantur illa verba: Hoc planè Lutheranum est dogma, & alia sequentia &c. Interim sciant Aduersarij, nos canonem illum citatum, si de eo loquuntur, pro orthodoxo habere, sed nihil causæ nostræ officere, vt dictum est.

*Neq; video quorsum spectent,

Ad 15. respondetur similiter, conditionalem illam, nihil ponere in esse: neq; colligi potest inde: si quid in dubio toti Ecclesiæ seruandum in caussa religionis à Pontifice præscribitur, licitum esse subditis id examinare, an scripturæ consonum sit, cum omninò consonum esse, certò sibi quisq; persuadere debeat, ne alioqui sit discipulus super magistrum, seruus super Dominum &c.

Ad 16.

Ad 16. respondetur, similiter non sequi. Ergò laici debent Pontificum decreta religionis vniuersæ Ecclesiæ proposita examinare & in dubium vocare.

Ad 17. respondetur. Id quod contra Pontificum decreta fit, etiam contra diuina mandata fieri, juxta illud Lucæ 10. Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.

Ad 18, 19. & 20. respondetur similiter, quod conditionalis, si, nihil ponit in esse, maximè quoad Pontificum illa vniuersalia decreta. Alioquin etiam Pontificem incidere posse in personales lapsus; de quibus fraternè etiam à subdito, cum debita tamen modestia & reuerentia corripi queat, non negamus. Cyprianus autem cum Pontifice Romano non debet, quoad omnia comparari, non enim totius Ecclesiæ pastor & caput erat Cyprianus, vt est Pontifex Romanus.

Ludunt igitur Sectarij tantùm, & illudere conantur imperitis, dum jactant se ex Iure Canonico suum illum errorem probare, cum apertissimè constet, cum tot argumentis refelli, quot in Iure Canonico sint Canones, qui omnes singuli hoc ipso summam potestatem judiciariā Pontificis demonstrāt, quòd testantur, ipsum semper & vbiq; Ecclesiæ jus dicere, fidei quæstiones definire, hæreticos damnare, leges condere solitum fuisse. Sed scimus quo spiritu agantur Aduersarij, dum sumi Pontificis authoritatem vsq; adeò detestantur & exosam habent, nempè eo quo hæretici quoq; olim ducebantur, qui & ipsi quoq; nullo jure damnabant eos, à quibus jure damnabantur. Itaq; concludimus cum S. Augustino, Tomo septimo, contra hæreticum Petilianum, lib. 2. cap. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesia Romana, in qua Petrus sedit, & in qua hodiè Anastasius* (Clemens) *sedet? vel Ecclesia Hierosolymitana, in qua Iacobus sedit, & in qua hodiè* Ioannes *sedet; quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis? Quare appellas Cathedram pestilentia,* (Antichristi) *Cathedram Apostolicam? Si propter homines quos putas legem loqui & non facere, nunquid Dominus* IESVS CHRISTVS *propter Pharisæos, de quibus ait; Dicunt enim & non faciunt, cathedra in qua sedebant, vllam injuriam fecit? Nonnè illam cathedram Moysi commendauit, & illos seruato Cathedra honore redarguit? Ait enim, super Cathedram Moysis sedent, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim & non faciunt. Hæc si cogitaretis, non propter homines quos infamatis, blasphemaretis Cathedram Apostolicam, cui non commu-*

communicatis, &c. Sic itaque breuiter ad testimonia SS. Patrum, quæ Aduersarij pro confirmatione sui erroris afferebant, pro concessa temporis breuitate responsum esto. DEVM precamur, vt ipse errantibus viam veritatis non solùm monstrare, sed in eam quoq; efficaciter inducere velit, per dilectum filium suum & vnicum Saluatorem nostrum IESVM Christum, cui cum Patre & Spiritu sancto, sit laus, honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

SES-

SESSIO NONA.

4. Decembris.
24. Nouembris. Anno 1601.

Hora ſeptima antemeridiana.

D. TANNER.

QVANDOQVIDEM alteram partem Colloquij aggredimur, nempè vt cùm ad argumenta Aduerſariorum, DEO laus, ſufficienter reſponſum ſit, nunc noſtram quoque Theſin probandam ſuſcipiamus, diuini Spiritus opem implorabimus.

Veni Sancte ſpiritus.

PATER NOSTER &c. AVE MARIA &c.

Vt autem clarè & diſtinctè in hac parte progrediamur, perſpicuè ſcilicet, & dilucidè proponendo argumenta; omnia omninò argumenta in quinque Claſſes diſtribuemus. Prima continebit ea, quibus directè probatur ſacram ſcripturam non eſſe vnicum Iudicem abſtrahendo, an & quis alius Iudex. Secunda ea, quibus directè probabitur, ſacram ſcripturam non eſſe normam & formam vnicam Religionis. Tertia ea, quibus probabitur Eccleſiam eſſe Iudicem omnium Controuerſiarum, abſtrahendo, an & quis ſit in Eccleſia, num Pontifex, an Concilium. Quarta ea, quibus directè & perſpicuè demonſtratur nullam aliam Eccleſiam eſſe illum Iudicem, præter Catholicam, quocunq; nomine vocetur. Quinta ea, quibus directè probatur, Summum Pontificem eſſe in noſtra Eccleſia determinatè illum Iudicem.

Itaq; vt initium faciamus, & primam illam Claſſem aggrediamur, ſupponendo illa loca ſcripturæ, quibus paſſim aſſeritur Eccleſiam verà rectè diſpoſitam eſſe, vnde & Regno comparatur, & familiæ benè diſpoſitæ, & aciei ordinatæ, in Canticis Canticorum.

SIC ARGVMENTOR.

Si in omni Republica benè ordinata aliquis alius Iudex, præter ſcriptam legem requiritur, tunc in Eccleſia vtpotè rectiſſimè ordinata alius etiam Iudex præter ſcripturam ſeu legem ſcriptam admitti & aſſignari debet: Sed verum eſt primum illud antecedens: Ergò & poſterius ſeu conſequens.

D. I. HAILBRONNER.

Recitauit Veni Sancte.

Pater noster &c.

Deinde repetito syllogismo, negat Maiorem.

D. TANNER.

Eam ita probo.

Alioqui sequeretur, Ecclesiam esse minus benè ordinatam ac alias Respublicas huius mundi, quod est absurdum.

D. IAC. HAILBRONNER.

Primùm nos non simpliciter negamus alium esse judicem, præter scripturam sacram sed alium quoq; admittimus Iudicem, nempè DEVM *Opt. Max, quem omnes agnoscere, timere, & venerari debent, qui per scripturam sacram à se inspiratam, religionis Controuersias dirimit, quam scripturam in secunda Thesi vocamus vocem supremi Iudicis (legit thesin.) Deinde alia est ratio Rerumpublicarum huius mundi, quàm gubernationis Ecclesiæ. Christus enim testatur, regnum suum non esse de hoc mundo; ideoq; Ecclesia non potest regi & constitui mundano more, & idcircò à republica politica ad Ecclesiam non valet consequentia.*

D. TANNER.

Quid negatis, aut quid conceditis?

D. HVNNIVS.

Negamus consequentiam, ea probetur.

D. TANNER.

Quia ad hoc, vt Respublica sit benè ordinata, omninò requiritur, vt præter scriptam legem, etiam alius quispiam Iudex visibilis constituatur. Ergo si in Ecclesia non est alius Iudex præter scriptam legem, sequitur Ecclesiam minùs benè esse ordinatam.

D. HVNNIVS.

Probat id D. Doctor, quod non ad rem facit.

D. TANNER.

Imò ad rem facit.

D. HVNN.

Nos non

Nos non tam turbulenter disputabimus, vt heri.

D. TANNER.

Non turbulenter, sed in forma; Et si quis est hactenus turbatus, certè sine mea culpa factum est.

D. HVNNIVS.

Necesse est, vt probet eandem esse formam gubernationis Ecclesiæ, quæ rerumpublicarum in mundo, si ratio maioris constare debet.

D. TANNER.

Ego debeo saltem probare, quod negatum est.

D. ANDREAS OSIANDER.

Petis principium, nos desideramus probationem.

D. IAC. HAILBRONNER.

Cum Dominus Doctor argumentetur à gubernatione mundana ad gubernationem Ecclesiæ, necesse est, vt probet illam consequentiam.

D. HVNNIVS.

*Hoc probes, quod *propter legem scriptam alius quoq; sit constituendus judex visibilis.* *præter

D. TANNER.

Peto per amorem DEI, vt repetas argumentum, & resumas (& syllogismum in forma repetit) dicens, paratus sum repetere, quotiescunq; volueritis.

D. HVNNIVS.

Resumit, ac respondet: Tuum argumentum est Enthymema, in quo altera Propositio occultatur, quam petimus compleri, vt appareat, ad quid nobis respondendum sit.

D. TANNER.

Si ad hoc, vt aliqua respublica sit benè ordinata, requiritur, vt præter scriptam legem sit alius quoque judex visibilis, tunc ad id, vt Ecclesia sit benè ordinata, requiritur, vt sit aliquis visibilis judex præter legem scriptam. At verum est illud primum antecedens. Ergò verum etiam est illud consequens: quod præter scripturam alius judex requiratur.

D. HVNNIVS.

Est repetitio, non probatio: petimus probari consequentiam maioris propositionis, & quæritur, an Ecclesiæ gubernatio comparata & conformata esse debeat ad formam reipub. politicæ.

D. TANNER.

Peto resumi argumentum. Consequentiam Maioris ita probo.

I. Ideò requiritur alius Iudex visibilis præter scriptam legem in repub. benè ordinata, quia scilicet judex cognoscere debet controuersias in repub. ortas, atq; adeò vtriusq; partis argumenta inspicere.

II. Quia debet sensum legis explicando, sententiam ferre.

III. Quia debet quoque sua auctoritate posse compellere transgressores, ad jus & fas, & vt sententiæ seu decisioni stent: Atqui eadem est ratio in Ecclesia; Ergo si in omni repub. politica requiritur præter scriptam legem aliquis judex visibilis, in Ecclesia quoq; requiritur necessariò.

D. HVNNIVS.

Probetur Minor.

D. TANNER.

Quia nisi etiam in Ecclesia sit aliquis Iudex visibilis, præter scripturam, non poterunt tria illa in Ecclesia locum habere; primò enim Controuersiæ ortæ non poterunt cognosci, & decidi.

Secundò, non poterit lex scripta explicari, & sententia ferri secundum eam.

Tertiò, non poterunt transgressores adigi ad obediendum sententiæ.

Ergo propter easdem rationes, præter scripturam, constituendus est aliquis Iudex visibilis in Ecclesia.

D. HVNNIVS.

Repetit hanc probationem, & negat iterum maioris consequentiam: quia nos disertè negamus, eandem esse formam & modum gubernationis Ecclesiasticæ, quæ est reipub. politicæ.

D. TANNER.

Repetis

Repetit maiorem propositionem, & probat: Quia scriptura ipsa per se controuersias ortas, & vtriusquè partis rationes non cognoscit; neq; cognitis rationibus sententias fert; neq; transgressores ad obedientiam adigere potest. Ergo nisi præter sacram scripturam sit alius Iudex visibilis, non possunt illa tria habere locum.

D. HVNNIVS.

Probetur idipsum, quia mera est petitio principij.

D. TANNER.

Scriptura non audit, nec audire potest vtriusq; partis argumenta, quando exoritur controuersia. 2. Non fert sententiam, explicando legis sensum. 3. Non potest compellere transgressores ad obediendum per se; Ergò verum est illud, quod alius sit constituendus Iudex visibilis.

D. HVNNIVS.

Respondeo distinctè. quod ad primum membrum, scripturam non posse audire partes litigantes; respondeo ex Thesi 2. in qua dicitur, Verbum Dei scriptum controuersiarũ esse iudicem, haud sanè voce supremi iudicis. Ex hac igitur Thesi apparet, quòd in regno Christi, præter scripturam constituatur alius iudex, nimirùm Deus immortalis, qui solus est, & vnus legislator in Ecclesia. Itaq; quando exoriuntur Controuersiæ, tùm sanè scriptura quo ad literam non audit, at Deus loquens in scriptura audit, & mediante ministerio verbi sui per fideles interpretes, examinat, & cognoscit controuersias.* *200

Secundò, explicat ex ipsa scriptura.

Tertiò, Definit, & sententiam fert.

Atq; ita deinde per pium Magistratum suo modo homines possunt adigi ad audiendum verbum, & ad obtemperandum, adeò vt non opus sit constituere vnum quendam vniuersalem iudicem, qui solus definiendi potestatem sibi vendicet; quandoquidem donum interpretandi Deus in Ecclesia non confert vni alicui, sed distribuit, vt vult, 1. Corin. 12. Itaq; constat, quod regnum Christi longè aliter comparatum sit, quàm regna mundana, in quo Christus est vnus Princeps, Ezech. 37. Vnus legislator; Iacobi 4. Matth. 23. Nolite vobis vocare alium Magistrum in terra; Vnus est enim Magister vester, qui est Christus.

Sic ergo probatio Domini Doctoris est confutata, ostensa dissimilitudine regni Christi, & regnorum huius mundi, & data ratione, quod non opus sit vno visibili iudice vniuersali.

D. TANNER.

Concionatus est D. D. non respondit legitimè; Mea propositio hæc fuit: Quod scriptura non possit per se partes litigantes audire, sententiam ferre, compellere partes ad obediendum ad hoc responde.

D. HVNNIVS.

Necesse fuit illa explicare. Concurrunt in hoc opere iudiciario Deus, scriptura, ministerium verbi, & Magistratus. Aliter ergò Deus iudicat, aliter scriptura, aliter ministerium verbi, aliter Magistratus.

D. TANNER.

Respondet: Nihil ad rem facit ista distinctio. Et contra primum sic argumentor; Quia ad hoc, vt Respub. benè sit ordinata, requiritur, vt sit aliquis iudex visibilis, ad quem partes suas causas deferant, qui & visibiliter cognoscat. Ergo licet Deus per se cognoscat causam, & argumenta partium, nihilominus tamen in terris iudex visibilis debet constitui.

Contra secundum sic argumentor, nam etiam inter doctissimos oriuntur controuersiæ de sententia scripturæ. Deinde vos ipsi dicitis, quod scripturæ sacræ sensus non possit elici, nisi per collationem scripturarum, & spiritus sancti ope, & auxilio. Ergo scriptura seipsam non sufficienter explicat, vt vos vultis, &c.

Contra tertium sic argumentor: si est aliqua authoritas alia præter scripturam, quæ cogere potest transgressores veritatis diuinæ, tunc alius omninò iudex necessariò est constituendus præter scripturam. Sed hoc asserere est contra vos.

D. HVNNIVS.

Ad primum respondemus, vt argumenta vtriusq; partis litigantis legitimè cognoscantur, non opus est in Ecclesia eiusmodi iudicem visibilem constituere, qui quasi prætoria authoritate decernat, quid tenendum, quid fugiendum sit: sed tantum est opus, vt sint interpretes scripturæ, qui sunt Doctores Ecclesiæ, quos Deus dono Prophetiæ instruxit. Proinde ad executionem non est opus, vt iudex aliquis constituatur, qui ferro & igne cogat homines ad sua decreta obseruanda: Sed sufficit Ministerium, & pij Magistratus officium.

Deinde Magistratus non est iudex summus, qui in modum Romani Pontificis decernat, sed est custos vtriusq; tabulæ, & suo loco suum facit officium, ita tamen, vt non dominetur conscientijs ipsis, sed vt illa per Doctores

Doctores Ecclesiæ informentur: Ita nihil prorsus est opus talem in Ecclesia iudicem constituere, qualem vos imaginamini.

Secundo dicis, falsum esse, quod scriptura ferat sententiam, quia non possit sensus elici, nisi per collationem scripturarum, eo ipso non tuam sententiam asseris, sed nostram defendis; nam cum conferuntur scripturæ, & inde eruitur vera sententia, vt manifestum est, quod scriptura seipsam explicat, & sententiam decisiuam ferat, atq; sic perpetuus ille tenor scripturarum, & Analogia fidei, nobis veram sententiam subministrant, ita, vt quod vno loco est obscurum, id etiam alijs vberius explicetur.

Ad tertium respondeo, Ministerium compellit verbo, Magistratus verò pijs decretis, & non absolutè ministerio adscribitur iudicium, sed alligatum ad scripturam, & respectu interpretationis.

D. TANNER.

Absoluit Dominus Concionem, hoc dicto repetit suum argumentum, & responsiones Doct. Hunnij, & ita argumentatur: Aut illud ministerium & Magistratus potestatem habet decidendi controuersias, aut non habet; si habet, sequitur præter scripturam, alium debere esse iudicem visibilem in terris, si non habet authoritatem; ergò nihil ad rem.

D. HVNN.

Est fallacia æquiuocationis, in voce iudicis, quæ est, ἀφ' ἑνός, id est habet certos gradus significationum, quantum ad præsentem quæstionem, nam DEVS *est supremus Iudex, & vnus legislator. Iacobi 4. & hic ex plenitudine suæ potestatis, & sapientiæ, iudicat omnes hæreticos errores, in hoc seculo per scripturam, in nouissimo iudicio per executionem. Deinde Ministerio non derogamus omnem potestatem iudicandi, sed prætoriam illam authoritatem decidendi. Quando proponitur Quæstio Theologica, conuocantur Theologi, euoluuntur libri Biblici; & quid ex scriptura decernendum sit, statuitur, & illud iudicium dicimus esse iudicium non potestatis, sed interpretationis, Magistratus quoq; suo modo debet iudicare de controuersijs religionis, sicut Iosias, Iosaphat, Iskias, & alij fecerunt, ita non omne iudicium Magistratui & ministerio derogamus, sed suum cuiq; distinctè tribuimus.*

D. TANNER.

Nihil

Nihil ad rem, fatemur omninò Deum esse supremum iudicem, sed quæstio est, an præter Deum etiam alius iudex scilicet Dei vicarius admittendus sit, qui loco Dei, causas cognoscat, & sententiam ferat. Iam ergo videat Dominus Doctor. Aut illud ministerium de quo vos loquimini habet aliquam saltem sibi communicatam à Deo potestatem & quidem infallibilem iudicãdi controuersias, atq; adeo etiam publicam, aut non habet. Neutrum verò potest dici, ergo nulla est responsio.

D. HVNNIVS.

Probetur minor; deinde respondeo distinctè ad singula. Primò, de aliqua potestate. Secundò, de infallibili. Tertiò de publica auctoritate. Quoad primum, profitemur ministerio & Doctorib. Ecclesiæ omninò aliquam à Deo potestatem concessam esse diiudicandi etiam controuersias religionis. Eam verò dicimus non esse absolutam sed limitatam, & ad scriptum Dei verbum restrictam. Secundò quod ad infallibilem auctoritatem attinet, respondeo, quamdiu & quatenus illi interpretes sacræ scripturæ, sequuntur ductum diuini verbi per prophetas & Apostolos relicti, tamdiu est illa diiudicatio controuersiarum infallibilis, quando verò ductum illum non attendunt, illos errare posse constat, quod exempla omnium Patrum omniumq; ætatum & sæculorum testantur, quòd qui proprijs opinionibus indulgebant, errarunt. Itaq; vt infallibilis feratur sententia, requiritur, vt interpretes in interpretatione ad Dei verbum scriptum vnicè attendant, non quid hic aut ille dixerit, sed quid, qui ante omnes est Christus, in scriptura loquatur, qui est summus Iudex. Tertiò, Publica authoritas ministerij nititur ipsius Christi institutione. Nam Saluator ministerium instituit, & non modo Apostolos ordinauit, sed etiam post illorum mortem voluit esse qui verbum suum docerent, Actor. 20. de Presbyteris Ecclesiæ Ephesinæ ad Tit. 1. Habent ergò ministri Ecclesiæ publicam & ab ipso Filio Dei sibi delegatam authoritatem.

D. TANNER.

Iam tertia est concio, quam hodiè audiuimus, sed ad rem. Non est quæstio, an auctoritas illa iudicis Ecclesiastici visibilis, quem præter Deum in Ecclesia requirimus, sit limitata, & à diuina authoritate, tanquam superiore dependens: constat enim limitatam & dependentem esse, sed hoc requirebat argumentum meum, vt diceretis, an ea qualiscunquè authoritas quam vos ministerio tribuitis, sit fallibilis, an autem infallibilis. Dicebam enim ego neutrum à vobis commodè asseri posse: quia verò aduerto vos dicere esse quidem infallibilem, si scripturæ normam sequatur,

sequatur, fallibilem autem absolutè, ideo contra responsionem vestram sic argumentor.

Vt respublica Ecclesiastica sit benè ordinata, requiritur omninò authoritas aliqua visibilis non qualiscunq;, sed infallibilis.

Ergo illud ministerium præter Deum assignatum non est sufficiens, sed alio præterea opus est iudice, Ecclesia videlicet visibili. Quia verò statim negabitis antecedens huius argumenti, ideo sic probo. Si istud ministeriũ verbi est absolutè fallibile, & nihilominus habet publicam authoritatem, tunc sequitur, quod tota Ecclesia vi talis ministerij, diuinitus vt vultis instituti, possit quandoq; penitus ad interitum redigi. At hoc est absurdissimum. Ergo & illud ex quo sequitur.

D. HVNNIVS.

Potestas Ecclesiæ dicitur esse determinata, non tantum quia suam habet dependentiam à Deo, sed etiam quia ad scriptum Dei verbum alligata est. Verùm præter hanc determinatã Ecclesiæ potestatem, constituimus aliam indeterminatam & absolutam, quæ nimirum est ipsius Dei. Illa potestas soli Deo competit, Iacob. 4. Unus est legislator. Hinc apparet esse in Ecclesia quandam authoritatem infallibilem: ea verò est Dei loquentis per infallibile suum verbum. Quod aut attinet ministerium, id non est ideò institutum, vt fallat, vel fallatur, & simpliciter ad Deum, & verbum eius respiciendo falli non posse aio. Contingit autem, vt propter iudicij infirmitatem, & cum non attenditur sacra scriptura, gubernatores Ecclesiæ errent, non sequitur tamen, quod propterea tota erret Ecclesia.

D. TANNER.

Nihil ad rem. Vtrum illud ministerium absolutè sit fallibile, & fallat, quæritur?

D. HVNNIVS.

Simpliciter & absolutè loquendo certum est, quod possit errare ministerium, non tamen inde sequitur, quod necesse sit, vt vniuersa Ecclesia in errorem incidat. Declarabo rem exemplo scripturæ.

Tempore Regis Achaz nullum fuit in terris ministerium publicum per omnia purum & infallibile, sed ministerium illud totum, à quo publicus exercebatur cultus, erat contaminatum, non solùm in Israël per Idololatriam Hieroboam, sed etiam in regno Iuda, vbi verus cultus abrogatus fuit, & nihilominus mansit aliqua Ecclesia. Hinc ergò certissimum est, & per hoc exemplum confo-

ditur tua illatio, quod si publicum ministerium erret, necesse sit, vt tota Ecclesia erret.

D. TANNER.

Nunquam potuisti probare, quod in veteri Testamento Sacerdotium Leuiticum definiendo errauerit; sed hoc quicquid sit, iam est impertinens; tuum erat in forma respondere ad propositum à me argumentum, quo ostendebam, * quod ministerium illud Ecclesiasticum sit absolutè fallibile, vt dixisti, & nihilominus tamen publicam authoritatem habeat, consequens esse, quod Ecclesia tota vi illius ministerii possit, imò cogatur errare. Sed quia video, te tametsi extra formam legitimam, negare sequelam eius propositionis, probo eam hoc argumento: In omni regimine, quando aliquis Magistratus habens publicam authoritatem est fallibilis, & in aliquo dubio definiendo errare potest, tunc etiam subditi, ad quos ea spectat definitio, in tali dubio, vi talis regiminis errare possunt, imò debent: atqui ministerium illud Ecclesiasticum diuinitus, vt dicitis, in Ecclesia institutum, secundũ vos est fallibile, & tamen nihilominus publicam habet authoritatem. Ergo vi illius ministerii vniuersus populus Christianus, atq; adeo tota Ecclesia, non solum in errorem labi, sed trahi quoq; poterit.

* quod si

D. HVNN.

Respondeo primò. Aliud est loqui de Ecclesia vniuersali, aliud de particulari.

Quoad particularẽ, fieri potest, vt erret: sic quoq; Magistratus siue Ecclesiasticus, siue politicus errare potest, nec tamẽ cogere potest conscientias ad obtemperandũ. Nã cõscientiæ debent liberæ. Semper enim potest populus Christianus respondere, Deo magis obtemperandũ, quã hominibus; nec tamen sequitur: si ministerii authoritas sit fallibilis, vt propterea tota Ecclesia errare cogatur. Nam veri Christiani potius adeunt quæuis supplicia, quã vt in errorem approbandũ patiantur sese induci. Achab & Iezabel, cogebant populum ad Idolomaniam, & tamen erant plurimi, qui non patiebantur se cogi ad illam idololatriam.*

* esse

D. TANNER.

Repetit argumentum, & petit in forma responderi.

D. HVNNIVS.

Tua forma, quam iactas, Christo, Apostolis, & Patribus non fuit vsitata.

D.TAN-

D. TANNER.

Quando Christus cum contumacibus egit, etiam vsus est forma Syllogistica. sed quando dictauit Christus ad calamum? Respondeatur ad formam.

D. HVNNIVS.

Repetit Syllogismum aduersarii, & petit probari maiorem.

D. TANNER.

Probo maiorem manifestè. Quia populus in re dubia magistratui habenti publicam authoritatem debet obtemperare. Ergo si magistratus ipse potest errare, populus totus potest induci in errorem.

D. HVNNIVS.

Negatur consequentia, & ratio est, quia populus habet geminum Dominum, vnum in cœlis Deum, alterum in terris. Et Magistratui ea dat, quæ sunt Magistratus, & Deo, quæ sunt Dei: proinde in rebus fidei populus non est obligatus magistratui (etiamsi publicam habeat authoritatem) in suscipiendo aliquo errore. tunc enim militat axioma Petri: Deo magis obedire oportet, quàm hominibus, Actor. 5.

D. TANNER.

Probo consequentiam. si in omni regimine populus subiectus tenetur, in dubio, sequi licet erroneam sententiam sui Magistratus, tunc si magistratus ipse potest errare, populus quoq; totus, vi talis regiminis in errorem potest induci; sed verum est antecedens; Ergo & consequens.

D. HVNNIVS.

Probetur, quod populus debeat erroneam Magistratus sui sententiam sequi in dubiis.

D. TANNER.

In dubio tali, quando non constat, Vtrum Magistratus erret, vel non erret, cogitur obtemperare. Aliàs populi conditio melior erit, quàm Magistratus quantumlibet errantis, quod est absurdum.

D. HVNNIVS.

Constituendi sunt limites pro Magistratui, quos nimirùm Deus constituit, qui sunt; vt Cæsari detur, quod Cæsaris est, & Deo, quod Dei. Et vt, Actor. 5. Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus quamuis in authoritate constitutis.

Itaq; absurda est, & absurdam iudicabit Ecclesia tuam hanc senten-

tiam lecto Protocollo; Interea non maior erit populi authoritas, quàm Magistratus; hoc tantum sequitur, quod populus reseruat Deo, id quod vnius Dei omnipotentis est. Interim tamen obligatus est in politicis ad obedientiam Magistratui suo praestandam, ita tamen, vt si impia praecipiat, non teneatur obsequi. Et ita hoc argumentum satis excussum puto.

D. TANNER.

Fit mihi iniuria, & prouoco ad Protocollum, non enim dixi, quod in Ecclesia etiam summo Pontifici erranti debeat mos geri: sed dixi, hoc tantum sequi, quod si in dubio Magistratus ille potest errare, & nihilominus habet publicam authoritatem, populum quoque induci posse in errorem. Quia in dubio populus debet stare sententiae sui Magistratus, in omni politia. Esto etiam quod erret, tamen quia habet publicam authoritatem, cogit populum obedire.

D. HVNNIVS.

Agamus modestè.

D. TANNER.

Hoc est modestè agere. Repetatur argumentum, & in forma respondeatur.

D. HVNNIVS.

Repetit argumentum, & petit probari Consequentiam.

D. TANNER.

Probatur. Quando populus in dubio suae potius sententiae, quàm sui Magistratus potest acquiescere, tum certè melior est conditio populi, quàm Magistratus. Sed potest secundum vos, suae potius, quàm Magistratus sententiae acquiescere. Ergò illius conditio melior, quàm Magistratus.

D. HVNNIVS.

Nego consecutionem maioris.

D. TANNER.

Eam ita probo. Illius semper melior est conditio, qui suam potius, quàm alterius sententiam in dubio sequi potest. Ergo si populus in dubio suam potius authoritatem, quàm Magistratus sequi potest, melior est ipsius conditio.

D. HVNNIVS.

Reassumit, & respondet; Negari rursus consecutionem maioris.

D. TANNER.

Maior

Maior est apertissima. Iudicent omnes, quod & exemplo demonstrabo, si opus esse videbitur.

D. HVNNIVS.

Est fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Sumamus exemplum Neronis & Pauli, vel alterius cuiusdam Christiani Romæ tùm degentis. Nero fuit Magistratus, aliquis Christianus Romæ agens fuit subditus: Iam Nero promulgat sanguinarium mandatum contra religionem, si iam subditus Neroni non obtemperat, quæritur, anne huius subditi melior sit conditio, quàm Neronis Imperatoris? Ego hic respondeo, ratione terrenæ maiestatis, Neronis conditio melior, sed ratione conscientiæ, ratione salutis æternæ, melior conditio subditi non obtemperantis.

Et præterea regula est, quod nihil sit faciendum hæsitante conscientia. Itaq; si populus dubitans, ita & hæsitans, magistratus sui sententiæ acquiesceret, tunc faceret aliquid hæsitante conscientia, quod fieri Apostolus vetat.

Legam locum Rom. 14. Quod ex fide non est, peccatum est &c.

D. TANNER.

Nihil ad rem.

D. HVNNIVS.

Legam locum Paulinum, quia illo loco constrictus teneris.

D. TANNER.

Quasi verò tenear, &c. Populus in dubio debet stare sententiæ Magistratus deposito dubio.

D. HVNNIVS.

Id est contra regulam Apostoli, qui jubet conscientias esse liberas. Responde ad locum Paulinum, quo modo enim solius magistratus authoritas potest eximere scrupulos conscientiarum, in causa religionis?

D. TANNER.

Illud exemplum nihil ad rem, Responde ad syllogismum; non potes respondere in forma.

D. HVNNIVS.

Ego vicissim peto responderi ad dictum Pauli.

D. TANNER.

Resume argumentum, & responde in forma.

D. HVNNIVS.

Responsum est, falsissimum esse, quod Magistratus conditio simpliciter in omnibus sit melior, quàm subditorum. Nam ratione conscientiæ melior est apud

Deum conditio populi, non obtemperantis, quàm Magistratus iniqua præcipientis. quid etiam quod populus in dubio non debet sequi sententiam Magistratus, quia Paulus interdixit, & sola auctoritas superioris Magistratus non eximit scrupulum hæsitantis conscientiæ.

D. TANNER.

Nihil dixisti penitus ad rem, & formam. non dico, quod populus stante dubio debeat acquiescere sententiæ sui Magistratus, sed quòd debeat, deposito dubio, acquiescere sententiæ sui Magistratus: aliàs enim sequeretur etiam populum fore judicem sui Magistratus.

D. HVNNIVS.

Est ignoratio Elenchi. aliud enim est auctoritas, aliud conscientia. Magistratus conditio melior est conditione populi, ratione auctoritatis, populi autem conditio melior, conditione errantis Magistratus, ratione conscientiæ.

D. TANNER.

In tali casu, quoad potestatem judicandi, melior equidem esset conditio Magistratus. Responde ergò ad syllogismum: Absurdum est enim constituere populum judicem Magistratus in dubio. Si verò populus non sequatur sententiam Magistratus in dubio, tunc non tam Magistratus est Iudex populi, quàm populus sui Magistratus.

D. HVNNIVS.

Ad declarationem, & solidam huius argumenti solutionem profero exemplum ex sacra scriptura. Si populus propterea sit judex sui Magistratus, quia licet populo in dubio inquirere in sententiam sui Magistratus, tunc sequitur Berœenses fuisse judices Apostolorum, qui judicarunt de concionibus Pauli, & scrutati sunt de illorum doctrina, an cum prophetarum doctrina congruerit.

D. TANNER.

Respondeat D D. ad meum argumentum in forma.

D. HVNNIVS.

Non semper is, qui judicat de alterius sententia, constituitur super illum judex.

D. TANNER.

Responde in forma.

D. HVN.

D. HVNNIVS.

Satis in forma. Consequentia maioris est negata, & infracta exemplo Beræensium.

D. TANNER.

Repetit, & probat maiorem: Ille est Iudex alterius, qui sententiam alterius in dubio judicat; Populus judicat sententiam Magistratus secundum vos. Ergo etiam est judex Magistratus sui.

Exemplum Beræensium nihil facit ad rem. Beræenses enim nesciebant, quod Paulus tantam haberet auctoritatem, si tamen animo examinandi dicta Pauli, velut dubia, scrutabantur scripturam &c. Quod si sciuissent, libentissimè procul dubio, & sine mora acquieuissent eius sententiæ, nec eam vllo modo sub examen vocassent. Quemadmodum si quis V. G. aliquem Catholicum quidem Doctorem audiat concionantem, sed nesciat tamen esse Catholicum, & an concionandi auctoritatem & scientiam habeat, is licitè & rationabiliter eius dicta examinat, an Catholicæ doctrinæ conueniant.

Sed quia video Dominos non posse adigi, vt in forma, ad proposita sibi argumenta respondeant, sed quærere duntaxat diuerticula, ideò subsisto circa propositum illud argumentum, & judicium committo D D. Auditoribus, qui circa huius argumenti processum, illud saltem diligenter notabunt, quod Domini Aduersarij, non potuerint suam illam sententiam tueri, quod scriptura sola sit Iudex Controuersiarum religionis, nisi hoc admisso absurdo, quod populus in dubio, quando scilicet dubium est, an sententia sui Magistratus sit rationi consentanea, vel non, minimè teneatur sequi sententiam sui Magistratus, licet fortè erroneam: Quod in omni doctrina morali tam diuina, quam Aristotelica est absurdissimum; Cùm aliàs, vt dixi, par aut etiam maior sit futura in judicando potestas populi, quàm Magistratus. Vnde certè vos estis Domini mirabiles, qui nouam nobis Ethicam procuditis. Vos estis Domini mirabiles.

D. HVNNIVS.

Ostensum est te commisisse falsum, in allegando exemplo Beræensium; Dicis Beræenses nesciuisse Paulum, cum auctoritate fuisse missum, & quod sciuerint illud, textus manifestissimè demonstrat. Legit textum, Actor. 17. ibi dici-

ibi dicitur, quod Berœenses fuerint ex Thessalonicensibus, & illis quidem nobilioribus, affirmante Luca. Thessalonicenses à quo Apostolo fuerunt conuersi? Certè à Paulo; Is plantauit & constituit illam Ecclesiam, iam inter eos fuerunt hi quoq; Berœenses tanquam nobiliores, & his constabat cum authoritate missum esse Paulum, quia susceperant verbum Pauli cum omni promptitudine; itaque non dubitarunt de authoritate Pauli, sed voluerunt conferre scripta Prophetarum cum prædicatione Pauli, vt validiùs in sua conscientia confirmarentur. Deinde aliud est Magistratus politicus, qui plenariam habet authoritatem decidendi illas controuersias ciuiles. At ministerium Ecclesiasticum huiusmodi absolutam authoritatẽ decernendi in doctrina non habet; ita vt populus etiam hæsitans, debeat prælatorum (vt vocatis) decreta sequi. & hoc omninò negamus, nam hæsitans non debet quidquam contra conscientiam facere, ne eam polluat, & contaminet.

D. TANNER.

Respondeo falsum cõmittere D.D. nec probare posse, quod Berœenses certi de authoritate Pauli, scrutati sint de illius doctrina, quasi in dubium vocare vellent. Ad alterum dico, me esse argumentatum generaliter, ab omni Repub. rectè disposita, & constituta, & istam propositionẽ generaliter veram esse aio; In omni enim Repub. benè ordinata debent subditi sui Magistratus sententiam, licet fortè erroneam in dubio sequi, non quidem seruato dubio, an hoc vel illud sibi sit licitum, sed deposito dubio, sententiam suam cum sententia magistratus cõformando. Quod de hæsitantibus dictum est, nihil prorsus facit ad rem.

D. HVNN.

Ostendere conatus es, Berœenses dubitasse de authoritate Pauli, innuens, si illis constitisset de ea, quod in ipsius conciones non fuerint inquisituri. Respondeo, scimus quod conscientijs hominum, licet statuant aliquid in rebus diuinis, sathanas subinde scrupulos dubitationis inijciat, ita vt quibuscunq; adminiculis fulciantur, necesse sit. Exemplum est Maria, Luc. 1, quæ quidem non dubitabat de missione Angeli, nihilominus vt fidem suam confirmaret, arripit signũ illud datum ab Angelo de Elisabetha prægnante; ad vlteriorem suæ fidei confirmationem, ascendens in Iudæam, explorat rem. Inde patet, quod propter infirmitatem humanam subinde alijs atq; alijs egeamus adminiculis fidei. Magistratus politici diuersa est ratio, quia ille habet plenariam potestatem decidendi controuersias ciuiles; Prælati verò Ecclesiæ determinatam & limitatam; & quæritur, si populus in dubio teneatur Magistratui assentire, deposito dubio, quomodo clamantem conscientiam possit saluare?

D. TAN-

D. TANNER.

Hoc est facillimum mansueto homini, obedienti, & Christiano, qui in dubio suam sententiam sententiæ sui Superioris libenter & facilè conformat, non autem contumaci, qui pertinaciter insurgit contra sui Superioris decretum & sententiam: huic difficile, mirum non est.

D. HVNNIVS.

Respondeo, demonstramus quod difficillimum sit homini, quantumuis alioqui obedienti, in rebus fidei sese accommodare mandatis magistratus in dubijs; quia agitur res æterna salutis, non politica. Nec Magistratus in nouissimo die poterit respondere pro populo; quia quilibet suam portabit sarcinam.

D. TANNER.

Loquitur Dominus contra Apostolum dicentem, Præpositi inuigilant per vobis rationem reddituri; Vide ergò quàm falsò dixeris, Magistratum non redditurum rationem pro populo: & cum populus in politicis, vt Respub. sit benè cõstituta, in dubio teneatur acquiescere sententiæ sui Magistratus. Ergo tenetur populus in Ecclesia in dubio obtemperare superioribus.

D. HVNNIVS.

Reassumpsit, & dixit, consecutio Maioris nunquam est probata. Ostensum est discrimen inter res politicas, & diuinas. In diuinis quisq; pro se in nouissimo die reddet rationem. Galat. 6. quẽ legit locum; In politicis non item, & hoc non est contra id, quod de Prælatis allatum est ex cap. Hebr. 13. Præpositi Ecclesiarum reddent rationem administrati officij, &c. Quæritur autem, num ita Præpositi reddituri sint rationem pro Auditoribus, vt immunis præstetur aliquis Auditor, eò quod sententiam Prælatorum sit secutus; Minimè; nam si cæcus cæcum ducit, vterq; cadit in foueam.

D. TANNER

Respondeo maximè futurum, quia excusatissimus est subditus, quando sequitur sententiam sui Magistratus in dubio; mandatum est enim illi à Deo, vt obedientiam præstet Magistratui.

D. HVNNIVS.

Locum allegauit Ezechielis 33. Ipse peribit in peccatis suis, ego verò eius sanguinem de manu tua requiram; & Luc. 6. Si cæcus cæcum duxerit, ambo cadunt in foueam.

D. TANNER.

Hoc falsum est, quod populus sequens sententiam sui Magistratus in dubio peccet; quia mandatũ habet à Deo, vt obtemperet Magistratui.

D. HVNN.

Probabo exemplo seruorum Regis Saul. 1. Samuel. 22. accusatus fuerat David & Abimelech, quod conspirationem inijssent aduersus Saul. Res ita per Doëgum perferebatur ad Saulē, qui decernit, quod propter illam conspirationem, & ita propter crimen perduellionis, occidi debeat sacerdos Abimelech: recusant facere Ministri. Quæritur cum illud mandatum non secuti sint ministri, an rectè fecerint, an vero peccauerint.

D. TANNER.

Nihil ad rem; quia in hoc exemplo manifesta res erat, non autem dubia; debet afferri exemplum, de quo dubium erat. nam certè clarum erat, Regem malum aliquid jussisse, & quamuis illi Ministri nihil peccauerint, mandatum Regis negligendo, è contrà verò grauissimè Doëg peccauerit, mandatum Regis exequendo; nihil tamen, quod dixi, ad rem facit, cùm nullum hîc esset dubium, quin mandatum Regis esset pessimum; Erat igitur hic potius obediendum Domino, quàm Regi. Nos autem loquimur de casu dubio.

D. HVNNIVS.

Teneris constrictus hoc exemplo. Etsi enim nobis, qui historiam illam legimus, dubium non est, quin Saul rem impiam mandauerit, tamen ministris adhuc erat res dubia.

D. TANNER.

Ne verbum quidem addam. Cupio, vt judicent Auditores omnes. Mirum est, cur tempus extrahas, & fucum facias Auditoribus.

D. HVNNIVS.

Judicium committit præsentibus, & Protocolon lecturis &c.

II.

D. GRETSER.

Hoc loco præsupposito, quod non quæratur qualiscunq; Iudex Controuersiarum, sed quis sit Iudex supremus in terris, & generalis, cuius authoritas sit infallibilis. In nostra Thesi negamus, scripturam esse talem Iudicem, & hoc probo ita;

Nec scriptura sola, vt est verbum sancti spiritus, est talis Iudex, neq; etiam ipse spiritus sanctus, vt loquitur per scripturam, est talis Iudex. Ergo nullo modo concedi potest, quod aut sacra scriptura, aut spiritus sanctus loquens per scripturam, sit supremus & generalis Iudex omnium controuersiarum.

D. HVN.

D. HVNNIVS.

Reassumpsit argumentum, & ait; Non video connexionem in argumento.

D. GRETSERVS.

Est Enthymema.

D. HVNNIVS.

Fiat integer syllogismus. Antecedens nego.

D. GRETSERVS.

Omnis Iudex præsertim supremus & generalis, ita debet dicere sententiam, vt altera pars litigantium euidenter sciat se vicisse, altera pars euidenter sciat se causam amisisse, quantum est ex parte huius judicis.

Hoc neq; sacra scriptura, nec spiritus sanctus per scripturam potest facere.

Ergo neq; sacra scriptura, nec Spiritus sanctus loquens per scripturam est talis Iudex.

D. HVNNIVS.

Explica prius, quid velis illa determinatione, (Quantum ex parte huius Iudicis est.)

D. GRETSERVS.

Intelligo vocem huius Iudicis, vt euidenter sciant partes, quod altera sit absoluta, altera condemnata.

D. HVNNIVS.

Probetur minor syllogismi.

D. GRETSERVS.

Concedit D. D. illam Maiorem, quod accipio grato animo. Negat minorem, quam sic probo. Stamus ego, & Collegæ, & Domini Aduersarij in conspectu huius Iudicis (Bibliorum) & contendimus, an sit Iudex Controuersiarum. Iam ille Iudex debet pronuntiare sententiam, vt nobis constet euidenter; Sumus hîc in conspectu sacræ scripturæ & S. spiritus, pronuntiet sententiam; Et si dicat, Tu Iacobe Gretsere malè sentis, cecidisti causa, Tu Iacobe Hailbronnere vicisti, tunc ego statim transibo ad vestrum scamnum, adsit, adsit, adsit, & condemnet me.

D. HVNNIVS.

Ita ait D. D. spiritus sanctus non potest dicere suam sententiam, vt altera pars euidenter sciat se vicisse, & quoad scripturam, D. D. in medium protulit sacræ scripturæ Codicem, & dicit, Si spiritus sanctus per hunc librum dicat nos errare, aut vos errare, ita, vt euidenter sciamus, quod nobis vel vobis sit adiudicata

causa, tùm velle vos statuere spiritum sanctum, quatenus per scripturam loquitur, esse Iudicem.

Respondeo spiritus sanctus loquens in isto libro, in medio nostrûm sententiam manifestam pronuntiat de omnibus controuersijs religionis, & parati sumus, quando de Articulis fidei Collocutio instituetur, per omnes Articulos demonstrare, quod spiritus sanctus euidenter pro nobis pronuntiet. quamuis altera pars non acquiescat in illius judicio, & audacter pronuntiet, quod Iudex esse nequeat. Juditium hoc, iam & in hoc saeculo inchoatur, in nouissimo autem die consummabitur, imò in morte, quando homo statuitur coram Iudicio DEI; *& in nouissimo die ille Liber aperietur, & judicabuntur ex eo viui & mortui. Aliud igitur est inchoatum, & aliud consummatum judicium.*

D. GRETSERVS.

Repetit syllogismum: Si spiritus sanctus, vt per scripturam loquitur, est judex, tunc debet facere seu ita judicare, vt sciam euidenter me amisisse causam Sed non potest, vt per hanc scripturam loquitur, judicare, vt euidenter sciam, me amisisse caussam. Ergo &c. Hæc maior est concessa, minorem ego probaui. Ergo scriptura non est Iudex.

D. HVNNIVS.

Concessa est maior cum promissa declaratione, quam iam praestabimus. Certissimum est enim, quod inter litigantes partes, quando Iudex fert veram sententiam, nihilominus altera pars, quæ causa cadit, non statim euidenter sciat, se causam amisisse, quod sciunt omnes Iureconsulti.

D. GRETSERVS.

Sed scit se amisisse causam coram illo Iudice, & quantum est ex parte huius Iudicis.

D. HVNNIVS.

Respondeo cum declaratione. Sæpè nescit enim pars condemnata, an justè vel injustè condemnetur.

D. GRETSERVS.

Hoc nihil ad rem. Repetit syllogismum: Omnis Iudex ita debet dicere sententiam, vt altera pars euidenter sciat se causam obtinuisse, quantum est ex parte huius judicis, altera, se cecidisse causa, siue justè siue injustè. Sed sacra scriptura & spiritus sanctus loquens per hanc scripturam illud non potest ex sua parte. Ergò non est Iudex. Et illud est ferreum argumentum, & adamantinum, quod non soluetur in æternum.

D. HVN-

D. HVNNIVS.

Eſt ficulneum;non ferreum;Maior enim cum declaratione vera eſt,ſine declaratione eſt falſa. Agitur hic de iudice iuſtam ſententiam pronunciante: hic Spiritus Sanctus ſententiam pronuntiat iuſtam, atq; ita pronunciat,vt altera pars obſignetur de certitudine in corde ſuo. Altera verò pars etſi non agnoſcat ſe cauſa cecidiſſe, tamen agnoſcet in die vltimo.

D. GRETSERVS.

Iam adſit Spiritus Sanctus,iam iudicet,iam me condemnet.

D. HVNNIVS.

Iam te condemnat.

D. GRETSERVS.

Iam,iam non poteſt dicere ſententiam condemnatoriam Spiritus Sanctus per hunc librum ,ita vt euidenter conſtet , quæ ſit eius ſententia. Ergo non poteſt eſſe iudex.Iam adſum,dicat,Erras Iacobe Gretſere.

D. HVNN.

Iudicabit te Spiritus Sanctus,& iudicabit de hoc tuo pronunciato Eccleſia:poteſt ſanè ferri ſententia à Iudice , etiam in abſentem, qui non ſtatim euidenter ſcit ſe eſſe condemnatum.

D. GRETSERVS.

Sed ille non cognoſcit ſe,vt abſentem condemnatum eſſe.

D. HVNNIVS.

Qui non credit , iam iudicatus eſt,Ioan.3.dicit;Certum autem eſt,quod multi non credentes , non ſentiant,ſe iam eſſe iudicatos. Ille ergò locus te conſtringit.

D. GRETSERVS.

Non curo iam illum locum.Reſponde ad rem.

D. HVNN.

Ioan.3.qui credit in eum,non iudicatur ; qui autem non credit,iam iudicatus eſt. Quis eſt ille Iudex ? Deus, qui etiam in hoc ſæculo iudicat non credentes,quamuis non omnes agnoſcant.

D. GRETSERVS.

Loquitur ibi de extremo iudicio:Repetatur argumentum.

D. HVNN.

Reſpondeo, iuxta teſtimonium Saluatoris, iam te iudicat Spiritus Sanctus per hunc librum.

D. GRETSERVS

Nego, quia mihi euidenter non constat, me esse iudicatum. Obsecro, quis mortalium diceret, hunc esse iudicem ? Si est Iudex Spiritus Sanctus, tunc nunc condemnet me, vt euidenter mihi constet, me causa cecidisse; hoc non potest facere Spiritus Sanctus, vt præcisè loquitur per hanc scripturam.

D. HVNN.

Spiritus Sanctus per scriptum verbum te iudicat.

D. GRETSERVS.

Spiritus Sanctus vi huius scripturæ iam non potest determinare, vt euidenter constet,

D. HVNN.

Contra sententiam verborum Christi, qui loquitur de omnibus non credentibus, & addit: Iam iudicatus est; Quæro, an omnes non credentes iam euidenter sciant se esse condemnatos, eò quod non credant?

D. GRETSERVS.

Quæstio est. Quis sit iudex controuersiarum, id est, quis possit silentium imponere partibus, adeò vt altera pars sciat se amisisse causam. hoc cum scriptura, aut Spiritus Sanctus per Scripturam non faciat. Ergò Spiritus S. non potest esse iudex. Ecce sto hic, iudicet me per istam scripturam.

D. HVNNIVS.

Faciet fortasse citius, quàm voles: iudicabit etiam Ecclesia, cum leget Protocollon.

D. GRETSER.

Spiritus S. pronunciet sententiā, quod per hanc scripturā non potest.

D. HVNNIVS.

Spiritus Sanctus pronunciat per verbum in Sacra Scriptura, & iam iudicat credentes, & non credentes. nam eius officium est iudicare mundum, & arguere de peccato, de iudicio, & iustitia, &c. Ergo Spiritus S. in hoc suo verbo dicit iudiciariam suam sententiam. Euici igitur, quod in loco Ioan. 3. per non credentem, omnis non credens intelligatur, & quod iam sit iudicatus, etiamsi non euidenter sciat.

Nos permittimus iudicium Ser. Principibus, & toti Auditorio.

D. GRETSER.

Nos quærimus eiusmodi iudicem, qui iam ferat sententiam. Repetit argumentū; Si Spiritus S. per scripturā potest facere, faciat, & dabo

bo manus:nondũ prolata est sententia definitiua, sed in nouissimo tandem iudicio quilibet euidenter experietur: Veluti quando Princeps Latronem condemnat in animo, iudicatus ille quidem est, sed nondum ex tribunali dicta est sententia.

D. HVNN.

Exemplo rem declarabo. Joan. 5. extat sententia Christi: Est qui vos accusat Moyses, & Ioan. 12. ad eosdem Judaeos dixit Saluator: Qui verba mea non accipit, est qui illum iudicat, sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die; hac dicta ostendunt Verbum Christi iudicare, & nihilominus iudicat in praesenti saeculo, pronunciando sententiam, & in futuro iudicio promulgando eam. Quaeritur de Judaeis qui teste Christo tum iudicabantur à Moyse, num euidenter omnes senserint se iudicatos esse. Respondetur quod non, quia illa euidentia perceptionis non semper requiritur ad perfectionem iudicis, & officij illius, sed nonnunquam differtur in futurum.

D. GRETSERVS.

Quando Christus loquebatur cum Iudaeis, an non Iudaei poterant scire, ex parte Christi, se esse iudicatos?

D. HVNNIVS.

Christus in ijs locis, non se, sed Moysen & verbum suum constituit iudicem. Non ego, inquit, sed sermo meus iudicabit vos in nouissimo die.

D. TANNER.

Id exemplum est pro nobis, quia tunc Iudaeis constabat, quod essent condemnati & causa cecidissent, quantum ad illum iudicem, ratione cuius debet constare euidenter de amissione causae.

D. HVNN.

In ea disputatione cum Judaeis, Christus sustinuit officium partis, non iudicis, quoniam illi non agnouerunt, Christum iudicem, sed Moysen, ad quem prouocat Christus.

D. TANNER.

Peto ergo eiusmodi exemplum dari, in quo iudicis officium aliquis sustinuerit, & tamen partibus euidenter constare non potuerit, hác causa cecidisse, alteram obtinuisse, quantũ est ex parte huius Iudicis.

D. GRETSERVS.

Ipsi Iudaei euidenter non sciebant, quòd tùm fuerint condemnati per Moysen.

D. HVNN.

Christus dicit, quod Moyses iudex iam tum condemnârit illos Iudaeos.

D. TAN-

D. TANNER.

Hoc exemplum eſt contra vos, & militat pro nobis, quia tum Iudæis omnibus conſtabat ſe condemnatos, quantum ex parte Chriſti.

D. HVNN.

Quod ad illam diſputationem attinet, Chriſtus eo loco, (Ioan. 5. 12.) iudicem nominat inter ſe & Iudæos; nempe Moyſen, qui tum inter homines amplius non viuebat. nec loquebatur, niſi per ſua ſcripta. Cum ergò Moyſes tum non vixerit inter mortales, & Chriſtus nihilominus ad illum prouocârit, ſequitur Chriſtus Moyſen conſtituiſſe iudicem illius controuerſiæ.

D. GRETSERVS.

Maneo in priore ſententia, quia iudex debet ita ferre ſententiam, vt vtraq; pars ſciat ſe vel condemnari, vel abſolui, quantum ex parte huius iudicis. Cum id autem ſcriptura, aut Spiritus ſanctus per ſcripturam facere non poſſit, ergò non poteſt eſſe iudex.

Deinde nego, quod Moyſes me accuſet. Iudæi non ſciebant euidenter ſe eſſe condemnatos à Moyſe, quia Moyſis ſententiam euidenter non cognoſcebant. Et ita finio, cum nihil ſit reſponſum. Iudicium committo Auditoribus.

D. HVNN.

In priore Colloquij parte dixiſtis, vltimum ſemper debere eſſe reſpondentem, quo & nos iure vtemur. Nos iam finaliter reſpondemus, quod argumentum veſtrum ſit euerſum multis Sanctæ Scripturæ teſtimonijs. Moyſes fuit à nobis allegatus, tanquam iudex Controuerſiæ inter Chriſtum & Iudæos, neq; tamen tùm is in viuis erat, aut dicere poterat apertè; Tu Caipha male ſentis, & tamen conſtituebatur index inter Chriſtum & Iudæos: Ita loquitur nobiſcum Spiritus Sanctus, per Matthæum, Marcum, & alios, Et ſententiam fert inter nos.

D. TANNER.

Hoc non eſt reſpondere, ſed argumentari.

SES-

SESSIO DECIMA.

4. Decembris.
24. Nouembris. Anno 1601.

Hora ſecunda pommeridiana.

D. GRETSERVS.

SERENISSIMI & Illuſtriſſimi Principes, Domini Clementiſſimi, ad comprobandam priorem partem Theſis noſtræ, hodierna ſeſſione duo propoſuimus argumenta; ſed quia res magni eſt momenti, nunc ad eandem comprobandam, producemus aliquot alia, breuia & ſimplicia, non conglobata argumenta.

Et hoc primum.

Iudex ſupremus, & generalis omnium controuerſiarum debet dirimere, vel poſſe dirimere omnes controuerſias, quæ oriuntur circa negotium Religionis. Scriptura Sacra non poteſt dirimere omnes illas controuerſias, quæ circa negotium religionis oriuntur. Ergo Sacra Scriptura non eſt generalis & ſupremus iudex omnium controuerſiarum.

D. HVNNIVS.

Reſumit argumentum, & negat minorem.

D. GRETSERVS.

Minorem ita probo. Si oriatur controuerſia; Vtrum Paſcha ſit celebrandum die Dominica, cum Chriſtianis, an verò decima quarta Luna cum Iudæis, ſcriptura non poteſt dirimere controuerſiam illam. Ergò non eſt Iudex omnium controuerſiarum.

D. HVNNIVS.

Repeto, & reſpondeo per diſtinctionem. Nos diſputamus de controuerſijs religionis in ipſis dogmatibus & articulis, ſiue capitibus doctrinæ Chriſtianæ, quæ cuiq; homini ſcitu & creditu ſunt neceſſaria. Dominus Doctor autem affert exemplum quæſtionis, non circa aliquem articulum Religionis, ſed circa rem ſuapte natura, ſub Euangelio Chriſti liberam & indifferentem, diſpoſitam tamen ab Eccleſia, quæ conſuetudo non iam temerè debet conuelli, non quod illa celebratio rationem habeat alicuius articuli, nam Paulus reclamat, ad Coloſ. 2. Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum, &c. Hac igitur diſtinctione ſoluitur argumentum prolatum, & in-

& incumbit D. Doctori, vt proferat talem Controuersiam, quæ occupata sit circa aliquod dogma religionis, seu articulum fidei.

D. GRETSERVS

Esse articulum fidei probo; Qui pertinaciter contrarium defendit, ille est hæreticus. Ergo pascha celebrandum esse die Dominica, est articulus fidei.

D. HVNNIVS.

Est Schismaticus. Itaq; negatur Antecedens.

D. GRETSERVS.

Est Quartadecimanus. Ergo est hæreticus.

D. HVNNIVS.

Nego Consequentiam.

D. GRETSERVS.

Probo. S. Augustinus in libro de hæreticis, inter hæreticos Quartadecimanos numerat, ita & Epiphanius: Tertullianus item Blastum numerat inter hæreticos: ita & alij Patres. ergo qui hoc asserit, quod Pascha sit celebrandum, non cum Christianis, sed cum Iudæis, est hæreticus.

D. HVNNIVS.

Dominus Doctor probat authoritatibus Patrum, quòd ille sit hæreticus, qui statuerit, quod Pascha sit celebrandum cum Iudæis. Respondeo, nos expectabamus & hodie, & iam, probationes ex scriptura. Ex scriptura verò nullam adhuc audiuimus. Quod attinet ad testimonia Patrum; dico eos, qui propter diuersam opinionem pro hæreticis declarati sunt, diuerso respectu esse hæreticos, diuerso Schismaticos. Schismatici sunt, quia conuellunt institutum Ecclesiæ salutari consilio introductum circa rem sua natura liberam & indifferentem; hæretici sunt, quando ex celebratione Paschatis fecerunt singularem cultum, & necessitatẽ annexerunt, eideq; affinxerunt opinionẽ necessitatis, sunt ergo hæretici, non quòd ipsa celebratio Paschatis sit articulus fidei, sed quòd propter necessitatis conditionem annexam, impingunt in articulum fidei de libertate Christiana.

D. GRETSERVS.

S. Augustinus, Tertullianus, & Epiphanius inter hæreticos eos numerant absolutè, & tantum propterea, quod noluerunt Pascha celebrare cum Christianis. Ergo ex institutione SS. Patrum, iam tunc condemnati fuerunt pro hæreticis.

D. IAC. HAILBRONNER.

Quare

Quare Patres illi retulerint Quartadecimanos inter hæreticos etiam recitatum. Augustino, Epiphanio, & Tertulliano oppono Irenæum Episcopum antiquiorem, qui Victorem Episcopum Romanum grauiter reprehendit, quod Ecclesias Orientales hanc ob causam excommunicare ausus fuisset.

D. GRETSERVS.

Ante definitionem Victoris liberum erat: sed post definitionem illam Victoris Pontificis, semper Quartadecimani sunt habiti pro hæreticis.

D. IAC. HAILBRONN.

Irenæus definitionem illam Victoris reprehendit.

D. GRETSERVS.

Victor Episcopus validè definiuit; ideò dico semper, quod ista controuersia non possit definiri ex scriptura.

D. HVNNIVS.

Quicquid per se liberum est, id non potest ab vllo Concilio transmutari in articulum fidei. D. Doct. fatetur, quòd liberum fuerit ante definitionem Victoris Pascha celebrare, seu Dominica die, seu decima quarta Luna. Ergo non potuit transmutari in articulum fidei.

D. GRETSERVS.

Antequam definiatur ab eo, qui habet authoritatem, nego maiorem. sed tamen ne fiat confusio, respondeatur ad meum argumentum.

D. HVNN.

Quæritur; Anne Concilio tribuenda sit eiusmodi potestas, vt quod Deus nobis liberum reliquit, in articulum fidei transmutare queat?

D. GRETSERVS.

Liberum fuit vsq; ad definitionem Ecclesiæ, post definitionem verò transijt in articulum fidei.

D. HVNNIVS.

Probetur hoc.

D. GRETSERVS.

Multa fuerunt libera ante Concilij definitionem, quæ posteà transierunt in Articulos fidei.

D. HVNNIVS.

Apostolus ad Coloss. 2. liberum reliquit.

D. TANNER.

Istic loquitur de festis Hebræorum.

D. HVNNIVS.

Respondeo, si festa quæ à Deo ipso fuerant instituta in veteri Testamento, non licuit amplius sub conscientiæ ratione in nouo Testamento obseruare, quantò minus licet quæ non Deus, sed Ecclesia introduxit, & non vera sed falsa, sub ratione conscientiæ obseruare. Ergo vera Ecclesia non facit ex liberis rebus articulos fidei.

D. TANNER.

Quid facit ad rem ille locus Apostoli?

D. HVNN.

Plurimum quia non vult Paulus captiuari conscientias hominum, circa obseruationem festorum.

D TANNER.

Non sequitur, ideò captiuari conscientias. Sed ad rem. Estne necessariũ in Ecclesia hodierna obseruare traditionẽ de Paschatis celebratione?

D. HVNNIVS.

Hactenus est necessarium, quatenus non debemus temerè conuellere consuetudinem Ecclesiæ salutari consilio introductam, non autem fidei ratione est necessarium, quasi sit articulus fidei.

D. TANNER.

Dupliciter argumentari possumus ex hoc fundamento, sic; Si non omnia, quæ spectant ad religionem, mores & cultum, in scriptura sunt expressa, sequitur scripturam non esse Iudicem omnium Controuersiarũ. 2. Si est aliquod dogma seruandum ab omnibus, quod tamen in scriptura contentum non sit, sequitur scripturam sacram non posse esse vnicum Iudicem Controuersiarum. Sed prius est verum. Ergo & posterius.

D. HVNNIVS.

Proba consecutionem Maioris.

D. TANNER.

Repete vtrunq; meum argumentum.

D. HVNNIVS.

Ego non possum omnia ex tempore notare & resumere.

D. TANNER.

Ego itaq; resumam duplex meum argumentum; quod fecit.

D. HVNNIVS.

Nego Minorem intellectã iam vtraq; propositione.

D. TAN-

D. TANNER.

Nunc negat minorem, cum antè negauerit maiorem.

D. GRETSERVS.

Inter alia ſpectantia ad cultus, eſt etiam obſeruatio feſti Paſchatis, & quidem die Dominico: ſed iſtud dogma non continetur in ſcriptura. Ergò non omnia ad cultum pertinentia, ſunt ſcripta.

D. HVNNIVS.

Nego terminum maioris propoſitionis, & ita diſtinguo, dicens primò. Ad cultum duo referuntur diſtincta, quædam tanquam à Deo ipſo prodita, cuiuſmodi ſunt verbum, ſiue prædicatio verbi, & adminiſtratio Sacramentorum, ſimiliter precatio, gratiarum actio, hi ſunt cultus, vel partes cultus in Nouo Teſtamento diuinitus inſtituti; deinde Ceremoniæ referuntur, non vt partes diuini cultus, ſed vt ritus ad εὐσχημοσύνην & εὐταξίαν, hoc eſt, ad bonum ordinem ſpectantes. Proinde partes diuini cultus ſunt obſeruatu neceſſaria per ſe, propter Authorem Deum. Ceremoniæ verò ſunt ſuapte natura indifferentes, & libertati Chriſtianæ ſubiecta, ſic quidem, vt ipſa taxis ſiue ordo, id eſt, genus ſit neceſſarium. Nam Deus non eſt author confuſionis, 1. Corinth. 14. Quod verò in ſpecie has vel illas Ceremonias, hos vel illos ritus attinet, hi ſuapte natura ſunt liberi, & pro varietate circumſtantiarum in diuerſis Eccleſijs mutari poſſunt. Quod feſtum Paſchatis attinet, dixi, quod id, vt & alia, ſit libertati Chriſtianæ ſubiectum, quia per ſe non eſt à Deo inſtitutum, neq; eius vlla mentio ſit in ſcriptura Noui Teſtamenti, idcircò dico eſſe per ſe liberum, quia illud feſtum, quale apud nos celebratur, non eſt à Deo inſtitutum. quod adeò verum eſt, vt tuus Collega conceſſerit, ante Victoris deciſionem, liberam fuiſſe illius feſti celebrationem.

D. TANNER.

Pro more ſcilicet * vtriuſq; Eccleſiæ, nam alioquin non fuit * vtriq; liberum ſeruare, ſed liberum credere, priuſquam definiretur. *cuiuſq; *cuiq;

D. HVNN.

Eſt ſeruandum, non ſub opinione neceſſitatis, ſed ideò, ne bonus ordo turbetur, & indè ſchiſma oriatur.

D. TANNER.

Quicquid Deus per Eccleſiã, ad bonum eius ordinem ſpectans præcepit, id omninò & per ſe obſeruandum eſt neceſſariò, vi authoritatis diuinæ. Sed Deus per Eccleſiam præcepit eiuſmodi obſeruationem Paſchatis, vi authoritatis diuinæ, propter bonum ordinem Eccleſiæ. Ergò etiam id feſtum, vi authoritatis diuinæ per ſe obſeruandum eſt.

D. HVNNIVS.

Respondeo, si festa quæ à Deo ipso fuerant instituta in veteri Testamento, non licuit amplius sub conscientiæ ratione in nouo Testamento obseruare, quantò minus licet quæ non Deus, sed Ecclesia introduxit, & non vera sed falsa, sub ratione conscientiæ obseruare. Ergo vera Ecclesia non facit ex liberis rebus articulos fidei.

D. TANNER.

Quid facit ad rem ille locus Apostoli?

D. HVNN.

Plurimum quia non vult Paulus captiuari conscientias hominum, circa obseruationem festorum.

D TANNER.

Non sequitur, ideò captiuari conscientias. Sed ad rem. Estne necessariū in Ecclesia hodierna obseruare traditionē de Paschatis celebratione?

D. HVNNIVS.

Hactenus est necessarium, quatenus non debemus temerè conuellere consuetudinem Ecclesiæ salutari consilio introductam, non autem fidei ratione est necessarium, quasi sit articulus fidei.

D. TANNER.

Dupliciter argumentari possumus ex hoc fundamento, sic; Si non omnia, quæ spectant ad religionem, mores & cultum, in scriptura sunt expressa, sequitur scripturam non esse Iudicem omnium Controuersiarū. 2. Si est aliquod dogma seruandum ab omnibus, quod tamen in scriptura contentum non sit, sequitur scripturam sacram non posse esse vnicum Iudicem Controuersiarum. Sed prius est verum. Ergo & posterius.

D. HVNNIVS.

Proba consecutionem Maioris.

D. TANNER.

Repete vtrunq; meum argumentum.

D. HVNNIVS.

Ego non possum omnia ex tempore notare & resumere.

D. TANNER.

Ego itaq; resumam duplex meum argumentum; quod fecit.

D. HVNNIVS.

Nego Minorem intellectâ iam vtraq; propositione.

D. TAN-

D. TANNER.

Nunc negat minorem, cum antè negauerit maiorem.

D. GRETSERVS.

Inter alia spectantia ad cultus, est etiam obseruatio festi Paschatis, & quidem die Dominico: sed istud dogma non continetur in scriptura. Ergò non omnia ad cultum pertinentia, sunt scripta.

D. HVNNIVS.

Nego terminum maioris propositionis, & ita distinguo, dicens primò. Ad cultum duo referuntur distincta, quædam tanquam à Deo ipso prodita, cuiusmodi sunt verbum, siue prædicatio verbi, & administratio Sacramentorum, similiter precatio, gratiarum actio, hi sunt cultus, vel partes cultus in Nouo Testamento diuinitus instituti; deinde Ceremoniæ referuntur, non vt partes diuini cultus, sed vt ritus ad εὐσχημοσύνην *&* εὐταξίαν, *hoc est, ad bonum ordinem spectantes. Proinde partes diuini cultus sunt obseruatu necessariæ per se, propter Authorem Deum. Ceremoniæ verò sunt suapte natura indifferentes, & libertati Christianæ subiectæ, sic quidem, vt ipsa taxis siue ordo, id est, genus sit necessarium. Nam Deus non est author confusionis, 1. Corinth. 14. Quod verò in specie has vel illas Ceremonias, hos vel illos ritus attinet, hi suapte natura sunt liberi, & pro varietate circumstantiarum in diuersis Ecclesijs mutari possunt. Quod festum Paschatis attinet, dixi, quod id, vt & alia, sit libertati Christianæ subiectum, quia per se non est à Deo institutum, neq; eius vlla mentio fit in scriptura Noui Testamenti, idcircò dico esse per se liberum, quia illud festum, quale apud nos celebratur, non est à Deo institutum. quod adeò verum est, vt tuus Collega concesserit, ante Victoris decisionem, liberam fuisse illius festi celebrationem.*

D. TANNER.

Pro more scilicet * vtriusq; Ecclesiæ, nam alioquin non fuit * vtriq; liberum seruare, sed liberum credere, priusquam definiretur. *cuiusq; *cuiq;

D. HVNN.

Est seruandum, non sub opinione necessitatis, sed ideò, ne bonus ordo turbetur, & indè schisma oriatur.

D. TANNER.

Quicquid Deus per Ecclesiã, ad bonum eius ordinem spectans præcepit, id omninò & per se obseruandum est necessariò, vi authoritatis diuinæ. Sed Deus per Ecclesiam præcepit eiusmodi obseruationem Paschatis, vi authoritatis diuinæ, propter bonum ordinem Ecclesiæ. Ergò etiam id festum, vi authoritatis diuinæ per se obseruandum est.

D. HVNNIVS.

Respondeo quod ad maiorem attinet, illa vnicè respicit dogmata cultus religionis, & articulos fidei. Quod verò minorem attinet, negamus eam.

D. TANNER.

Siue sit articulus fidei, siue non, nihilominus procedit argumentum R.P. Gretseri. Quia possunt oriri Controuersiæ, quæ non possunt decidi ex scriptura.

D. HVNN.

Repetit argumentum, & negat Minorem.

D. TANNER

Illam probo ex illis tribus Patribus suprà allegatis. Secundò, Victor Pontifex eos excommunicauit omnes, qui contrarium senserunt.

D. HVNNIVS.

Ad prius responsum est, quod ideò dicantur hæretici, quia impingebant in aliquem articulum fidei, nempè in articulum libertatis Christianæ, propter adiectam necessitatis opinionem. Ad alterum de Victore responsum est, quod is ab Irenæo reprehensus sit. Et nosti tu, quod ab authoritate Pontificis contra nos argumentari non possis.

D. TANNER.

De Pontifice quod dicis mirum est, quod vos illos Sanctos, & Summos Viros, quos Ecclesia tàm longo tempore, & vltra* 1500. annos pro Sanctis habuerit, reprobare conamini.

*1400.

D. HVNNIVS.

De SS. Patribus responsum est, quòd ideo Quartadecimanos hæreticos pronunciarint, quia impegerunt in articulum fidei de libertate Christiana.

Nos veneramur Episcopos illos primæ Ecclesiæ Romanæ, sed non possumus illis tribuere vim illam decidendi, sub ratione conscientiæ & cultus, in rebus suapte natura liberis.

D. TANNER.

Negas ne, quod Ecclesia Catholica præceperit semel Pascha celebrandum die Dominico?

D. HVNNIVS.

Qui salutare id Decretum sine causa conuellit, is ea ratione est Schismaticus; Qui verò celebrationem Paschatis ita obtrudit, quasi sit necessarium obseruatu sub ratione cultus, is sit hæreticus.

D. TANNER.

Concedis id, quod Ecclesia ita statuerit?

D. HVN-

D. HVNNIVS.

Concedo, quod statuerit, sed non vt articulum fidei, aut cultum necessariò obseruandum.

D. TANNER.

Celebratio Paschatis est cultus diuinus. At Ecclesia præcepit obseruationem Paschatis sub pœna Anathematis. Ergo præcepit cultũ diuinum.

D. HVNNIVS.

Probetur Minor.

D. TANNER.

Notetur hoc, quod hic Doctor negârit celebrationem Paschatis esse cultum diuinum.

D. HVNNIVS.

Distinguendum. Aliud est obseruatio festi Paschatis, aliud verò exercitium diuini cultus in verbo Dei mandati; illud est libertatis Christianæ, hoc non.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Hoc exemplum vestrum propriè non pertinet ad præsens institutum, in quo de dogmatibus & cultibus agitur. Obseruatio autem diei alicuius, per se non est cultus, sed refertur inter ritus & cæremonias. Deinde definitio Victoris non fuit Ecclesiæ, sed solius Victoris, quæ multis bonis displicuit.

D. GRETSERVS.

ADFERT ALIVD ARGVMENTVM.

Si oriatur Quæstio de perpetua Virginitate Mariæ, certè illa Quæstio ex sacra scriptura, seu per hunc Iudicem non potest decidi. Item si quæstio oriatur. An Euangelium Nicodemi sit Nicodemi. Item, An Epistola ad Philemonem sit Canonica, nec ne; Illa quoq; controuersia ex scriptura Iudice decidi non potest. Ergo sacra scriptura sola non est Iudex generalis omnium Controuersiarum.

D. HVNNIVS.

Ad hæc tria capita distinctè Respondeo. Perpetuam Virginitatem Mariæ quod attinet, scimus eam à D. Hieronymo ex scripturis esse definitam contra Heluidium hæreticum, quandoquidem in scriptura, B. Maria Virgo mater Domini nominatur Virgo Luc. 1. Esa. 7. Matth. 1. Itaq; quia scriptura sic definit, rectè concluditur aduersus Heluidium, ex scriptura, quod mater Domini manserit Virgo.

Secundò, quia contrariũ nunquã affirmat sacra scriptura, quod nempè vsa sit consuetudine cõiugali. Præterea id ipsum p rationẽ ex fundamento scripturæ deductam

ductā stabilitur, quia corpus Mariæ Virginis consecratum fuit Conceptioni & Natiuitati æterni & vnigeniti filij DEI, quem ipsa non per communē viam, sed per diuinam obumbrationem spiritus sancti concepit, & postea peperit. Idcircò ipsa Maiestas Conceptionis & Natiuitatis Iesu Christi ex Maria, demonstrat, & deuincit indignum esse pronuntiatum, quod postea Sacrosanctum templum spiritus sancti, quin & æterni & vnigeniti filij Dei, per concupiscentiā coniugalis consuetudinis fuerit pollutum. Inde benè concluditur aduersus Heluidium, & Ezech. 44. introducitur locus, qui à vobis allegari solet, quod porta, per quam intrat & exit Princeps, clausa manere debeat; quam particulam eius visionis Propheticæ Patres ad Virginitatem Mariæ demonstrandam accommodarunt &c.

Ad alteram de Euangelio Nicodemi, dicimus, quòd illud Euangelium, referens nomen Nicodemi, non sit Euangelium, probari posse testimonio primitiuæ Ecclesiæ; Proinde, non sum in ea opinione, quòd simpliciter omnes traditiones reijciamus, semper enim præcedentibus diebus addita est hæc determinatio, quod reprobentur traditiones illæ, quæ complectantur articulos & dogmata. Iam Euangelium illud venditatum sub nomine Nicodemi, non esse Nicodemi, non est articulus Fidei, non dogma. distinguo ergo inter duplices traditiones, quarum aliæ sunt historicæ, aliæ verò dogmaticæ. Et quod attinet censuram sacrarum scripturarum noui Testamenti, tùm canonicarum, tùm Apocrypharum, certum est, eam Ecclesiæ censuram pertinere, non ad ipsa per se dogmata, sed ad historiam. Neq; posse per testimonium illud Ecclesiæ, nouum aliquod & peculiare procudi dogma, quod deinde assuendum sit cæteris dogmatibus in scriptura expressis.

Coloss. 4. legitur, epistolam ad Coloss. inscriptam, transmissam esse per Onesimum. ille afferens Colossensium Ecclesiæ epistolam à Paulo scriptam, testatur, se illam accepisse ex Apostoli manibus; quæritur iam, num Onesimus hoc externo suo testimonio perhibito, Epistolæ ad Colossenses, nouum aliquod dogma adijciat ijs, quæ in epistola continentur? Ibi verò quisque cordatus intelligit, non nouum dogma inde confici, sed tantum externum testimonium perhiberi, id quod in rebus humanis vsitatissimum est, vt exemplo Principis ad subditum scribentis comprobatur, ita enim tabellarius veniens ad subditum, testatur se hanc epistolam accepisse ab Illustrissimo; iam subditus recognoscit sigillum & manum Principis, & ponderat contenta, atq; sic iam non propter testimonium tabellarij Principis esse credit, sed propter illa interna documēta, nec Tabellarius suo Testimonio nouum quiddam adijcit contentis; si quis ergo illud testimoniū eò referat, quasi literæ per se nō sint perfectæ, nisi testimonium tabellarij accedat præposterè argumentabitur.

D. GRET-

D. GRETSERVS.

Vnde patet, quod Euangelium Nicodemi non sit Nicodemi?

D. HVNNIVS.

Ex testimonio primitiuæ Ecclesiæ,

D. GRETSERVS.

Ergo Ecclesia primitiua est Iudex, & cõsequenter non sola scriptura.

D. HVNNIVS.

Distinguendum est inter controuersias; Controuersiæ vox interdum refertur ad ipsa dogmata & articulos comprehensos in ijs scriptis, de quibus testificatur Ecclesia, Et hac ratione sola scriptura est omnium controuersiarum religionis concernentium ipsos articulos fidei judex. Jam verò quando infertur, ergo scriptura non est sola Iudex omnium controuersiarum, manifestum est, controuersias in conclusione notatas, referri ad traditionem illam historicam, quâ Ecclesia definit, hunc vel illum librum esse Pauli, non esse Nicodemi. Itaq; omnium & singularum controuersiarum, quæ attingunt articulos ipsos, judex est sacra scriptura.

D. GRETSERVS.

Euangelium Nicodemi non esse Canonicum, & Matthæi esse canonicum, est articulus fidei, & quicunq; negat, est hæreticus. Sed huius dogmatis non est Iudex sacra scriptura. Ergo articulorum fidei, & dogmatum vnus & solus Iudex non est sacra scriptura.

D. HVNNIVS.

Distinguo tempora, quod attinet Euangelium Matthæi, si quis post constitutum canonem, & post inspecta non modo in primitiua Ecclesia originalia, sed & post examinata contenta hodie negaret, Matthæi Euangelium esse canonicum, is certè errorem damnatum committeret. Jam verò Matthæi Euangelium debuisse censeri pro canonico, etiam ex internis critirijs demonstratur.

D. TANNER.

Negatis ne minorem? si negabitis, nos probabimus, vestrum enim non est probare, sed nostrum est.

D. HVNNIVS.

Affirmanti incumbit probatio; ergo probabo, Euangelium Matthæi esse canonicum, volunt enim Serenissimi & Illustrissimi Principes, vt ego respondeam, & sermo meus non interturbetur: quòd Euangelium Matthæi sit Matthæi, constat iam, post constitutum canonem, & pertinent illa ad fidem & testimonium historicum.

D. GRETSERVS.

Interrupit orationem D. Hunnij, & petit responsionem ad maiorē.

D. HVNNIVS.

Euangelium Matthai, esse Matthai, partim ex narratione Ecclesia primitiua, partim ex scriptura potest demonstrari; Aliud autem est, quando loquimur de articulo fidei, aliud quando de testificatione Ecclesia historica, concernente scripturam.

D. TANNER.

Responde in forma, in forma.

D. HVNNIVS.

Vos vestris intempestiuis & importunis interturbationibus &c. non conceditis mihi spacium respondendi, quantum sufficit.

D. TANNER.

Erimus libentes, modò respondeas in forma.

D. HVNNIVS.

Qua est illa forma Iesuitica?

D. TANNER.

Responde in forma, ne videaris in forma respondere non posse.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Interpellationes vigore legum, sunt prohibita.

D. TANNER.

Non sunt prohibitæ, si fiant debito modo.

PRINCIPES IVSSERVNT, LEGES DENVO RECITARI.

D. TANNER.

Legit secundam legem declaratoriarum legum.

D. HVNNIVS.

Legit septimam priorum legum.

D. GRETSERVS.

Repetit suum syllogismum, dixitq; maiore concessa, restat nunc responsio ad minorem.

D. HVNNIVS.

Ego prius volui ad absoluendam meam responsionem addere quidpiam, & non dubitabo, quin agnouerint principes, ad rem pertinere. Dictum est distinguendum

guendum esse, inter testificationem historicam, & inter contenta in ijs libris, de quibus fit testificatio, quod si testificatio externa constituat articulum fidei, tum deductione ad absurdum demonstrabo quod etiam necessario pro articulo fidei habendum sit, quando Onesimus epistolam ad Coloss: testatur esse Pauli, absurdum autem est hoc, igitur & prius. Deinde quaritur, an Ecclesia, ante scriptionem sacrorum librorum noui Testamenti, pauciores habuerit articulos fidei, quam postea, cum doctrina Euangelij in literas relata esset; certum est, quod doctrina Ecclesia post susceptam & expeditam scriptionem librorum, non habuerit plures articulos, quam habuit Ecclesia, cui tantum voce Apostolorum pradicabatur. Et absurdum est affirmare quod per scriptionem doctrina, aucta fuerint dogmata, articuli, & eorum numerus. Sed idem plane Euangelium est, & manet ratione articulorum & dogmatum, quod ante scriptionem pradicatum fuit; Idem inquam, quod postea in literas relatum est; Ne ergo constituatur, Ecclesiam post scriptionem, plures habere articulos, quam doctrina illa perfecta contineat; Apostolorum voce tradita necessario constituendum est, quod illa Ecclesia testificatio sit referenda, non ad ipsosmet articulos, sed quod obtineat rationem externa cuiusdam & historica testificationis. Alias hoc sequeretur absurdum, quod Ecclesia Iudaica, seu Synagoga, licet incredula à qua scripta veteris Testamenti accepta sunt Romanorum sua testificatione religionis articulum quendam sanxerit. sicut autem illud testimonium est tantum externum & historicum, sic quoq; Ecclesia primitiua testificatio externa de libris noui Testamenti, itidem non recensetur inter articulos fidei. Nisi & Onesimi & Synagoga Iudaica testimonium pro fidei articulo habeatur, sed refertur (vt sapius dictum) solum ad externum & historicum testimonium.

D. GRETSERVS.

Absoluit ne Dominus suam concionem? interim syllogismus manet integer, ad quem responde quæso in forma.

D. HVNN.

Respondeo. Maior est vera secundum quid, non simpliciter. Itaq; ludis fallacia, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. nam post canonem scriptura noui Testamenti, iam constitutum, is qui negat Euangelium Matthai esse canonicum, periculosè & hareticè errat, propterea quia is suo errore impingit iam in ipsammet scripturam sacram, quandoquidem authoritas Euangelij Matthai ex ipsamet scriptura deducitur.

D. TANNER.

Nostrum est probare.

D. HVNNIVS.

Sinite me quoq; probare.

D. TANNER.

Non sinemus. dic an maior vera sit, aut notetur, quod in forma nunc non possit respondere.

D. HVNNIVS.

Respondeo, per distinctionem, si quis constituto iam canone neget Matthæi Euangelium esse canonicum is non solùm testimonio primitiuæ Ecclesiæ, sed ipsissimet scripturis fidem derogat. Nam Euangelium Matthæi, esse Matthæi & canonicum, demonstratur ex 1. cap. Ezechielis, vbi in visione cœlesti commendantur nobis libri quatuor sanctorum Euangelistarum, idque sub imagine 4. animalium, & repetitur illud Apocal. 4. de quatuor animalibus circa thronum. Quin & Euangelium Matthæi esse Matthæi sacrosanctum, etiam ipsa inscriptio testatur.

D. TANNER.

Quid si etiam aliud præter illa quatuor, esset Euangelium?

D. HVNN.

In Ecclesia præter Euangelium Matthæi, Marci, & reliqua duo, non agnoscitur quintum Euangelium, ergo non est aliud.

D. GRETSER.

Ergo Ecclesia est Iudex.

D. HVNNIVS.

Testificatio de scriptis non ad hodiernam Ecclesiam, sed ad primitiuam pertinet. Primitiuæ enim Ecclesiæ ex Originalibus testari & canonem constituere potuerunt. hodierna verò Ecclesia canonem iam ante constitutum agnoscit esse verum; atq; hac ratione, non illo censorio modo, judicat Euangelium Matthæi esse Matthæi.

D. GRETSER.

Interim syllogismus manet inconcussus.

D. HVNNIVS.

Respondet eum esse euersum. judicent Serenissimi & Illustrissimi Auditores, & judicabit Ecclesia inspecto Protocollo.

D. GRETSER.

Euangelium Matthæi, esse Matthæi, est articulus fidei, & qui contrarium sentit, simpliciter est hæreticus.

D. HVN-

D. HVNNIVS.

Ille error, quo quis Euangelium Matthæi negat esse Matthæi, & esse canonicum, impingit in ipsam scripturam.

D. GRETSERVS.

Ex scriptura non potest cognosci, quod illa scripta sint Matthæi.

D. HVNN.

Quatenus is qui negat Euangelium Matthæi, esse Matthæi, reijcit testimonium Ecclesiæ primitiuæ; eatenus errat sanè periculosè, impingit verò non in traditionem aliquam non scriptam, sed historicam tantum illam testificationē Ecclesiæ, In quantum verò impingit in oracula Spiritus Sancti, comprehensa in diuinis literis, Ezech. 1. Apocal. 4. Ea ratione dico esse errorem hæreticum.

D. TANNER.

Sed seposita Ecclesiæ authoritate, nemo potest iudicare, quod aliquis impingat in sacram scripturam. Ergo sola scriptura non est iudex.

D. HVNNIVS.

Agnoscimus quidem authoritatem Ecclesiæ (sicut factum est) hac in parte, tribuimus autem illi non authoritatem iudiciariam, qualem vos ei tribuitis, sed testificationem historicam.

D. TANNER.

Nunquam in forma potuit respondere D. Hunnius ad illum Syllogismum; iste D. D. non audet simpliciter asserere, fidei articulum esse, quod Euangelium S. Matthæi, sit Matthæi. audiant Auditores. Hac ratione fiemus Iudæi, & negabimus omnem scripturam.

D. HVNN.

Similiter nos relinquimus Iudicium vniuersæ Ecclesiæ, nam quod Euangelium Matthæi, sit Matthæi, habemus ex determinatione Ecclesiæ, non iudiciaria illa, quam vos propugnatis, sed ex Ecclesia testificante. Quod verò sit canonicum & habeat diuinam authoritatem, id habemus non simpliciter ex authoritate Ecclesiæ, sed ex internis etiam critirijs, quorum multa sunt. Itaq; & ego concludo, & iudicium committo Auditoribus.

D. TANNER.

Ad id quod attinet, quòd B. Virgo fuerit perpetua virgo, quo probare voluit D. Gretserus, non omnia in scripturis contineri.

Quæro, an euidenter ex istis locis colligere possimus, abstrahendo & separando authoritatem Ecclesiæ, illam perpetuam MARIÆ virginitatem?

D. HVNNIVS.

Quæstio illa quantum scire satis est, in allegatis testimonijs fundatur: Est autem quæstio eius generis, vt siue de affirmatione, siue de negatione, multi simplices Christiani haud perinde cogitent, id ipsorum saluti nihil obstet.

Siquidem negatio saltem huius rei errorem inuoluat.

D. TANNER.

Estnè de fide, vt sit hæreticus, qui non credit?

D. HVNNIVS.

Ideo quia negat id, quod ex scriptura de virginitate B. MARIÆ aliàs rectè astruitur, est hæreticus.

D. TANNER.

Ego hìc sedeo, & non sto, nec possum probare ex scriptura me sedere, ergo ero hæreticus, asserens id, quod ex scriptura probare non possum?

D. HVNN.

Quia scriptura nominat illam virginem, & contrarium non inuenitur in illa, ideo qui negat, eo ipso fit hæreticus.

D. HVNGERVS.

Non nominat perpetuã virginem scriptura, imò si scriptura, priuata solum ratione seposita infallibili authoritate & explicatione Ecclesiæ consulatur, contrarium potius ex ea colligi posse videbitur, vt patet ex illo loco Matthæi; Illam non cognoscebat, donec peperit filium suum primogenitum, &c. Illa particula (donec) si humanæ rationis ductum sequi vellemus, potius significat, posteà illum à marito fuisse cognitam. Item dicit S. Lucas, peperisse Filium primogenitum, ecce quomodo ex sacra Scriptura, sine authoritate Ecclesiæ possit probari, quod non etiam secundum genuerit, quia primogenitus significat alioqui relationem ad secundo genitum.

D. HVNNIVS.

Quod attinet meam assignatam ratiocinationem, illa non ex humana ratione, sed ex scripturæ fundamentis astructa est. Quiuis enim religiosus fatebitur, quod indignum fuerit, Maiestatis Conceptionis, & Natiuitatis Christi. ex S. Virgine, si nimirum sacro sanctum illud templum Spiritus Sancti, & vnigeniti Verbi, postea per concupiscentiam consuetudinis coniugalis pollutum fuisset, & contaminatum. Quod autem attinet ad vocabulum primogeniti, Matth. 1. loquitur Euangelista iuxta consuetudinem legis Mosaicæ, qua videlicet primogeniti appellabantur, quicunq; primi aperiebant vterum, & pro

quibus

quibus soluebatur λύτρον, ad redemptionem primogenitorum destinatum.

Particulam (Donec) quod attinet, vsitatissima est significatio, vt aliquid ad eum ipsum terminũ, qui exprimitur, durasse designet, nec tamen diuersum subsecutum insinuet, Psal. 110. sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum, Ergonè sequitur, quòd postquam sunt positi, inimici ad scabellum pedum Christi, non amplius ad dextram patris sit sessurus? Sic ergo constat; quomodo Helnidius nihil probet ex scriptura.

D. IAC. HAILBRONNER.

Quæritur, an perpetua Virginitas Mariæ ex Sacra Scriptura possit probari? Si Hieronymus potuit probare ex ea, tunc falsum est, quod vos dicitis, illam non posse probari ex scriptura. Atqui probauit Hieronymus ex scriptura, ergo probari potest ex scriptura.

D. TANNER.

Multa deducuntur ex consequentia, quæ non euidenter deducuntur.

IV.

D. GRETSERVS.

Progrediamur ad quartum argumentum. Pleriq; hæretici, si non omnes, prouocant audacissimè ad scripturam, ergo scriptura sola, non est iudex, & norma omnium controuersiarum.

D. HVNN.

Si pleriq; hæretici ad scripturas prouocant, scriptura non est sola norma, & index controuersiarum. Voluit facere integrum Syllogismum.

D. GRETSERVS.

Non posuimus maiorem propositionem. Appello ad omnes Logicos, & volo id, quod latitat mihi reseruatũ.

D. HVNNIVS.

Respon. Antecedens quidem est verum, sed video quod propositio in Enthymemate occultata est falsa: & ideo non est vera consequentia.

D. GRETSERVS.

Probo consequentiam; Nullus reus qui euidenter scit, se damnatum iri, prouocat audacissime ad iudicem, à quo scit euidenter, se damnatum iri.

Sed hæretici sunt rei, ergo non prouocarent ad illum iudicem, à quo euidenter scirent se damnatum iri.

D. HVN-

D. HVNNIVS.

Tu non legitimè intulisti, sic debuisses inferre, ergo hæretici non prouocarent ad talem iudicem, à quo euidenter scirent, se damnatum iri. Respondeo, quòd hæretici potius obcæcati suis falsis opinionibus, sæpissimè existimant, scripturam stare pro se, & proinde non euidenter sciunt, aut cognoscunt, se ab hoc iudice damnatum iri. Ad hæc est fallacia accidentis, quod patet exemplo Pharisæorum; Pharisæi prouocabant ad Moysen, Ioan. 5. sicut hodiè dictum est. Similiter & Sadducæi; atqui nihilominus certū est, quod ipsorum errores per Moysen sint damnati. Itaq; non propterea infringitur id, quod asseruimus, quòd scilicet sola scriptura sit index, sic enim nec Moyses potuisset esse index disputationis Christi, cum Pharisæis & Sadducæis.

D. GRETSERVS.

Interim Syllogismus meus manet, maior & minor concessa, quid ergo deest conclusioni?

D. HVNN.

Est fallacia causarum; explicatum est, cur hæretici prouocent ad scripturas: nempe vt suis opinionibus prætextum & fucum quendam atq; colorem inducant. Quoniam ergo malitiosè prouocatur ab hæreticis ad scripturas, non sequitur, quòd scriptura non sit iudex, & norma controuersiarum.

D. GRETSERVS.

Interim Syllogismus manet.

D. HVNN.

Syllogismus est euersus, quæ est ratio connexionis, quam nego? Hæretici prouocant ad scripturas. Ergo scriptura non est iudex.

D. GRETSERVS.

Aut neganda est aut concedenda consequentia: probabo si negaueris.

D. HVNN.

Dictum est, esse fallaciam causarum, & ex hæreticorum prouocatione ad scripturam non inferri, quòd propterea scriptura non sit iudex: Sicut ex prouocatione Pharisæorum ad Moysen, non poterat inferri, quod Moyses non potuerit esse iudex.

D. TANNER.

Repetit Syllogismum. nullus prouocat ad eum iudicem, à quo sufficienter est cōdemnatus, sed hæretici, secundū vos sufficienter sunt damnati ex scriptura, ergo ad hanc nūnquam prouocabunt secundum vos.

D. HVNN.

D. HVNN.

Quæ est ratio consequentiæ?

D. TANNER.

Optima.

D. HVNN.

Respondeo. Etsi damnati sunt per scripturam, tamen nec agnoscunt, nec fatentur se esse damnatos.

D. TANNER.

Nihil ad rem. Responde ad alterutram propositionem.

D. HVNN. pergit.

Et deinde (ais) nemo reus prouocat ad eum iudicem à quo est sufficienter damnatus, tu statum inuertis, & vobis incumbit probatio. Quatuor iam argumenta proposuistis, & nullum est ex scriptura desumptum.

D. TANNER.

Falsum est: videatur Protocollum. non inuerti statum, responde ad argumentum.

D. HVNNIVS.

Probetur connexio maioris.

D. TANNER.

Probauimus proximo argumento, quod repeto in forma: nemo prouocat ad eum iudicem, à quo sufficienter damnatur. Ergo si per scripturam damnantur sufficienter hæretici, ad eam nunquam prouocabunt.

D. HVNN.

Respondeo. Inesse fallaciam causæ, non enim ideò hæretici prouocant ad scripturam vt iudicem, vt inde liceat exstruere scripturam non esse iudicem. Sed ideo prouocant, vt causæ suæ colorem & speciem verisimilitudinis inducant: Et res plana est in exemplo Pharisæorum, qui prouocabant ad Moysen, in ipsa illa disputatione, quæ erat illis cum Christo Saluatore, nec tamen licet inferre, quia Pharisæi hæreticissimi prouocârunt ad Moysen, à quo tamen damnantur; quòd propterea scriptura Moysaica non possit esse index controuersiæ inter Christum & Pharisæos agitatæ.

D. TANNER.

Repetit responsum Hunnij, & petit in forma responderi ad Syllogismum.

logiſmum.

D. HVNNIVS.

Hæretici prouocant ad ſcripturam, vt videlicet forinſecus oſtendant; quod ſcriptura ex ſuis ſtet partibus, & hac ratione veriſimilitudinis color inducatur ipſorum hæreſi ſicut Phariſæi prouocabant ad Moyſen.

D. TANNER.

Iterum petit reſponderi in forma, repetito argumento.

D. HVNN.

Repetiuit argumentum, & præſertim concluſionem Tanneri, nempè ſi ſcriptura Moyſis damnet Phariſæos ſufficienter, ſequitur Phariſæos non appellare ad Sacram Scripturam vt iudicem, at verò Phariſæi appellarunt ad Moyſen, vt iudicem, & tamen ſufficientiſſimè ſunt à Moyſe condemnati.

D. TANNER.

Nullus reus prouocat ad illum iudicem, à quo ſufficienter damnatur: ſed hæretici prouocant ad ſcripturam, ergo per ſcripturam non condemnantur ſufficienter.

D. HVNNIVS.

Ego tuum Syllogiſmum meo (tanquam cuneo) euerto: ſi tuus conſtat, conſtabit & meus. Phariſæi prouocant ad Moyſen: Ergòne per illum non ſunt ſufficienter condemnati?

D. TANNER.

Totum concedo Syllogiſmum. Sed concedatur & mihi totum. Notetur, quod dixerit D. Hunnius, quod de canone ſcripturæ non poſſit conſtare niſi ex primitiua Eccleſia.

Notetur itidem, ad iſtum Syllogiſmum toties propoſitum non potuiſſe in forma reſponderi.

D. HVNN

Notetur etiam hoc, ſufficientiſſimè eſſe reſponſum oſtenſa fallacia, cauſarum & accidentis; tu hîc conſtrictus teneris. Ergo euagaris, quod dicis Phariſæos per Moyſen non fuiſſe ſufficienter damnatos, falſum eſt, quod demonſtratur exemplo Phariſæorum; Phariſæi enim prouocarunt ad Moyſen, & tamen ſufficientiſſimè ab eo condemnati ſunt, Ioan. 5. Eſt qui vos accuſat Moyſes.

SES-

SESSIO VNDECIMA.

5. Decembris.
25. Nouembris. Anno 1601.

Hora ſeptima ante meridiem.

D. TANNER.

DVM probationes noſtræ theſis heri aggrederemur, diſtribuimus omnia noſtra argumenta, quæ ad confirmandam theſin noſtram facere poſſunt, in 5. Claſſes. In prima quidem propoſueramus directè, ſolùm probare, quod ſcriptura ſola non ſit Iudex omnium Controuerſiarum religionis, & quia id iam ſatis multis & efficacibus argumentis oſtenſum eſt, ad aliam claſſem procedimus, non ideò, quod circa ſecundam alia non ſuppetant argumenta, ſed vt tempori parcamus.

Secunda Claſſis autē ea cōtinebit argumēta, quibus ſcilicet directè probemus, ſcripturam non eſſe vnicam normam omnium controuerſiarum religionis. Nam quamuis heri oſtenſum ſit, non eſſe Iudicem ſolum, quæſtio tamen oriri poteſt, an ſaltem ſit norma vnica omnium controuerſiarum religionis. Nam in politicis quamuis certum ſit & exploratum, Leges Reipub. ſcriptas non eſſe vnicum & ſufficientem Iudicem controuerſiarum illius Reipublicæ. Certum tamen nihilominus eſſe poteſt, quod ſaltem ſint norma vnica omnium cōtrouerſiarum Reipub. Itaq; licet heri probatum; quod ſcriptura non ſit iudex vnicus controuerſiarum religionis, reſtat quæſtio, vtrum ſaltem ſit norma, ita vt excludantur omnes traditiones non ſcriptæ. Et vt clarè procedamus, ſciendū eſt omnibus, quid per traditiones non ſcriptas vtrinq; intelligamus: Per traditiones non ſcriptas intelligimus eiuſmodi quædam præcepta, ſeu conſtituta ad fidem ſeu religionem ſpectantia, quæ excluſa infallibili authoritate Eccleſiæ, in ſcriptura nec apertè exprimuntur, nec ex ea euidenter deducuntur, hac explicatione circa quid nominis facta,

ſic ad propoſitum noſtrum accedimus, probando ſcilicet, quod aliquæ traditiones non ſcriptæ, præter ſcripturam admittendæ ſint, atq; adeò, quod ſcriptura non ſit vnica * & forma Controuerſiarum religionis. Argumentum primum eſt hoc; ſi ipſamet ſcriptura traditiones non ſcriptas Eccleſiæ commendat, tunc verum ſanè eſt, quod traditiones eiuſmodi non ſcriptæ præter ſcripturam admittendæ ſint, atquè adeò quod ſcriptura non ſit vnica norma, &c. Sed verum eſt antecedens; Ergo & conſequens.

*norma

D. I. HAILBRONN.

Orauit, Veni Sancte Spiritus, &c. Pater noſter, &c.

D. HVNNIVS

Reaſſumpſit Argumentum, & reſpondit. Initio maior propoſitio (quod poſt patebit) diſtinctionem deſiderat. Idcirco minor quoq; propoſitio, quod videlicet à ſcriptura traditiones omnes non ſcriptæ commendentur, iuxta eam diſtinctionem erit accipienda: petimus ergo adijci, quod vel ad maioris, vel minoris probationem pertinet. Proba igitur minorem.

D. TANNER.

Sic probo: Ex teſtimonio Apoſtoli, 2. ad Teſſal. 2. vbi ait; Itaquè fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram: Ex quo loco ſic argumentor. Si traditiones Apoſtolicæ quæ per viuum ſermonem traditæ ſunt Theſſalonicenſibus, non minùs obſeruandæ ſunt, quàm quæ per ſcripturam traduntur, tunc ſanè ipſamet ſcriptura Eccleſiæ Chriſtianæ commendat traditiones non ſcriptas; ſed verum eſt Antecedens, quod nempè iubente Apoſtolo, non minus debeamus obſeruare traditiones per ſermonem traditas, quàm per Epiſtolas, aut Scripturas; Ergò verum quod ſcriptura nobis commendat traditiones non ſcriptas.

D. HVNN.

Reaſſumpſit & reſpondit. In 2. ad Theſſal. 2. dicit Apoſtolus; Itaq; fratres ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram, &c. Quæritur ergo iã de intelligentia loci Paulini. Res ipſa per ſe plana eſt, loquitur enim de epiſtola ad ipſos ſcripta, quæ eſt prior ad Theſſalonicenſes. Et fatemur perlibẽter, quod in ea epiſtola priore ad Theſſalonicenſes, nõ vniuerſa dogmata, ſiue articuli religionis contineantur. Non autem licet à parte ſcripturæ argumentum ducere ad totum corpus, vel ſyſtema ſcripturæ. Quod igitur ait, tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem; ſiue per Epiſtolam

noſtram,

nostram, ostendit se doctrinam Christianam tradidisse Thessalonicensibus, partim quidem per prædicationem vocis, quando erat apud illos, partim verò per epistolam, quam priorem ad ipsos dederat. Et ex eo ipso capite secundo posterioris ad Thessalonicenses, contrariũ eius quod vrget Aduersarius, manifestè apparet, nam cum per quosdam sub nomine Apostoli Pauli sparsa esset Traditio, quasi iam tùm dies Domini instaret, dehortatur Thessalonicenses ab huiusmodi Traditionibus: Sic enim ait, Rogamus autem vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ Congregationis in ipsum, vt non citò moueamini à vestro sensu, neq; terreamini, neq; per spiritum, neq; per sermonem, neq; per Epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini &c.

Videmus ergo iam tùm, cum viueret adhuc Paulus, & posset voce simul & calamo contradicere, sparsas fuisse sub ipsius nomine Epistolas, & traditiones suppositias. Cum igitur D. Paulus præmoneat Thessalonicenses, ne tales Traditiones, vel etiam Epistolas licet suo nomine venditatas recipiant, multò magis nos post tot secula tenemur cauere à traditionibus, quæ jactantur nomine Apostolorum: quandoquidem inter spacium tot seculorum, multa sub nominibus SS. Apostolorum potuerunt confingi, malè feriato studio Sathanæ. Itaq; locus ille constat per se, quod nimirum debuerint Thessalonicenses omnem eam, & totam doctrinam tenere, quam illis tradiderat, prædicatione vocis, partim verò ratione quorundam dogmatum per Epistolam, quod, inquam, doctrinam illam tenere debeant; neq; licere argumentari à parte ad totum, vt supra dictum est.

D. TANNER.

Si ego vellem tamdiu concionari, vt tu, molestissimum equidem esset futurum Auditoribus.

D. HVNNIVS.

Tu diutius concionatus es.

D. TANNER.

Itaq; respondeat Dominus in forma ad argumentum, quod his non obstantibus manet.

Si tunc temporis, quando Apostolus hæc scribebat, non obstantibus ijs, quæ tùm à se, tùm ab alijs quoq; Apostolis scripta essent, ipse fideles non ad scripturam, sed ad Traditionem quoq; nõ scriptam amandauit, tùm iam quoq; licitum erit, non obstantibus scriptis Apostolicis, non solùm ad scripturam, sed ad traditiones non scriptas amandare fideles. Cum antẽ Apostolus id prius fecerit, ergò etiam posterius licebit.

Quod autem D. D. conatus est eleuare ex præcedentibus dictis hanc allegationem, Luce clarius est, quod nihil effecerit, sed tempus inaniter

perdiderit, & ad rem nihil dixerit, nam tantum abest, vt contrarium colligamus, vt & mea assertio euidenter patescat; Assumo autem verba illa. Quando Apostolus dixit, loquens de Antichristo, ne quis vos seducat vllo modo, quoniã nisi venerit discessio primùm & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus &c. Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore; Ex quo loco sic argumentor, si Apostolus Thessalonicensibus verbo tantum & voce, non autem scripto, patefecit tempus futuri Antichristi, nec hoc ipsum tempus vllibi scriptis expressit, ita vt euidenter & expressè, vel remota traditione Ecclesiæ non scripta, ex ijs euidenter colligi possit, tunc sanè rursus Apostolus illis commendauit aliquam traditionem non scriptam. Sed verum est Antecedens; ergo & consequens.

Quod autem superius monet Thessalonicenses, ne ipsi citò amoueantur à suo sensu, neq; per sermonem, neq; per Epistolam, id ad conuellandas traditiones nihil prorsus facit; aliâs enim sequeretur, quod pari modo scripturam ipsam S. Apostolus contemnendã assereret; pari enim modo jubet, eos sibi cauere, tùm à sermonibus dictis Apostoli contrarijs, tùm ab Epistola tanquam per se missa. Itaq; quemadmodũ solùm cauit Apostolus, ne scripturam aliquã sub nomine Apostoli, reciperent fideles, quæ reipsa tamẽ ab Apostolis scripta non esset, ita etiam solummodo cauit & prohibuit, ne sermonem siue traditionem aliquam, tanquam Apostolicam, recipiant, quæ tamen ab Apostolis ipsis tradita non esset: Nihil ergò ad rem dixit D. D.

D. HVNNIUS.

Ad meam responsionem affert D. D. instantiam, ad quam respondeo primo, quòd Apostolus palàm ibi alloquatur suos Thessalonicenses, qui scire poterant, & adhuc in recenti memoria tenebant, quæ nam Apostolus Paulus, prædicatione vocis, tradiderat Ecclesiæ Thessalonicensium, & subsistit adhuc, cùm in epistola sua, cuius memini, non vniuersam doctrinam inseruerit, quod rectè eos amandet ad prædicatum inter ipsos Euangelium: Vrget verò D. D. quod ne quidem reliquis scriptis obstantibus ablegârit Thessalonicenses, nihilominus ad verbum inter ipsos prædicatum, Respondeo etsi aliquæ Epistolæ tum temporis fuerunt scriptæ, tamen quædam etiam nondum fuerunt exaratæ, & ipsæ quoq; scriptæ Epistolæ, nondum ita per vniuersas orbis Ecclesias adhuc quidem communicatæ fuerant.

Insuper verbum prædicatum voce apud Thessalonicenses, quod diuersum

sum quippiam à scriptura nunc in vnum corpus reducta, ratione articulorum fidei continuerit, id verò probandum incumbit Aduersario.

Dixit insuper, quod circa initium capitis secundi verba à me citata, adeò nihil ad institutum meum faciant, vt potius contrarium inde colligatur, hoc quoque diluendum est; sic verò habet textus; Rogamus autem vos fratres, per aduentum Domini nostri IESV CHRISTI, *& nostræ Congregationis in ipsum, vt non citò moueamini à vestro sensu, neq; terreamini, neque per spiritum, neq; per sermonem, neq; per Epistolam, tanquam per nos missam quasi instet dies Domini, ne quis vos seducat vllo modo, quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam Deus, num retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis, & nunc quid detineat, scitis, vt reueletur in suo tempore &c. Ex his verbis astruere voluit D. D. quod Apostolus verbo tantum & non scripto patefecerit Thessalonicensibus tempus reuelationis Antichristi, id verò falsum esse, textus ipse huius scripturæ Apostolica nobis insinuat. Nam hic quoque non quidem in specie, quo nimirum anno, sed in genere tempus certa quadam circumstantia definitum nobis designat; Videlicet quod tùm regnum suum plenè occupaturus sit Antichristus, quando maiestas & potentia Romani Imperij diminuta & depressa fuerit, tùm demum pleno suo dominatu inualiturum esse Antichristum, & ipsa illa notatio temporis non est peculiaris aliquis articulus fidei, sed circumstantia duntaxat, sine cuius circumstantiæ cognitione quàm optimè Christiani saluari poterunt. Deniq; proposuit etiam aliud Argumentum D. D. quod videlicet Apostolus & scriptam Epistolam suo nomine venditatam, & verbũ falsò sibi attributum, pari censura damnet; Ergo Apostolum hoc tantum monuisse Thessalonicenses, vt quemadmodum falsas Epistolas, sic & verbum falsò nomine venditatum non recipiant, interim non prohibuisse, vt veras traditiones reciperent.*

D. TANNER.

Notari cupio ab omnibus, an hic D.D. seruet regulas nobis vtrinq; præfixas, primam & quintam, quod neutrum præstitum esse omnes vident, idque eo nomine, vt hac ratione tergiuersetur & effugiat vim Argumenti. Quod autem dixit, ad illum meum syllogismum, quem repeto, nescio an voluerit negare, concedere aut distinguere, non enim potui ex tot verbis sensum illius rectè perspicere.

D. HVN-

D. HVNNIVS.

Respondeo distinguendo, quod Paulus commendet non aliquas Traditiones, quæ quidem dogmata contineant, quæ in scripto verbo non extent, & quia D. D. tenet affirmatiuam, idcircò probandum incumbit illi, quod Apostolus voce, cum esset apud Thessalonicenses, commendarit & tradiderit articulos aliquos, qui non extent in scriptura Prophetica & Apostolica.

D. TANNER.

Id ego non debeo probare, sed quod tantum quicquid illud sit, necessariò obseruandum tradiderit Thessalonicensibus, ad cultum religionis spectans, siue dogma fidei sit, siue non.

D. HVNNIVS.

Hoc in quæstione est, an Paulus Thessalonicensibus voce viua vllum articulum religionis tradiderit, qui in scriptura Prophetica & Apostolica non extet, nego ego, affirmat ille, Ergo illi incumbit probatio, sed defecit in probando.

D. TANNER.

Non defeci, admittit ne D. D. quod S. Apostolus comendet Thessalonicensibus aliquid præter scripturam, necessariò obseruandum? ad cultum religionis spectans, siue dogma sit, siue non?

D. HVNNIVS.

Distinguendo, quod Paulus nihil quicquam articulorum aut dogmatum prædicarit voce suis Thessalonicensibus, quod in scripto verbo, quemadmodum illud iam ex scriptura Prophetica & Apostolica constat, non extet, & quoniam D. D affirmat, ipsum aliquid præter scriptum verbum reuelasse, non in circumstantijs, sed articulis, probet ergo id.

D. TANNER.

Non restrinxi, sed generatim dixi, facis mihi injuriam, in forma, & sine tergiuersatione, & inuersione terminorum responde, an aliquid, & quidem ad religionis cultum spectans tradiderit, præter scripturam.

D. HVNNIVS.

Præter illam Epistolam, vt habet Textus, quam scripsit Athenis, primam videlicet.

D. TANNER.

Nonne dixi, quod non hanc tantum, sed & alias scripserit? Responde in forma. Repetiuit priorem syllogismum, & addidit, non restringo, vt D. D. dixit, ne inuertas mihi verba.

D. HVNNIVS.

Quod ad

Quod ad hunc syllogismum attinet, non dubito quin Auditores agnoscant, sufficientissimè ad eum esse responsum, & quod subinde repetit, Apostolum non obstantibus scripturis iam tùm editis, nihilominus præcepisse aliquid Thessalonicensibus obseruandum, quōd voce, non scripto, tradiderit, sequi ergò commendari ab ipso Traditiones aliquas, etiam extra scripturam sacram &c. sæpè responsum est; quod eo tempore cum scriberet posteriorem Epistolam ad Thessalonicenses, resederit adhuc Athenis, vbi pauca adhuc scripta siue Euangelistarum, siue Apostolorum erant confecta, & ex textu demonstratum est, Apostolum ibi non generatim loqui de omni scriptura, sed notanter & expressissimè de priore Epistola ad ipsos missa, vbi libenter fatemur, non omnia in ea contineri dogmata, sed à parte ad totum, non licere Argumentũ ducere, prius monitum & ostensum est. Quod addit se in præsenti syllogismo, Traditionis voculam, non restringere ad dogmata, gratum nobis est, & hinc tota structura Syllogismi ipsius deijcitur, & euadit liquidum, quod ad scopum nihil planè attineat. Siquidem inter nos & Aduersarios, non controuertitur, an ratione aliquarum circumstantiarum in articulo de Antichristo, voce quippiam expressè dixerit, ad quod in hac posteriore Epistola digitum tantum intendat. Sed tota quæstio, tota controuersia in hoc vertitur cardine. Num videlicet præter scripturam Propheticam & Apostolicam aliquæ insuper Traditiones ab Apostolo commendentur, tanquam dogmata & articuli religionis, quæ dogmata, qui articuli in scripto Dei verbo non comprehendantur. Quod probare quidem conatus est D.D. sed in ipso conatu & nisu defecit, id quod & Serenissimis & Illustrissimis Principibus, & toti huic splendidissimæ coronæ Dominorum Auditorum, & ex publicando Protocolo, vniuersæ Ecclesiæ judicandum committo.

D. TANNER.

Rursus obseruari volo, quod hic D.D. nulla ratione ad procedendum in forma, & obseruandas leges adigi possit. primā enim violat, de nō dictando ad calamum, & quintā illam legem, ex quo se prodit, quod hoc disputationis modo conuenientissimo seruato & saluo, saluus ipse esse non possit; neq; lubet argumentum illi toties propositum, nec vnquam in forma resumptum, sæpius obtrudere; judicium relinquo omnibus, an in forma quicquam responderit. Hæc tantum notari cupio, quæ ipse falsò assumit. Primò, falsum asseruit, esse inter nos controuersiam, de hoc tantum, vtrum scilicet aliqui articuli seu dogmata fidei, extra & præter scripturam, sint ab Ecclesia Christiana admittenda. Cum ipse euidenter sciat, de hoc tantum nobis non esse controuersiam, sed gene-

statim, an quicquam ad religionem & disciplinam spectans, siue dogma fidei concernat, siue mores & cultum à Christianis obseruandum sit, quod in scriptura non expressum est.

Secundò falsum quoq; dixit, quando de Antichristo loquens, dicit, ab Apostolo nullum Articulum fidei Thessalonicensibus esse traditum, dum ijs tempus futuri Antichristi denunciaret, necessariò enim fatendum est, eiusmodi Apostoli dictum tanquam de fide certum, ab omnibus fuisse credendum.

Tertiò falsum dixit, quod Articulus ille de tempore Antichristi, aut in scriptura expresè contineatur, aut ex ea euidenter deducatur, vt quidē ipse necessariò dicere debet, si traditiones nō scriptas vult excludere. Sunt enim quidem hîc verba quædam Apostoli, quibus innuitur, aliquid ad eiusmodi tempus spectans, & significatur circumstantia quædā temporis Antichristi, sed profectò quænam illa circumstantia sit, extra Traditionem non scriptam, nemo euidenter colligere potest; legit locum. Audiant omnes an possit quis colligere, quod scilicet Antichristus venturus sit circa tempus deficientis Imperij Romani (denuò legit locum) nullum verbum de Romano Imperio. Videmus ergò quomodo ludant Aduersarij.

Quartò etiam falsum est, quod dixit, quod nempe tempus aduentus Antichristi per eam circumstantiam descripserit Apostolus, quando scilicet minuetur gloria & maiestas Imperij Romani, quod eò scilicet dicit, vt ostendat iam Antichristum in Pontificibus Romanis aduenisse, cum tamen apertè dicat Apostolus, non donec labefactetur Imperium, sed donec prorsus è medio fiat, hoc est, in nihilum redigatur. Itaq; nisi dicere velimus, quod Romanum Imperium penitus conciderit, falsum dixit Aduersarius, quæ falsitas aliundè, & hoc ipso capite refutari possit. Videmus igitur quomodo fucum faciant Auditoribus, & prompta lingua effutiant, quæcunq; in buccam veniunt, & ita relinquo hoc Argumentum.

D. HVNNIVS.

Principio Aduersarius conqueritur, in forma sibi non esse responsum, siue affirmando, siue negando, siue distinguendo, num hoc à me sit prætermissum, testabitur Protocolon. Ipse verò in forma minimè disputauit, tum affirmatum suū quod probare tenebatur, probare noluit; quod realia attinet, sic ei responsum est, & ad scopum directa responsio, vt non dubitem, ad judicia pronocare vniuersorum; inter cætera dixit, controuersiam esse inter nos de hoc tantum, vtrum Apostoli

postoli aliquid tradiderint ratione dogmatum, quod in scripto verbo non extat. Respondet ipse non hoc tantum controuerti, sed an quicquam tradiderint voce, quod ad Christianæ religionis disciplinam, siue ad cultum & doctrinam pertineat. Ad hanc ergo quæstionem, iterum iterumq; dico, de disciplina & moribus hucusq; non fuisse disceptatum. Et quod attinet mores, perfectam de illis doctrinam in scriptura contineri arbitramur, ne ipsos quidem negaturos; disciplinam quod attinet, si per eam intelligitur ordo in Ecclesia, distinguendum est inter doctrinam ipsam, & cultum, & inter disciplinam cultui & doctrinæ subseruientem; Ad cultum & doctrinam referuntur dogmata & articuli, ad disciplinam verò referuntur ritus & ceremoniæ Ecclesiæ. Quod attinet ritus & ceremonias, eas nobis Apostoli reliquerunt liberas, prout circumstantiæ diuersarum Ecclesiarum flagitant. Omnis igitur argumentatio aduersarij ad hunc præstitutum scopum dirigenda est, vt ostendatur aliquid, ab Apostolis voce viua traditum, & sub necessitate salutis credendum, commendatum esse, quod tamen in scriptura Prophetica & Apostolica non contineatur. Secundò dicit me falsum dixisse, cum assererem Apostolum reuelando tempus Antichristi Thessalonicensibus, non eis articulum aliquem tradidisse; Ad quod respondeo, articulum ipsum de Antichristo Thessalonicensibus traditum voce in Epistola posteriore repetiuit. Quod autem attinet circumstantiam temporis, generatim in Epistola, speciatim autem, vt textus innuere videtur, coram eis patefecit, negamus autem hanc temporis circumstantiam esse articulum fidei, & eam ipsam circumstantiam temporis ne quidem aduersarij ipsi ex suis, quas putant se habere, traditionibus assignare firmiter queunt. Tertium membrum, dicit me falsum dixisse, quod articulus in sacra scriptura de tempore Antichristi, aut expressè extet, aut inde euidenter deduci queat. Sed iterum fallitur D.D. circumstantia enim est, & manet circumstantia, cuius ignoratio substantiæ dogmatis aut articuli, nihil derogat. Quod obtendit neminē posse dicere, quænam sit illa temporis circumstantia, citra traditionem non scriptam; Respondetur, ne quidem ipsosmet ex traditionibus non scriptis hoc posse certò designare, proinde circumstantiæ reuelatio reseruabatur euentui, qui postquam Antichristus plenum suum dominatum inuasit, luculenter simul circumstantiam temporis ratione dominatus explicatam nobis dedit. Deniq; quod arripit particulam textus (donec è medio fiat) quærit ipse, aut inquit, non id liquere, nisi ex traditione, sed responsum est ab ipsomet, quod & Patres hunc in modum particulam Textus Paulini explicârint (donec de medio tollatur) id est, donec Romani Imperij potētia debilitetur & infringatur. Et adijcit, quod pronomen Illud, in masculino genere positum, non simpliciter & solùm ad

Imperium ipsum, sed ad personas quoq;, quæ plenum dominatum Antichristi retardabant, referendum sit. Itaq; sensus est, quando Romani præpotentes illi Imperatores è medio fuerint sublati, & quando Imperatores suam quoq; sedem aliò transtulerint, tùm Antichristum plenissimè inuasurum potentiam, & stabiliturum regnum suum, quod ante actis seculis meditabatur quidem, & moliebatur, sed obstante potentia Romanorum Imperatorum, in effectum deducere suum illum conatum non potuit, & quod per pronomen singularis numeri, non semper in scripturis definita quædam & singularis persona designetur, liquidum est, ex eiusmodi Vaticinijs, quæ passim apud Danielem, in Epistolis Apostolorum, & in Apocalypsi extant. Aliàs Romanum Imperium iuxta vaticinium Danielis, nunquam ad finem vsq; mundi, è medio planè tolletur, vt nimirum sublata & euersa penitus Monarchia quarta, deinceps demùm personatus ille Antichristus, de quo Aduersarij dictitant, veniat, & suum regnum inuadat idq; ad finem mundi vsq; retineat. Ideo cum Propheta Daniel tantum nouerit quatuor Monarchias, & nos iam versemur in quarta, idque regnum quartum duraturum pronunciet, ad vsq; mundi finem, sequitur quod id etiam, quod de tempore vel circumstantia temporis definitè dicere conabatur Aduersarius, planè concidat.

D. TANNER.

Ad hæc dicta, impertinentia, vana, & inania, æquè ac illa præcedentia antea à me refutata, nihil addo, præter ea, quæ superius dixi, nisi hoc solùm I.mo quod suis illis falsitatibus hoc iam etiam præterea absurdum, ne dicam blasphemum addiderit, Thessalonicenses nimirum illam circumstantiam temporis ab Apostolo voce declaratam, non debuisse tanquam articulum fidei credere. 2. id quoq; à me antea prætermissum est, quod alijs falsis annumerari debet, eiusmodi articulum fidei non esse necessarium, cum tamen ex illorum quidem sententia, & vt isti dicunt, nihil magis sit necessarium, quàm eiusmodi designatam ab Apostolo circumstantiam temporis credere, quòd Antichristus iam venerit. Itaq; prætermissis istis, ad aliud argumentum procedo.

D. HVNNIVS.

Dicit Aduersarius; cæteris falsitatibus à me aliud quoq; absurdum addi, ad id per distinctionem respondeo, dogma ipsum Thessalonicensibus voce traditum de Antichristo, tanquam articulus, credendum erat venturum nempè Antichristum, & regnũ regno Christi contrarium, in medio Dei templo, id est, in Ecclesia erecturum esse, & hoc tanquam articulus necessariò credi debet, Circumstan-

cumstantiam verò temporis, quam coram illis expressit Apostolus, credere debuerunt, & necessariò tanquam circumstantiam expressam eius voce, quem falsitatis arguere prophanum & impium est; ergo dogma debuerunt credere, tanquam articulum, circumstantiam verò tanquam circumstnntiam Apostolica voce illius reuelatam. Et quia circumstantia nobis in patefacto verbo scripto reuelata in specie non est, idcirco potuit Ecclesia, eam vsq; ad complementum prædictionis Apostolicæ, citra salutis dispendium ignorare. Secundò ad alterum respondeo, distinguantur tempora, & concordabunt scripturæ, nos non iam à priori, sed à posteriori scimus ex euentu nimirum & complemento vaticinij Paulini, quod nam fuerit tempus regni Antichristi, idq; secundum diuersa momenta molitionis ipsius. Itaq; circumstantiam illam nunc credimus, non quia olim ante impletionem vaticinij necessarium fuerit credere, quod in scripto verbo expressum non erat, Thessalonicensibus quidem necessarium erat credere, quia ex ore Pauli habebant, reliquis verò Ecclesijs, quæ non ex ore illius habebant; neq; illis ea circumstantia annunciata fuerat, hæ inquam non tenebantur ex necessitate salutis scire illam circumstantiam, dummodo dogma ipsum tenerent. Aliud autem est loqui de eo tempore, quo mysteria prædictionum antea clausa, post impletionem resignata & patefacta sunt. Quemadmodum Angelus Domini, Daniel. 12. disertissimè testatur, de ipso hoc vaticinio, de Antichristo, quod Danieli opus non sit, omnia in specie, quæ sub illo mysterio latebant, scire, sed reseruari plenam explicationem temporibus nouissimis, vbi resignandum sit mysterium, quod ad vsq; complementum obsignatum & clausum esse debeat.

D. TANNER.

Quæro an D. D. velit hæc rata habere, quæ dictauit, & deinde, an velit respondere in forma.

D. HVNN.

Volo, propterea adsum.

D. TANNER.

Si aliquod dogma necessariò à fidelibus credendum est, quod in sacra scriptura expresse non extat, nec inde euidenter deduci potest, tunc sequitur, quod sacra scriptura non possit esse vnica norma religionis & fidei; sed verum est ex dictis Antecedens; ergo & consequens.

D. HVNNIVS.

Resumpsit, ad maiorem respondens, illud (aliquid) determino ad dogmata & ad articulos, vt argumentum ad scopum dirigatur, qui est, an sacra scriptura sit vnica & sola norma, dogmatũ & cultuũ & articulorum religionis.

D. TANNER.

Si aliquod dogma fidei,&c.sit ita,addatur in maiore.

D. HVNNIVS.

Maiorem sic determinatam concedo, Minorem nego.

D. TANNER.

Dictum est, quod iam fidelibus credendum sit Antichristum iam aduenisse,tanquam dogma fidei,idq; ex circumstantia temporis ab Apostolo declarata; sed istud dogma,nec in scriptura apertè extat,nec inde euidenter per validam consequentiam vlla ratione deduci potest : Ergò verum est,quod ex dictis & concessis, aliquod dogma fidei, quod nec in scriptura extet,nec inde euidéter deduci queat, necessariò credendũ sit.

D. HVNNIVS.

Assumit Argumentũ; Itaq; minorem propositionẽ per distinctionẽ infringo.

D. TANNER.

Quid ad maiorem?

D. HVNN.

Primo Maior propositio *constat, si quid sub ea occultatum fuerit, postea declarabitur, quod mihi reseruo; Minorem autem quod attinet, Respondeo ad eam per distinctionẽ, à Daniele Propheta stabilitam, distinguendum est inter scripturam ratione prædictionum, adhuc obsignatam, & inter eandem per complementum prædictionum resignatam & apertam. Proinde, posteaquam circumstantia temporis, vna cum alijs quibusdam circumstantijs per resignationẽ scriptura, quæ facta est per euentum, iam patefacta est, non creditur illa circumstantia, nunc extra scripturam, sed ex eadem scriptura per collationem vaticinij, & euentus euidenter colligitur.*

D. TANNER.

Probo hoc euidenter falsum esse, non potest ex loco Thessalonicensium Epistolæ, capite secundo, nec ex vnico alio loco citato euidenter vllo modo colligi, etiam spectatis istis circumstantijs : ergò nec ex scriptura, nec ex vllo alio loco, seposita Ecclesiæ authoritate, poterit euidenter colligi; quod Antichristus venit.

D. HVNN.

Reassumpsit; Respondeo, quod ad modum, & gradus collectionis nostræ sequimur nos eum modum, & gradum collectionis, quem nobis Daniel allegato loco demonstrat; & respondemus ex perspicuis eius verbis, quod vaticinium de Antichristo, ratione circumstantiarum, tantisper debuerit esse mysterium, idq; clausum & obsignatum, donec vaticinium ipso euentu in postremis seculis adim-

adimpleretur. Jam ergò posteaquam vaticinium Danielis & Pauli per euentum suum resignatum & apertum est, nos attendentes singulas partes vaticiniorum ex ipsis locis deducimus per collationem oraculorum editorum, & subsecuta impletionis, Antichristum iam venisse, & quis ille sit, clarè patere, Id quod circa membrum distributionis aduersarij vltimum, per Dei gratiam demonstrare nobis constitutum est, neq; scimus, aut recipimus talem aliquam Ecclesiæ authoritatem, quam per continuam & frequentissimè iteratam petitionis principij, nobis Aduersarius inculcauit.

D. TANNER.

Negas ergo Minorem?

D. HVNNIVS.

Responde ad meam solutionem. Interim iudicium committo toti Auditorio, & vniuersæ Ecclesiæ.

D. TANNER.

Itidem an D. D. in forma responderit, & promissis satisfecerit, relinquo iudicandum.

D. IAC. HAILBRONNER.

Falsum est, hoc euidenter ex sacra Scriptura non colligi posse, quod Antichristus venerit: si enim impleta sunt vaticinia de Antichristo, certè Antichristus venit: sed impleta sunt vaticinia: ergò, &c.

D. HVNGERVS.

Liceat mihi aliquid afferre, si volumus ingredi illam disputationem de Antichristo, vtrum venerit, nec ne, per collationem locorum facilè poterit fieri. in illo loco citato, 2. Thessalon. 2. apertè habemus particulam: qui se extollit supra id, quod Deus est; quæro ego statim, extollit ne se iam aliquis hoc tempore super id, quod Deus est? dicit ne aliquis, ego sum maior Deo, & Christo?

D. HVNN.

Respondeo. disertè opponit D. D. particulum Pauli de Antichristo, quod se eleuaturus sit super ipsum Deum, hoc autem non impleri in Romano Pontifice: ergo non esse impletum à quoquam vaticinium illud; Respondeo, per deductionem ad absurdum: si mens est Domini Procancellarij, quod Antichristus, de quo ipsi disputant, expressè sit dicturus, ego sum superior Deo; dico, quod is Antichristus ne vnum quidem discipulum habiturus sit, sed omnes, vt mente captum, declinaturi, quandoquidem id etiam coram humana ratione absurdissimum, si quis homo, quem hominem esse constat, ex ipso aspectu sese profiteatur omnipotenti Deo superiorem; quod autem hæc circumstantia quoq; sit adimpleta, hinc apparet: qui mandata sua extollit suprà Dei omnipotentis mãdata

extol-

extollit se supra ipsum Deum. Iam verò is, quem nos dicimus esse Antichristum, mandata sua extulit supra mandata Dei omnipotentis: ergò hoc ipso sese extulit supra Deum ipsum.

D. TANNER.

Discipuli tui mirantur, quod non in forma velis respondere, cum tamen aliquando fueris intentissimus ad formam, teipsum infamas, & doctrinam tuam prodis.

D. HVNNIVS.

Ego realia respicio.

D. HVNGERVS.

Intelligo quid velis, sed non est necesse vt respondeam.

D. HVNN.

Minorem Syllogismi mei probo exemplo de Communione sub vna specie.

D. TANNER.

Quodlibeticè disputas Domine Doctor de quolibet, & quomodolibet; Dicimus hoc esse falsissimum, & iniuriosissimè dictum, & quòd Antichristus venerit, euidenter falsissimum esse dicimus, quod tu & Collegæ tui nunquam probabitis. Ostende mihi illum articulum in Augustana Confessione, si Carolo V. illum obtulissetis, haud permisisset.

D. HVNN.

Voluit respondere. Obijcit D. D. Augustanam Confessionem, &c. sed

D. TANNER.

Interpellauit, inquiens, Nihil ad rem.

D. HVNN.

Potes aliud Argumentum proponere, ita tamen vt reseruetur hoc vltimo membro vestræ distributionis.

D. TANNER.

Ad propositum redeundo, quod sola scriptura non sit norma, ita concludo; si sunt quædam necessaria fidei dogmata, necessariò à fidelibus credenda, quæ nec in scriptura extant apertè, nec ex ea euidenter deducuntur, tunc verum est, scripturam non esse vnicam normam omnium controuersiarum religionis; sed verum est Antecedens: Ergò & Consequens.

D. IAC. HAILBRONNER.

Reassumit, negat minorem.

D. TANNER.

Probo hoc primo exemplo; Necessariò credendum est fidelibus, quod

quod aliqui libri sint sacri & Canonici; sed hoc non continetur expresse in scriptura, nec inde euidenter deducitur; Ergo etiam aliquod dogma, nec expresse in scriptura contentum, nec quod inde deduci possit, necessario credendum est.

D. IAC. HAILBRONNER.

Heri responsum est, distinctione, inter articulos fidei ad salutem necessarios, quos omnes in Sacra Scriptura contineri constanter affirmamus, & inter historicam fidem, quæ respicit testificationem primitiuæ Ecclesiæ, quæ fuit tempore Apostolorum & Euangelistarum, quæ testatur hos libros, ab Apostolis & Euangelistis esse scriptos, nihil autem addit, aut aliquid noui constituit circa religionem & cultum, sicut ad Roman. 3. dicitur, Iudæis concredita sunt oracula Dei, inde tamen non sequitur, quod Iudæi possint aliquid noui addere ad verbum scriptum, aut aliquem articulum fidei constituere.

D. TANNER.

Respondeo, repetendo quod antè dicebam, nempe quod per testificationem primitiuæ Ecclesiæ Apostolorum sciam, quod iste vel iste liber, sit canonicus.

D. I. HAILBRON

Alia etiam sunt interna, & longè euidentiora critiria, quæ indicant manifestè, hanc scripturam à Spiritu Sancto profectam esse.

D. TANNER.

Dicat vtrum æquè certò, ac eadem fide Catholica debeamus credere, quòd hic vel ille liber sit canonicus, qua credimus, quod Christus sit incarnatus,

D. IAC. HAILBRONNER.

Vtrumq; est certò credendum, sed non est par ratio fidei.

D. TANNER.

Video vestram tergiuersationem; vos distinguitis inter fidem iustificantem & fidem historicam, sed quæro de illa fide Catholica, qua debemus credere articulos fidei.

D. HAILBRONN.

Vtrumq; est credendum.

D. HVNN.

Distinguendum est inter fidem, qua credimus sacrorum Bibliorum codicem esse canonicum, & inter fidem, quæ credit Incarnationem Christi, eadem quidem est fides Catholica, habet autem diuersa obiecta; hoc explicabo.

Kk D. TAN.

D. TANNER.

Nihil ad rem, neq; est opus explicatione.

D. HVNN.

Dico fidem illam Catholicam, quæ à semetipsa non distrahitur, diuersa habere obiecta. Unum est traditio historica, quæ traditio non tantum Ecclesiæ primitiuæ, sed etiam reprobatæ Judæorum Synagogæ suo modo attribuitur, sicut enim ab Ecclesia primitiua testificante, de scriptis Apostolorum accepimus, hæc vel illa scripta esse Pauli, Petri, Joan. &c. sic Synagogæ Iudaicæ concredita erant oracula Dei τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, Testamenta, Roman. 3. & 9. sicut ergò Iudaica synagoga reprobata à Deo, sua testificatione non adijcit dogma nouum vllum libris veteris testamenti, sic Ecclesia primitiua sua testificatione non adijcit articulum aliquem nouum, & peculiarem, aut sua testificatione dogma quoddam constituit; fides enim Catholica indistracta præter hoc obiectum historicæ traditionis, habet quoq; obiectum aliud, nimirum contenta in libris. Proinde sicut heri dictum, quemadmodum nuncius quispiam reddens litteras Principis subdito, & testificans, ex manu principis illas esse acceptas, hic sua testificatione in realibus quæ Princeps scribere voluit, ad subditum nihil adijcit, & subditus inspectis internis critiriis subsignatione manus, similiter & contentis in litteris, iam ex internis critirijs iudicat illas esse authenticas, vt testimonio nuntij porrò opus non habeat. Sic quoq; quando Ecclesia primitiua tradit scripturas Apostolicas subsequentibus Ecclesijs, & illæ inspectis originalibus, iam plena fide eas accipiant, & iam euoluunt librum ipsum apertum, siue scripturam apertam, & sic iam propter interna critiria, atq; simul propter obsignationem diuini Spiritus, Romanor. 8. credunt ab Apostolis ea esse profecta, tum Ecclesia primitiua apud hos in quorum animis, iam sancita est sacrarum literarum maiestas & authoritas, suo functa est officio, vt porrò non opus sit, inter Christianos disceptare, num hic vel ille liber sit huius vel illius Apostoli, sit canonicus, vel non canonicus. Ita satis abundè, & cumulatè satisfactum est Argumento.

D. TANNER.

Abundè & clarè vident omnes, quod hic Doctor tantum tergiverſetur, nihil ad formam, nec velit, nec possit respondere, & legem quintam euidenter transgressus sit; itaq; manet adhuc Argumentum, nulla ex parte conuulsum, quod repetiuit. Si est aliquod dogma fidei eadem fide Catholica credendum, qua articulus de incarnatione creditur, qui nec in scriptura extat, nec indè bona consequentia deducitur, tunc consequens

ſequens eſt, quod ſcriptura non ſit vnica norma omnium dogmatum fidei; ſed verum eſt Antecedens; Ergò & conſequens.

D. I. HAILBRON

Aſſumpſit. Iam antè ad illa omnia ſatis eſt reſponſum, illa diſtinctione allata, quam inſtantia declarabo.

D. TANNER.

Nihil ad propoſitum dictum eſt, ſed ludis operam, & fucum facis: Nam tantum dictum eſt, quod obiectum fidei ſit diuerſum, ideò & articuli diuerſi, quod ad rem nihil facit, non enim quæſtio eſt de diuerſitate obiectorum, ſed an ſit aliquod obiectum fidei Catholicæ, quod in ſcriptura non apertè contineatur, nec ex ea euidenter deducatur; Itaq, reſponſionem aliam expecto, aut omnes videbunt, quod Aduerſarij ad hoc argumentum nihil reſpondere poſſint, niſi tergiuerſando, & fucum faciendo.

D. I. HAILBRONNER.

Aduerſarij potius videntur tergiuerſari, & Auditoribus fucum facere, dum probaturi ſcripturam non eſſe normam, & admittendas eſſe traditiones, eam traditionem afferunt, de qua inter nos prorſus nulla eſt controuerſia. Probandum eſt; traditiones Eccleſiæ Romanæ eſſe eadem fide, & pietatis affectu recipiendas, qua ipſa ſcriptura; deinde non ſequitur ex hoc argumento, quod ſcriptura non ſit vnica norma, idq; exemplo Eccleſiæ, tempore Christi & Apoſtolorum probatur; tum enim neceſſario credendum fuit, ſcripta Moyſis & Prophetarum eſſe canonica, nihilominus Chriſtus & Apoſtoli illa vſurpârunt pro vnica norma religionis, Actor. 26. Paulus in ſua Apologia, coram Agrippa, teſtatur ſe nihil dixiſſe, extra ea, quæ Prophetæ & Moyſes dixerint; poſſent hæc multis exemplis demonſtrari.

D. TANNER.

Admittit ergò D.D. eſſe hanc traditionem præter ſcripturam credendam, & ita aliquam admitti traditionem?

D. IAC. HAILBRONNER.

Intellexi Dominũ Doctorem in confeſſo ſumere, quod admittam aliquam traditionem. Reſpondeo, ſi propriè de hoc negocio loquimur, non eſt traditio, ſed mera teſtificatio Eccleſiæ primitiuæ & Apoſtolicæ.

D. TANNER.

Quæro an aliqua traditio Eccleſiæ admitti debeat, cum vnam illam admiſerit Doctor Hailbronnerus.

D. IAC. HAILBRONNER.

Audiuerunt Auditores omnes, quid admiserim.

D. TANNER.

Hoc superest Argumentum; si est vel vnica saltem traditio, tanquam Articulus fidei credenda, quæ nec in scriptura expresse continetur, nec ex eà euidenter deducitur, tunc falsa est vestra opinio vniuersalis & illimitata; sed verũ est illud prius ex concessis; ergò & consequens.

D. J. HAILBRONNER.

Cum mera sit petitio principij, non opus est respondere, & miror, quod vrgeatur adeò hæc traditio, cum de ea inter nos non sit controuersia, vtrinq; enim Sacram Scripturam accipimus.

D. TANNER.

Concede, nega, aut distingue, annè illa traditio sit credenda tanquam articulus fidei, quæso D.D. Hunni, iuua tuum Collegam.

D. HVNN.

Respondeo per distinctionem, quod pari quidem fide credendum sit, hos vel illos libros esse canonicos, idq; non modo propter testificationem Ecclesiæ, sed & propter interna critiria, nihilominus verò, non conficitur hinc, quod illa testificatio, licet necessariò credenda sit, sit pars quædam verbi diuini, siue articulus & caput doctrinæ christianæ. Quod simili principis & subditi prius ostensum & declaratum est, & Ecclesiæ Judaicæ exemplo, & Onesimi, pertinet hoc ad historiam, quod hæ vel illa Epistolæ à Paulo scriptæ sint, non autem constituit peculiarem fidei articulum. Constat historia, quod hæ vel illa Epistolæ à Paulo scriptæ sint. Constat igitur discrimen inter traditionem dogmaticam directam ad ipsos articulos & caput doctrinæ, & inter testificationem historicam Ecclesiæ, de his vel illis libris, aliàs qualibet Ecclesia adiecisset nouum articulum fidei, cum tamen multa credenda sint, ex quibus non licet procudere articulos fidei.

D. TANNER.

Notetur hoc, rursus conatur id ipsum quod dixit, retexere & negare, quod traditiones eiusmodi, constituant articulum fidei.

D. HVNNIVS.

Credendum est, non sicut articulus fidei, sed vt testificatio historica, & necessariò; per illam autem testificationem dico non adijci nouum dogma, nam aliàs Onesimus sua testificatione fecisset articulum fidei, quod simpliciter negamus.

D. TANNER.

Videant Auditores, quàm inconstantes sint Aduersarij in suis articulis defendendis, cum antea dixerint, articulum illum esse fidei, iam denuò negant; vnde loquendo de hoc dogmate videlicet, quod iste vel iste liber sit canonicus, si credendum quidem est necessariò, non tamen vt articulus & dogma fidei, sed fide tantum historica, sicut credimus esse Romam, & fuisse Ciceronem, eò tandem adigemur, vt tanquam prorsus Turcæ & Infideles, omnem nostram fidem penitus abnegemus, si enim ita est, non esse articulum fidei; Ergò citra hæresim, & citra fidei violationem potero negare, hæc esse Biblia: Atqui hoc est absurdum: ergò &c.

D. HVNNIVS.

Respondeo, quod dictum est de Testificatione historica, vigore illius necessariò credendum nobis esse, libros Apostolorum canonicos esse, vel ab hoc, vel ab alio Apostolo scriptos, iterum atq; iterum prouoco ad Protocolon. Quod autem Aduersarius ex historica testificatione architectatur peculiarem articulum, id multoties iam protritum & refutatū est similibus & exemplis. Quod de Cicerone & illius libris ait, dico primitiuæ Ecclesiæ esse testificationem longè sanctiorem, quàm sit testificatio de prophano quodam libro; Et obseruandum est, quod Ecclesiæ testificatio solitaria non sit, nec illa sola nos inductos credere libris, qui continentur in Bibliorum volumine, sed euolutos propter maiestatem loquentis in illis Dei, & vestigia cœlestis veritatis ibidem expressa, ex critirijs internis agnoscere, quod scriptura illa planè sit sacrosancta, & canonica. Itaque quod Epistola ad Romanos sit Pauli, habemus ex Ecclesiæ primitiuæ testimonio, quod autem sit sacrosancta, canonica, & fidei regula, id non ex testificatione Ecclesiæ, sed ex internis critirijs habemus & desumimus.

D. TANNER.

Maiusculis literis notetur, quod D. Hunnius dicit, non esse articulum fidei, quod omnes libri in Biblijs sint Canonici, iactant verbum, verbum, & tamen non credunt.

D. HVNNIVS.

Non est hoc negatum, quod sit de fide, aliud est, quando quid creditur, vt historia certa, cui fidem derogare nefas sit, aliud vicissim est, cum quid creditur vt dogma, & articulus religionis: Declarabo rem illustri exemplo, Genes. 38. Legitur historia de incestu Iudæ, cum Thamar nuru sua, quando aliquis historiam suam legit, tenetur ex fidei ratione credere, quod vera sit historia, si quis verò eam historiam dicat esse peculiarem articulum fidei, non rectè facit.

D. TANNER.

Notetur, negat esse articulum fidei, historiam de incæstu Iudæ.

D. HVNNIVS.

Quæro, an omnes articuli fidei omnibus Christianis scitu sint necessarij?

D. TANNER.

*sed an Tua explicatio est falsa, & non iam de illo quæstio est, * an quod Biblia sint canonica, sit articulus fidei ab omnibus credendus, si quis enim hoc neget, negabit se Christianum esse.

D. HVNNIVS.

Demonstratum est, illustri & inuicto exemplo, quod aliquid tanquam historica narratio de fide credendum sit, licet non sit fidei Christianæ caput, atq; articulus, idque sic probo. Omnes omninò articuli fidei omnibus Christianis necessariò noti esse debent; at verò historia de incæstu Thamar & Iudæ, non est scitu necessaria omnibus omninò Christianis, sunt enim innumeri Christiani, qui eam historiam ignorant: ergò historia illa non est articulus fidei, licet de fide tanquam ipsiusmet spiritus sancti narratio credenda sit his, qui eam historiam ex Biblijs audiunt, aut legunt.

D. TANNER.

Nego maiorem, nego.

D. HVNNIVS.

Habes ergò aliquos articulos fidei, quorum cognitione carere potest Ecclesia?

D. TANNER.

Aliud est Ecclesia, aliud singuli Christiani seu fideles.

D. HVNNIVS.

Negant Aduersarij, quod omnes articuli fidei singulis Christianis scitu sint necessarij. Nos quidem contrarium tenemus, videlicet omnes articulos fidei, qui articuli sunt & dicuntur, & dogmata, debere omnibus Christianis & singulis esse nota, cum hac distinctione, quod videlicet inter infantes & inter hos qui discretionis annos attigerunt, necessariò distinguendum sit. Quod autem omnes articuli Christianis omnibus scitu necessarij sint, id per inductionem omnium articulorum probari potest, siue sumamus articulos in Symbolo Apostolico scriptos, siue articulos in Prophetarum & Apostolorum scriptura comprehensos, nullus est, qui Christianis non sit scitu necessarius; & si placet, faciam inductionem cum clausula, quod exemplum dissimile reperiri nequeat, vbi secundum Iesuiticam Dialecticam vobis incumbet probationis onus. Articulus

lus Creationis, Incarnationis, prædestinationis, Redemptionis, de Ecclesia, bonis operibus, Iustificatione, fide, & alij omnibus Christianis sunt necessarij scitu, nec vllum dissimile exemplum potest reperiri: Ergò omnibus omninò Christianis omnes articuli fidei necessariò sunt credendi, salua distinctione infantum & adultorum.

D. TANNER.

Centum possunt dari articuli pro vno, qui non omnibus & singulis Christianis, distinctè, speciatim & absolutè sint credendi, hoc est, quando illis non proponuntur ab illo, qui habet authoritatem. 2. Genes. dicitur, fons ascendebat de terra. Item Tobiæ 6. dicitur, quod Tobias secum duxerit canem, id ergò omnibus fidelibus necessariò credendũ est?

D. HVNNIVS.

Estne ergò Articulus fidei, quod canem secum duxerit Tobias?

D. TANNER.

Maximè, Maximè, maximè.

D. HVNNIVS.

Notetur, quam monstrosos vos habeatis articulos fidei.

D. TANNER.

Notetur hoc, monstrosum esse hunc articulum, qui tamen est expressus in libro Tobiæ.

D. HVNNIVS.

Non negaui narrationem esse historicam, sed esse articulum fidei.

D. TANNER.

Estne hæreticus ille, qui negat historiam illam?

D. HVNNIVS.

De fide certa est, sed hoc quæritur, an id de cane Tobiæ cum illo currente, mouente caudam, sit articulus fidei.

D. TANNER.

Quæritur, an tu neges, & an sit hæreticus, qui negat illud?

D. HVNNIVS.

Distinguendum est; primo quod attinet librum Tobiæ, de eo adhuc posset quæri, an sit canonicus, sed esto, concedatur hac vice, esse canonicum, distinguimus tamen apertè inter historicam narrationem, quæ vera est, quam qui negat, is est hæreticus, quia spiritui sancto contradicit, præsupposita authoritate libri Tobiæ; at si materiam quæstionis spectes, de cane currente cum Tobia, quod hæc particula sit articulus fidei, id verò manifestè negamus.

D. TAN-

SESSIO DVODECIMA.

5. Decembris. Anno 1601.
25. Nouembris.

Hora secunda pommeridiana.

D. TANNER.

COEpimus hodiè aggredi secundam classem argumentorum, quibus nempe probaremus, scripturam non esse vnicam normam Controuersiarum religionis, sed prætereà requiri, & necessariò admittendas esse traditiones non scriptas, hoc est, quæ neq; in scriptura apertè extant, nec ex ea, seposita authoritate infallibili Ecclesiæ, euidenter deducerentur; ad quod institutum probandum, vltimum illud argumentum propositum est.

Si sunt aliqua necessaria fidei aut morum dogmata, quæ in scriptura apertè non extant, nec ex ea euidenter deducuntur, seposita authoritate infallibili Ecclesiæ, tunc necessariò quædam traditiones non scriptæ admittendæ sunt. Atqui verum est antecedens: Ergò & consequens. Ad hoc Argumentum cum Minor negata esset, probata est vnico illo exemplo de traditione illa Ecclesiastica, qua scripturæ canon nobis innotescit, & tanquam articulus quidam fidei, omnibus credendus proponitur; hîc cum nunquam responderent Aduersarij ad formam, varijs modis tergiuersati sunt, nunc asserendo, esse ab omnibus eiusmodi Traditionem, non minus quàm mysterium Incarnationis, catholica fide credendum, nunc rursus dicentes historica fide esse credendum, atque adeò negantes articulum esse fidei, satis ostenderunt, sibi impossibile esse, hunc nodum aliqua probabili responsione dissoluere. Vt igitur hoc exemplo relicto vlterius progrediamur, aliud iam profero, ex quo similiter idem intentum demonstratur, nempe articulos quosdam ad fidem seu cultum religionis spectātes, necessariò ab omnibus accipiendos esse, qui tamen in scriptura non extant, nec ex ea euidenter deducuntur, seposita authoritate Ecclesiæ, est autem hoc argumentum. Paruulos esse baptizandos, necessariò tenendum est à fidelibus; Atqui hic articulus nec in scriptura expressè extat, nec ex ea euidenter deduci-

nec doceri, nec credere possunt: Ergo sequiturr, quod Christus non præceperit paruulos baptizari, sed potius contrarium colligi ex verbis videtur. Quod ad illud Ioann. 3. Nisi quis &c. debemus vnum locum scripturæ cum alio componere. Itaquè cum Christus alio loco se se explicet, quos & qua ratione baptizari præcipiat, debemus locum illum generalem declarare per alium specialem. Declaro hoc simili, Ioann. 6. Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis &c. Ibi Christus generalem propositionem asserit & vniuersalẽ, & tamen ibi non deducitur de paruulis, nec ex illo loco colligitur paruulos debere filii hominis carnem comedere. Deinde ex Actis non euidenter colligi posse affirmo, paruulos in familiis illis fuisse, aut si fuerint, baptizatos & nullum exclusum esse; quia neutrum est euidens, quasi verò aliqua familia non possit esse sine paruulis? Itaq; seposita authoritate Ecclesiæ, minimè possumus colligere ex scriptura paruulos esse baptizandos.

Ad analogiam de Circumcisione respondeo: quod si eiusmodi analogiæ in omnibus stare vellemus, deberet etiam colligi, non nisi ad octauum diem paruulos esse baptizandos, & puellas omnino nõ esse baptizãdas, quia illæ non fuerunt circumcisæ: Ergò ex illa analogia nihil certi colligere possumus.

D. IAC. HAILBRONNER.

Respondeo primo quidem ad mandatum Christi de baptizandis omnibus gentibus; Repetit illius responsum; ad maiorem respondeo. Christus non iussit duntaxat eos baptizari, qui doceri possunt, sed in genere iussit docere & baptizare, pro ratione scilicet & qualitate personarum. Idcirco quando parentes susceperunt religionem Christianam, tunc non solùm ipsi, sed & illorum familia suscepit Baptismum.

Secundò, minorem nego, nam Christus Matthæi, 18. testatur expresè, paruulos quoq; in se credere. Ergo etiam seposita Ecclesiæ authoritate, ex illo dicto sequitur, non tantum adultos, sed etiam infantes esse baptizandos.

Tertio, ad alterum dictum, instantiam scilicet allatam, respondeo, dictum illud Ioann. 3. nequaquam tantum ad adultos esse restringendum, nam vniuersalis, nisi quis renatus fuerit &c. Item, quod ex carne nascitur &c. necessariò infantes includit. Ergò ex illo loco euidenter colligitur, omnes illos sacramento regenerationis egere, qui ex carne nati sunt, etiam seposita authoritate Ecclesiæ, & idcircò etiam infantes esse baptizandos.

Quarto, In dicto Ioann. 6. non agitur de cœna Domini, sed de spirituali

manducatione, adeoq; de fide, quæ fides infantibus quoq; ad salutem est necessaria, sine qua Deo nemo placere potest.

Quintò, ad loca illa, quod Apostoli totas familias, & cum illis etiam infantes baptizarint, dico, etsi expressè non fiat mentio paruulorum, non legitur tamen paruulos vllos fuisse exclusos, cum plerumq; in familijs sint paruuli.

Sexto, De analogia Circumcisionis, Respondeo: non dixi in omnibus sequendam esse, sed quia sacramentum illud veteris testamenti, fuit diuino mandato paruulis etiam communicatum, quid prohibet, quo minus sacramentum illud regenerationis, paruulis quoque noui Testamenti communicetur? quia ad Coloss. 2. Christi circumcisio vocabatur Baptismus. Id quod etiam S S. Patres probarunt, Augustinus inter illos. Constat igitur etiam seposita authoritate Ecclesiæ, qua pædobaptismus non nititur, illum euidenter ex scriptura posse deduci.

D. TANNER.

Non nego posse probabiliter colligi, sed euidenter, seposita infallibili authoritate Ecclesiæ, deduci posse, omninò nego; quoad analogiam illam, facilè concedo esse analogiam, sed inde non probatur euidenter, quod sicuti, secundum illam analogiam in veteri testamento, paruuli sunt circumcisi, ita in nouo testamento baptizari debeant. Et nulla ratione potest ex scriptura euidenter probari.

Secundò quod ad familias illas baptizatas attinet, ipse fatetur quidem, non posse euidenter constare, an in illa familia fuerint etiã paruuli, quibus ipse se prodit, ex illis locis id non posse deduci. Loca Ioannis & Matthæi. 28. quod attinet, Respondeo. Ad id, quod ego dicebam Christum apertè non jubere baptizandos esse aliquos, nisi eos, qui doceri possunt, dicit hoc ex illo loco non colligi posse. Sed contrarium patet ex verbis; Euntes docete omnes gentes, item, docentes eos seruare omnia &c. Vbi Christus eosdem jubet baptizari, quos jubet doceri, atqui doceri paruuli non possunt; ergò paruuli apertè baptizari à Christo non jubentur.

Tertiò, ego similiter argumentabar, eos tantum baptizandos juberi, qui crederent, paruuli verò non credunt &c. Respondit ipse, negando minorem, & asserendo, paruulos credere; vbi cum expectarem, vt mihi per euidentem demonstrationẽ probaret, ex hoc loco, paruulos esse baptizandos, ipse tantum abest, vt euidentem faciat illationem, vt mirabile potius paradoxum, non tantum non euidenter verum, sed

potius

potius euidenter falsum, ad eiusmodi conclusionem inferendam astruat.

Locum Ioannis quod attinet, vniuersalem esse fateor, verba ibidem non limitari; atqui aliquis Anabaptista assereret, limitanda esse, ex dictis Matth. 28. qui nulla euidenti deductione ex scripturis, seposita authoritate Ecclesiæ, conuinci posset.

Vltimò, de Patribus quod dictum, illos pædobaptismum euidenter collegisse ex scriptura, idq; confirmatum authoritate S. Augustini, euidenter falsum quoque est; contrarium enim non solum Augustinus asserit, sed etiam Origenes, cap. 6. Epistola ad Romanos. Augustinus lib. 10. de Genes. ad literam, cap. 23. Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda, neq; vllo modo superflua deputanda, nec omninò credenda est, nisi Apostolica esset traditio.

Origenes. Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis baptismum dare.

Experti sunt hoc ipsum quoque in quadam disputatione Basileensi Aduersarij, cum contra Anabaptistas disputarent, & eos aliundè quàm ex traditione non scripta, non conuellere possent. Vt scribit Ioannes Gastius Lutheranus. Quod ad locum Matth. 18. attinet, isto loco euidenter contrarium ostenditur, nam in hoc loco, Christus de illis paruulis loquitur, qui scandalizari, & malo exemplo offendi possunt; sed paruuli infantes scandalizari aut offendi non possunt; ergò non loquitur de infantibus, sed alijs paruulis, præsertim in fide.

D. HAILBRONN.

Obiecit D. D. Analogiam circumcisionis & Baptismi ex Sacra Scriptura non posse probari euidenter, Ego verò euidenter ex Sacra Scriptura Analogiam illã probo, ad Col. 2. vbi Apostolus ait, in quo circumcisi estis, circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis. Ibi Apostolus ipse ponit illam Analogiam, quando duplicem constituit circumcisionem, alteram veteris, & alteram noui Testamenti. Analogia in eo consistit, quod Baptismus successit circumcisioni veteris Testamenti. Sicut igitur in veteri Testamento paruuli per circumcisionem fuerunt recepti in gratiam, ita per Baptismum in nouo Testamento recipiuntur in fœdus gratiæ diuinæ infantes noui Testamenti.

In mentione familiarum non fuisse factam mentionem paruulorum, &c. Repeto priorem responsionem, & ostendi cupio, quod nulli in illis familijs fuerint paruuli, aut omnes, seu aliqui à Baptismo exclusi, & quamdiu id non ostenditur, tamdiu valet consequentia.

Et Pædobaptismus probatur non modo ex his, sed ex alijs.

Ad locum Matthæi. 28. Respondeo. In græco textu habetur μαθητεύσατε id est, discipulos facite, discipuli autem fiunt non per doctrinam tantum, sed etiam per sacramentum initiationis, quod est Baptismus. Ita vt huic Christi mandato satisfiat, quando paruuli fuerūt baptizati; etiamsi ergò per doctrinam infantes non fiant discipuli, tamen per hoc sacramentum initiationis fiunt: Huc accedit, quod Euangelica historia testatur, Luc. 18. Marc. 10. quod Christus ipse paruulis promittat regnum cœlorum, quibus autem regnum cœlorum promittitur, illis & sacramentum id per quod recipiuntur in consortium regni Dei, non est vllo modo negandum. sed paruulis promittitur regnum cœlorum. Ergò non est negandum illis sacramentum Baptismi. Ad locum, Ioan. 3. nihil responsum: quia nostra consequentia adeò manifesta est, vt nullo modo negari possit. Repetendus est Syllogismus, qui talis est. Quicquid ex carne natum est, regeneratione indiget: Infantes ex carne nati sunt: ergò regeneratione indigent: Nullum autem est aliud, tempore noui Testamenti, regenerationis sacramentum, quàm Baptismus: Ergò necessariò baptizantur infantes.

Quod Dominus Doctor putat pædobaptismum magis niti Ecclesiæ authoritate, quàm scripturæ testimonio, aut inde deducta euidenti consequentia. Respondeo: nos ea in re in Ecclesiæ authoritate tutò non posse acquiescere, si destitueremur testimonio Sacræ Scripturæ, nam ex antiquorum Patrum, præsertim Cypriani scriptis constat, infantibus quoq; Eucharistiam fuisse porrectam. Iam si Ecclesiæ solius authoritatē sequi deberemus, sequeretur etiam infantibus esse porrigendā Eucharistiā. Quod ad Patres attinet, scio quod Augustinus non tantū ex traditionibus, sed etiā principaliter ex Sacra Scriptura probet, illū pædobaptismum, inprimis ex dicto Ioann. 3. quem locum vehementer vrget. Deinde etsi Origenes & Augustinus pædobaptismum traditionem vocant Apostolicam, non tamen sequitur esse non scriptam traditionem, nam etiam scriptæ traditiones Apostolicæ extant, Paulus ipse suam doctrinam scriptam traditionem vocat priore ad Corinth. 11. Tradidi vobis quod à Domino accepi, &c. vbi loquitur de cœna dominica, cuius institutionem ab ipso Domino acceptam tradidit in eadem epistola, cap. 15. Tradidi vobis inprimis, quod Christus mortuus est, &c. non intelligitur non scripta, sed scripta traditio, quæ pridem viua voce prædicata, deinde scripta fuit. Quod deniq; ad illam disputationem Basileensem attinet, memini quidem illam disputationem à me visam, deprehendi autem nostros cōtra Anabaptistas vsos fuisse illis argumentis, ex sacra scriptura do-

desumptis, quia Anabaptistæ nō curant Ecclesiæ traditiones, & non passi fuissent se ex istis cōuinci. Nostrā hanc sententiam de fide paruulorū, vocas paradoxū, quod sanè mihi mirū videtur; probare conatur quidem aduersarius fidē paruulorū ex dicto Matth. 18. non posse probari. Respondeo: fuit quidem puer ille quē Christus ibi in medium statuit, grandiusculus, vt scandalizari potuerit, Christus autem loquitur indefinitè de omnibus infantibus, & pueris in genere, quando eo ipso loco dicit; non est voluntas Patris mei, vt pereat vnus de pusillis istis, Luc. 18. allata fuerunt τὰ βρέφη *hoc est, infantes pendentes adhuc de vberibus matrum; illos quoq; ad se vocat Christus.*

D. TANNER.

Multas audio glossas, sed nullam euidentem audio consequentiam. nam quod ad illam analogiam, Apostolus rectè quidē dicit, sed nusquam explicat analogiam in hoc existere, vt quemadmodum in veteri Testamento infantes fuerunt circumcisi, ita etiam in nouo testamento infantes sint baptizandi; imò Apostolus mentionem facit de Baptismo adultis collato, ita enim ait, videte ne quis vos decipiat, &c. (legit textum) vbi sanè Apostolus semper de adultis loquitur, & nunquam explicat analogiam in hoc existere, de quo dixi. Deinde de familiis baptizatis dicit D. D. si nos non possimus euidenter ostendere, quod ibi non fuerint paruuli, tunc euidenter sequi, quod ibi fuerint & fuerint equidem baptizati; sed pulchra sanè hæc consequentia, quā legenti discutiendam relinquo.

Circa locum Matthæi 28. vbi dicitur, docete omnes gentes, baptizantes, &c. dicit in græco non extare, docete, sed μαθητεύσατε Atqui D. D. tametsi ibi non sit illa particula διδάσκειν, est tamen statim infrà, & subiungitur & refertur quidem hæc ipsa particula ad eosdem, de quibus dixerat, esse baptizandos; manet igitur argumētum firmū. Quod dicit mirari se, quod illud de fide actuali paruulorum, sit mihi paradoxum, mirum, si cui prudenti non videatur mirabile, infantes dum baptizantur, actualem habere fidem, & credere, cum, si hoc ita esset, à sacrilegio excusari non possent, vtpote qui baptismo reluctari tantis viribus conentur; hoc non est demōstrare ex scriptura, paruulos esse baptizādos. Nemo prudēs potest sibi persuadere, quod paruuli credāt, qui manibus & pedibus reluctētur baptismo. Quod dicit ex loco Matth. 18. vniuer-

uerſalem eſſe propoſitionem; non eſt voluntas Patris, &c. concedo quidem, Deum vniuerſaliter velle, vt quantum eſt ex parte Dei, paruulus nullus pereat, attamen inde non ſequitur euidenter; ergò hoc determinatum remedium baptiſmatis illis eſt adhibendum, quemadmodum hoc facile concedet D. Hunnius, qui ſemel aſſerere auſus eſt, paruulos ſine Baptiſmo decedentes ſaluari. Itaq; nec illa argumentatio ex Ioan 3. euidenter rem conuincit; eſto enim, quod omnis, qui ex carne natus, regeneratione indigeat, attamē nunquam euidenter conuincitur: ergò non niſi per talem modum regenerari debet, ob eandem, vt dixi, cauſam, iudicent Auditores.

D. IAC. HAILBRONNER.

Quid de authoritate Eccleſiæ?

D. TANNER.

Dico eſſe tutiſſimum eam ſequi, quia eſt columna & firmamentum veritatis. Quod dicit, Eccleſiā aliquando decreuiſſe etiā Euchariſtiā quoquè eſſe communicandam infantibus * primò enim conſuetudo hæc particularis fuit, non vniuerſalis. Deinde non poteſt conuinci quod Africana Eccleſia in eo peccârit.

*nihil obſtat

D. HVNN.

Quoniam D. D. in ſua commentatione inter cætera, mei quoq; mentionem fecit, exiſtimo mihi anſam ſuppeditatam, ad ea quæ replicando propoſuit Aduerſarius, reſpondendi, tametſi ad ea ſimul omnia ante me Dominus collega meus ſufficienter reſponderit.

D. TANNER.

Si ſufficienter reſponſum, volumus ergò relinquere.

D. HVNNIVS.

Quia ipſe cupis abrumpere diſputationem circa hunc locum, ſeu argumentum, ideò vnum duntaxat, & alterum monebo.

Diſputatum eſt de loco, Matth. 28. & dictum ab Aduerſario, quod ex verbis contrarium potius colligi videatur, ſepoſita authoritate Eccleſiæ, videlicet docendos prius eſſe, qui baptizantur, quia verò Infantes doceri non poſſint, ideò nec baptizandos illos eſſe, ſed rectè vrſit Dominus Collega meus, verbū gracū **μαθητεύσατε**, *id eſt, facite diſcipulos omnes gentes; hoc genus eſt, iam genus illud ſpargitur in ſpecies, quomodo debeant Apoſtoli facere diſcipulos. Sequitur ergò in ſpecie, primò, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: Secundò docentes eos ſeruare omnia, &c. Proinde ſi ſeriem verborum ſpecte-*

mus

mus, magis concluditur ex ipsa illa serie, baptismum præcedere oportere doctrinam, & doctrinam subsequi, quandoquidem non potest illud διδάσκοντες seu μαθητεύσατε tantummodò referri ad doceri, cum simpliciter significet, discipulos facere, & infantes quidem fiant discipuli Ecclesiæ per lauacrum regenerationis, quo mediante, inseruntur Ecclesiæ, adultiores autem per doctrinam & institutionem. Hinc videt Dominus Doct. quod ex serie verborum Anabaptistæ nihil possint contra afferre. Alterum est, quòd potissimum vrgendum est, videlicet testimonium, Ioan. 3. quod enim eo ipso testimonio Anabaptistæ quoque validè possint reuinci, docet contextus verborum Domini, sic enim cohærent; Amen, Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu, non introire in regnum Dei. Vniuersalem propositionem Saluator in medium proponit, & simul regenerationis illius medium notanter assignat, Spiritum, videlicet tanquam causam efficientem, & aquam, tanquam medium, siue instrumentalem causam, per quam Spiritus Sanctus operatur. Iam cum Anabaptistæ obijciunt, hunc locum non pertinere ad infantes, quia Christus tunc loquitur cum Nicodemo qui prouectioris erat ætatis, ibi ex connexione indistracta redarguuntur, hunc in modum; Nisi quis renatus fuerit, &c. Quod natum est ex carne, caro est, &c. agit ergo Saluator de duabus natiuitatibus, quarum altera ex parentibus peccato originali vitiata, & polluta est, vt nisi alia natiuitas, alia regeneratio accedat, quæ nimirum fiat ex aqua, palàm pronunciet, non posse tales ingredi regnum cœlorum.

Quæritur ergò iam, quando Nicodemus fuerit ex carne natus? certè non, non demum in prouecta ætate, sed in ipso vestibulo suæ infantiæ. Itaque his verbis ad ipsosmet infantes digitum intendi indubitatò colligitur, siquidem illa natiuitas ex carne, non contingit, nisi infantiæ. Et proinde tenentur infantes huic quoque dicto Saluatoris Christi inclusi; & conficitur hinc, quod secundum ordinariam Dei operationem vniuersalis sit propositio Christi; Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, &c. Excipi verò dicimus casum necessitatis, de quo in Prima sessione sufficienter & abundè dictum est. Quod autem existimat D.D. Infantes carere fide, nec actualis fidei esse capaces, & quod arbitratur sentire nos, quod Infantes baptizentur, quia credant, dicimus vtrunque nobis minimè probari. Nam quod prius attinet, demonstratum est, infantes etiam esse actualis fidei capaces, per virtutem operantis Dei, quia enim infantes regenerantur per Baptismum, qui definitur lauacrum regenerationis, sequitur, quod per baptismum suum, simul & vnà cum regeneratione, fidem infallibiliter concipiant. Quandoquidem regeneratio sine fide nihil est, & vicissim fides sine regeneratione, non est fides vera saluifica; Et proponit scriptura apertum exemplum

Joannis Baptistæ, quo euidenter ostenditur, paruulos etiam virtute operantis Dei actualis fidei esse capaces. Nam Joannes adhuc in vtero matris delitescens, iuxta vaticinium Gabrielis, repletus est Spiritu Sancto, & præ gaudio exultauit ob aduentum saluatoris sui, itidem in vtero matris latitantis, quæ exultatio sine actuali fide nullo modo poterat consistere. Quod ergò Deus extra suum communem ordinem operatus est in Joanne, virtute immediata sua, id ordinariè operatur in infantibus, qui ad baptismum perueniunt, vt regeneret eos, & in illa regeneratione fidem in cordibus ipsorum accendat, quantumuis nobis minimè constet, quæ sit eius actualis fidei ratio, sicut constare nobis non poterat ratio & modus actualis fidei in Joanne Baptista adhuc infante, nisi quatenus ea fides, per Symbolum exultationis in vtero sese protulit. Et stat inuicta illa sententia, impossibile est placere Deo sine fide, Hebræor. 11. Idcircò infantes aut sunt ex credentibus, aut non credentibus, nam Christus totum mundum distribuit in credentes & non credentes; Et credentibus quidem salutem promittit, non credentibus autem damnationem dicit. Proinde nisi velimus infantes locare in classem damnandorum, necessariò dicamus oportet, ipsos non ex non credentium, sed ex credentium numero esse, Joan. 3. Itaq; sicut vobis videtur paradoxum esse, statuere de fide paruulorum, sic nobis quoq; paradoxum videtur, quod infantibus actualem fidem derogare velitis, quam puto ex scripturis allatis satis probari. Nam quandò baptizantur, regenerantur, & fidem accipiunt.

D. TANNER.

Conatur D. D. nobis persuadere, quod paruuli qui baptizantur, actualiter credant; pulchra sanè argumentatio, quasi Apostolus dixerit, sine fide actuali nemo omninò Deo placere potest; deinde quia distribuantur omnes in duas classes, quarum vna credentium actualiter & saluandorum; altera, non credentium & damnandornm; quasi verò non similiter in duas quoquè classes distribuantur iudicandi, quarum vna sit pascentium esurientem, & potantium sitientem Christum, & ideò saluanuandorum; altera verò non potantium, neq; pascentium esurientem aut sitientem Christũ, & ideò damnandorum. Sicut ergò hæc vana est ratiocinatio. Iudicandi in duas partes distribuuntur. Ergò paruuli quia nõ potant sitientem Christum, nec pascunt esurientẽ, damnandi erunt. Intelligitur ergò, distribui quidem iudicandos aliquando in duas classes, sed

de adultis esse mentionem; neq; certè ante crediderim, paruulos actualiter credere, quàm D. D. vel sua experientia, vel alterius exemplo mihi demonstret, an suæ eiusmodi fidei recordetur: exemplum S. Ioannis Baptistæ extraordinarium est, vt ipse fatetur, atq; adeò ad probationem minimè adducendum. Progrediamur ad alia.

D. HVNN.

Dominus D. vnam hanc particulam meæ responsionis oppugnat, qua dixi, infantes per lauacrum regenerationis, consequi virtute operantis Dei fidem actualem, Et putat locum, Hebr. 11. huc non pertinere, sed ipsa littera clara est, sine fide impossibile est placere Deo, quod de solis adultis minimè accipiendum est, sed vniuersim de omnibus; propter hanc euidentem causam, quia Christus, in quo placemus Deo, non aliter quàm per fidem apprehenditur, & sine fidei manu, Christus nobis manet otiosus. Hoc primum est.

Deinde distributionem hominum descriptam. Marci 16. similiter oppugnat instantia quadam, qua Matth. 25, totus mundus distribuatur in classes duas, alteram, pascentium & potantium Christum, & ideò (inquit) saluandorum: alteram verò non pascentium & potantium, atq; sic damnandorum. Quod autem magna sit disparitas distributionis vtrobiq;, hinc manifestum est, quod Marc. 16 toti ordini damnandorum incredulitas attribuitur, toti autem ordini saluandorũ fides attribuitur, vtpote sine qua, in iudicio illo Dei, placere Deo impossibile sit; & quod de dicitur passione, (vt sic dicã) siue de beneficentia in Christũ collata, ratione membrorum eius, quod hæc actio non possit ad omnia & singula indiuidua saluandorũ accommodari, ne quidem inter adultos. Hinc patet, quia pauperes non sunt hi, qui pascunt alios, sed qui pascuntur. Voluit verò nihilominus saluatos generatim licet non singulatim demonstrare, quod fides vera & saluifica non sit, sed planè mortua, & inanis persuasio fidei in his, qui cum potuerint per facultates & opes benefacere pauperibus, tamen id facere neglexerint; è contra verò, per præstitã beneficentiam apud eos, qui saluantur, fides ipsorum illustrata & declarata sit per effecta, quod non mortua, nõ inanis fuerit fides, sed per dilectionẽ operans sit (ἐνεργουμένη *) Gal. 5. Ita quidẽ vt fides eadẽ numero habeat geminã actionẽ (energiam) vnam quidẽ definitã relatione ad Christũ, & eatenus saluificat; alteram verò energiã, qua fides descendit ad beneficentiã pauperum, atq; hoc respectu non agit cum Deo, in negotio salutis, sed cum proximo, quatenus per charitatem efficax est. Quia verò nihilominus vna est, eademq; fides, licet operatio sit gemina, idcircò fidei eorum, qui approbârunt illam per effecta, tribuetur æterna salutis possessio, licet non propter hanc energiam, qua ad*

proximum descendit, sed respectu prioris operationis, qua ad Deum & Dominum Iesum Christum assurgit.

Exemplum Ioannis est quidem eatenus extraordinarium, quod in Ioanne Baptista fides accensa est, non per ordinarium sacramentum initiationis, sed cum adhuc in vtero esset, per immediatam virtutem operantis Dei, aliâs congruit ad præsentem statum. ; quatenus eo firmiter demonstratur, infantes quoq; actualis fidei, per operationem Dei, esse capaces, quæ in Ioanne extraordinaria fuit; In paruulis autem ordinaria est, per lauacrum fidei simul & regenerationis. Quod obiectum est, num ego possim recordari, me, cum baptizarer, fidem concepisse. Respondeo, non opus esse ad probationem huiusmodi recordatione; potenter euincitur exemplo producto Ioan. Baptistæ, qui in vtero nouit ipsum indiuiduum, id est, Christum in vtero matris, adhuc existentem. Deinde verò cum adoleuerat, tametsi fides in Christum in ipso manebat, tamen indiuiduam personam haud perinde sibi amplius notam fuisse testatur ipsemet, Ioan. 1. vbi apertè dicit, ego autem non noueram illum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit; super quem videris Spiritum descendentem; & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.

Ex hoc igitur exemplo manifestum euadit, ad fidem antegressam in infantia, nihil opus esse tali recordatione, qualem à me D. D. exegit.

D. TANNER.

Debebat D. D. probare per validam consequentiam euidenter ex scriptura, quod infantes sint baptizandi, atq; adeò etiam quod crediderint; ad quod variè quidem hic concionatus est; sed nullam euidentem consequentiam fecit, imò ne facere quidem conatus est, intelligens statim, se & suam illam consequentiam, euidenter refutatum iri. Itaq; verba solùm sunt, quæ dicit, & propriæ quædam rationis figmenta & glossæ, nulla authoritate nixæ, quæ tam facilè repudiantur, quàm asseruntur, vt non opus sit, ad ea quicquam respondere, & ne auditorum patientia, vt ille, nimis audacter etiam abutamur, procedamus ad aliud.

D. HVNNIVS.

Tribus verbis dico, me prouocare ad Iudicium Principum, & ad protocollon.

D. TANNER.

Benè.

Tertium Exemplum.

Si non potest per euidentem consequentiam ex scriptura deduci, baptizatos ab hæreticis nō esse rebaptizandos, tunc falsū est, quod omnes

necel-

necessarij articuli morum & fidei ex scriptura euidenter deducantur. Sed verum est Antecedens. Ergò & consequens.

D. IAC. HAILBRONNER.

Reassumpsit, & negauit minorem.

D. TANNER.

Probo; si vir omni exceptione doctior, sanctior & maior quàm vllus, facilè in proposito se ipsum agnoscere, aut asserere audeat, nō solùm ex scriptura, seposita traditione Ecclesiæ, euidenter colligere non potuit, quod baptizati ab hæreticis, non sint rebaptizandi, sed potius seposita & repudiata traditione Ecclesiæ, contrarium collegit, tunc etiam nō est credibile, quod vestrûm quispiam eiusmodi dogma, ex scriptura sola euidenter deducere aut colligere possit; sed verum est Antecedens; Ergò & Consequens.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Ad maiorem respondeo verbis S. Augustini; Ego Cypriani authoritate non teneor, quamuis incomparabiliter inferior Cypriano, quin potius ex sacra scriptura euidenter colligi sentio, quòd baptizati ab hæreticis substantiam baptismi non conuellentibus, non sint rebaptizandi.

D. TANNER.

Probo ergò illud Antecedens. Ipse S. Augustinus non fuit tàm arrogans, vt contra Cyprianum asserere auderet, se ex sacra scriptura sola, seposita authoritate Ecclesiæ, deducere posse euidenter; baptizatos ab hæreticis, non esse rebaptizandos: Ergò nec vestrûm quisquam tàm arrogans esse potest.

D. I. HAILBRONNER.

Respondeo. Nulla hæc est arrogantia, quando in rebus ad religionem pertinentibus, SS. Patrum, quin & Ecclesiæ authoritatem, sacræ scripturæ postponimus, non enim de nostra authoritate ea in re agitur, sed de authoritate diuina, sicut Augustinus monet, & testantur Patrum dicta; publicè his diebus prælecta, præsertim verò ea, quæ ex Iure Pontificio sunt ad eum scopum citata. Sed ad rem progrediamur.

D. TANNER.

Dicit D.D. non esse arrogantis, sententias Patrum, sententiæ scripturæ postponere; Contrà sic insto. Arrogantis est, sententias SS. Patrū suæ propriæ imaginationi postponere, atqui quod baptizati ab hæreticis, non sint rebaptizandi, euidenter colligi posse ex scriptura, seposita authoritate Ecclesiæ, est propria quædam tantùm imaginatio: Ergò illud est arrogantia.

D. J. HAILBRONNER.

Nego minorem.

D. TANNER.

Illa propria est quædam imaginatio, quam sibi priuati quidam contra orthodoxorum patrum communem sensum, circa scripturam imaginantur, atqui talis est hæc persuasio; ergò propria tantum imaginatio est.

D. IAC. HAILBRONNER.

Probetur iterum Minor.

D. TANNER.

Sunt in contrarium S S. patres, qui habuerunt contrariam persuasionem, quod scilicet ex scriptura sola euidenter colligi non possit, baptizatos ab hæreticis * esse rebaptizandos, seposita authoritate Ecclesiæ; nec vllus poterit adduci aut adferri, qui eiusmodi persuasionem habuerit: ergò est contraria communi patrum sententiæ.

* non esse

D. IAC. HAILBRONNER.

Qualem persuasionem intelligis?

D. TANNER.

Quod scilicet ex sola scriptura dogma illud possit deduci, profer saltem vnum ex patribus, qui hoc affirmârit.

D. I. HAILBRON

Si Patres vellemus producere in medium, non fieret citra auditorum molestiam, verùm si integra baptismi substantia, sicut a Christo ordinata fuit, consideretur, apparet sacram scripturam docere sacramentorum efficaciam, non dependere a dignitate personæ administrantis, sed ab ipsa institutione Christi; Et proinde ab hæreticis baptizatos, non esse rebaptizandos. Exemplum; Iudas Iscariot fuit ad prædicandum missus, nec dubium est, quin ipsius ministerium fuerit efficax, quamuis ille fuerit indignus.

D. TANNER.

Facite validam consequentiam ex scriptura.

D. IAC. HAILBRONNER.

Si sacramentorum efficacia non dependet à persona administrantis dignitate vel indignitate, fide vel infidelitate, tùm ab hæreticis baptizati non sunt rebaptizandi; sed sacramentorum efficacia non dependet à persona administrantis dignitate vel indignitate, fide vel infidelitate: Ergò &c.

D. TANNER.

Cyprianus negauit hoc, probate ergò, quia nego minorem.

D. HAILB.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Si sacramentorum efficacia dependeret à fide aut infidelitate, à dignitate vel indignitate personæ administrantis, tunc de efficacia Baptismi semper esset dubitandum, quia nobis non certò constat, qualis fuerit administrantis intentio.

D. TANNER.

Absolutè & simpliciter loquendo posse dubitari, concedo, sed potest aliquis moraliter scire. nam alioquin etiam intentio baptizantis, omninò requiritur ad Baptismum, de qua nemo certi quicquam statuere potest.

D. IAC. HAILBRONNER.

Verè & efficaciter me esse baptizatum, non tantum debeo moraliter scire, sed oportet me certò & euidenter scire, quia aliâs fides mea super arenam esset ædificata.

D. TANNER.

Hoc non tantum euidenter non est verum, sed etiam euidenter falsum, quod cuiquam certò & euidenter, atq; infallibiliter constare debeat, an rectè & verè beptizatus sit, necne.

D. IAC. HAILBRONNER

Quod debeam certò & euidenter hoc scire, & credere, ita confirmo. Quia si non euidenter scirem & crederem, me efficaciter esse baptizatum, tunc dubitarem de Dei promissione; at de Dei promissione mihi dubitare non licet, aliàs Deum facerem mendacem, 1. Ioann. 5. Ergò euidenter debeo credere & scire, me esse efficaciter baptizatum.

D. TANNER.

Negat maiorem.

D. IAC. HAILBRON.

Qui credit & baptizatus fuerit, saluus erit: Ego credo & baptizatus sum: Ergò mihi hoc credendum, me fore saluum.

D. TANNER.

Non est ista minor euidens, sed negatur. Coniungit D. D. duo, copulatiua verò propositio est falsa, quando secundum vnã partem est falsa.

D. HVNNIVS.

Propositum est argumentum à Domino Collega &c. sermonem non absoluit, propter interpellationem Tanneri.

D. TANNER.

Profer syllogismum in forma, aliàs te non audiam.

D. HVNNIVS.

Ego re-

Ego repeto syllogismum Collegæ mei; Si sacramenti baptismi veritas & efficacia dependeret à fide baptizantis, tùm de efficacia baptismi nunquam possemus euidenter esse certi; requirit autem scriptura, vt de sui baptismi veritate & efficacia quisque certus sit euidenter: Ergò sacramenti baptismatis efficacia à fide baptizantis, dummodo is substantiam baptismi non conuellat, minimè dependet.

D. TANNER.

Reassumo, & distinguo, quantum est ex parte ipsius baptismi, ita scilicet, vt debeat aut possit dubitare, se si baptizatus sit, effectum baptismi efficaciter consecutum esse, quantū ex parte ipsius baptismatis, nego. Sed non posse esse aliquem certum, quantum scilicet est ex defectu ipsius ministrantis, concedo hoc modo maiorem. At hoc est absurdum; quantum est ex parte baptismi, concedo minorem: sed quantum est ex parte ministri, nego minorem; quia nemo potest euidenter scire, se efficaciter baptizatum esse, nisi certus sit de intentione baptizantis.

D. HVNN.

D. D. distinguit, & elidere conatur argumentum nostrum, dicit, quantum est ex parte baptismi, posse hominem de efficacia baptismi certum esse; quantum verò ad defectum baptizantis, non posse certum esse. Respondeo: hæc sanè mihi distinctio perquàm videtur absona, quasi verò homo baptizatus simul & semel eodem tempore, de veritate & efficacia baptismatis sui, certus esse possit, & non possit; quæ duo simul constare non posse, omnes sani intelligunt.

D. TANNER.

Si probaueris hanc consequentiam, gratissimum feceris omnibus auditoribus.

D. HVNN.

Si scriptura affirmat ministerium hæreticorum in ijs, in quibus substantialia non conuellunt, esse ratum & efficax coram Deo, tùm sequitur baptizatos ab hæreticis substantiam baptismi non conuellentibus, verè & efficaciter esse baptizatos; at prius asserit scriptura, quod videlicet efficacia & veritas ministerij non euacuetur per errorem alicuius hæretici, qui substantiam sacramentorum non conuellit; relinquitur ergò in cōclusione, quod ab hæreticis etiam baptizati dummodo illi baptismi substantiam non euertant, verum & efficax Baptisma acceperint, & per consequens rebaptizandi non sint.

D. TANNER.

Reassumo, & negó minorem, quod ex scriptura hoc euidenter colligatur.

D. HVNN.

D. HVNN.

Primo probo, ex 4. cap. Exodi, exemplo Zeporæ uxoris Moysis circumcidentis filium suum, hanc verò Zeporam infidelem fuisse, hinc apparet, quod filij sacramentum periculosè distulit, ita vt Moyses ad domesticam pacem redimendã putauerit accommodare debere se affectui uxoris suæ. Si Zepora fidelis fuisset, tunc circumcisionem filij, tanquam ex tabula fœderali, (Genes. 17.) necessariam ad salutem, minimè judicasset differendam & impediendam. Hoc ipso autem quòd procrastinauit eam circumcisionem filij sui, satis abundè declarauit, quod circa sacramentum circumcisionis errârit, & proinde hac in parte infidelis fuerit. Atqui nihilominus circumcisio per ipsam administrata, rata fuit habita coràm Deo, vt textus demonstrat. Quamprimùm enim circumcisio peracta fuerat, cessauit Dominus affligere Moysen, cum quidem aliâs occidere eum constituisset.

D. TANNER.

Videant omnes auditores euidentiam huius argumenti. Circumcisio ab infideli facta, fuit valida; ergò baptizatus ab Infideli, validè est baptizatus. Negatur autem consequentia; Quasi verò infidelis non possit validè circumcidere in carne, & carnem secare.

D. HVNNIVS.

Connexio argumenti hinc astruitur, quia inter hæreticum baptizantem & infidelem fœminam circumcidentem, par interuenit ratio, respectu efficaciæ collati sacramenti. Sicut ergò Zepora, licet infidelis, & non habens veram intentionem circumcidendi, sed alienam, vt videlicet periclitantem maritum discrimini vitæ eximeret, nihilominus ea circumcisio non modò ratione substantiæ vera, sed valida quoq; & efficax fuit, & à Deo approbata. Sequitur, quod baptismus etiam non habita ratione intentionis baptizantis sit efficax, si maximè baptizans sit hæreticus, & intentionem veram non habeat.

D. TANNER.

Notetur benè. Est par planè ratio baptismi & circumcisionis, quoad hoc: ergò si circumcisus ab infideli est validè circumcisus, etiam baptizatus ab hæretico, est validè baptizatus, idq; per euidentem consequentiam. Est difficile hoc. Dominus Doctor est hodiè acutus.

D. OSIANDER.

Solutio tibi est difficilis.

D. TANNER.

Planè nego Antecedens.

D. HVNNIVS.

Eius ergo probationem dabo. Primò ex testimonio Apostoli Pauli, ad Gal. 3. Quotquot baptizati estis, Christum induistis, vbi clarè sine omni considera- tione personarum baptizantium, pronunciat Apostolus, Baptismum omnium baptizatorum per se ratum esse coram Deo.

Secundò, ab analogia, nam in locum Circumcisionis baptismum successisse in nouo Testamento, Paulus Coloss. 2. testatur: proinde quemadmodum circumcisio licet ab infideli persona administrata, coram Deo rata habita fuit, sic quoq; pari planè ratione, Baptismus licet ab hæretico administratus, coram Deo ratus est, non habita ratione intentionis baptizantis, præsertim cum interueniat indubitata promissio, & vniuersale affirmatū Apostoli; quotquot baptizati estis &c. Et incredulitas baptizantis non euacuat fidem, id est, promissionem Dei, verbo & sacramento annexam, Rom. 3. Matth. 23. Ad hæc Christus Pharisæorum ministerium, quamuis illi fuerint hæreticissimi, nihilominus ratum habet, quando nimirum docebant ex Moyse, vel etiam Circumcisionis sacramentum administrabant. Quapropter si illud ministerium efficax est, vtiq; etiam hæreticorum baptismus efficax erit.

D. TANNER.

Aggreditur nos rursus, & quidem quatuor scilicet euidentibus demonstrationibus; Colloss. 2. dicitur, successisse Circumcisioni Baptismū. ergò euidenter sequitur, quod sicut Circumcisio ab infideli facta valida est, ita quoq; Baptismus ab infideli collatus, validus est. Sed nego consequentiam. Dicitur ad Gal. 3. quotquot baptizati estis, Christum induistis; ergò rursus sequitur, sicut anteà; rursus negatur consequentia. Supersunt adhuc duæ difficiles demonstrationes; incredulitas nostra fidem Dei non euacuat, hoc est, promissionem Dei, qua scilicet non obstante infidelitate hominum, statuit per Christum redimere & saluum facere humanum genus, ergò sequitur rursus euidenter, vt prius; iterum negatur consequentia.

Pharisæi erant hæretici, & tamen validè circumcidebant. ergò rursus euidenter sequitur, sicut prius; iterum negatur consequentia.

D. HVNNIVS.

Peto à Notarijs, vt in Protocolon referant, quod nihil ad argumenta responderit, nec respondere potuerit.

D. TANNER.

Ita planè, diligenter notetur.

D. HVNN.

Non potest in aeternum respondere.

D. TANNER.

Hoc quoq;, & quidem maiusculis literis vicissim diligenter notari peto, quod sex demonstrationes D. Hunnius adduxerit, & sanè nullam earum probauerit. Notetur benè hoc.

D. HVNN.

An probauerim sufficienter, vel non, judicent omnes auditores, & Protocolon testabitur.

D. TANNER.

Sub finem sessionis huius, recitauit sequentia Testimonia.
Augustini Tomo VII. contra Donatistas, lib. 2. cap. 7.
Eiusdem, de Ecclesiasticis dogmatibus, lib. 3. cap. 69.
Eiusdem, Tomo VII. de Genesi, ad literam, lib. 10. cap. 23.
Eiusdem, tomo VII. de Baptismo contra Donatistas, lib. 4. cap. 23.
Eiusdem, contra Cresc. lib. 1. cap. 31. & 32.
Eiusdem, Tomo VII. contra Donatistas, lib. 4. cap. 23.

NB.

Hæc testimonia verbotenus recitata inueniuntur in dictis Patrum, quæ Theologi Bauarici finito Colloquio exhibuerunt, atq; subfinem Protocolli inserta sunt, sub titulo; Traditiones etiam non scriptas esse seruandas.

SESSIO DECIMA TERTIA.

7. Decembris.
27. Nouembris. Anno 1601.

Post septimam antemeridianam.

D. TANNER.

IN propositione argumentorū nostrorum, quæ ad confirmandam conclusionem nostram propositam facere possunt, ad tertiam Classem peruentum est; in qua probandum nunc restat, Ecclesiam esse Iudicem illum, per quem controuersiæ Religionis dirimendæ sunt; probatum est enim primò; scripturam solam eum non esse Iudicem: secundò, nec regulam quidem vnicam & solam esse: tertium est hoc igitur, nempè quod Ecclesia sit Iudex ille. Vbi quidem nomine Ecclesiæ intelligimus generatim, Præpositos seu Prælatos Ecclesiæ, quicunq; tandem illi determinatè sint, abstrahendo etiam, an & quæ nam sit illa vera Ecclesia, quæ judicandis Religionis controuersijs præsit; hoc enim punctum in aliam Classem reiecimus.

Itaq; aggrediendo hanc tertiam Classem, initium faciam ab illo Matth. 18. si peccauerit in te frater tuus, dic Ecclesiæ &c. ex quo loco sic argumentor. Si omnes controuersiæ ad Ecclesiam, vtpote ab ea dijudicandæ, deferendæ sunt, sequitur Ecclesiam esse Iudicem omnium controuersiarum Religionis: atqui verum est antecedens: ergò etiam consequens.

D. IAC. HAILBRONNER

Orauit, Veni S. Spiritus &c. & Pater noster &c.

Deinde subjunxit. In fine proximæ Sessionis recitata sunt quædam testimonia S. Augustini, de consuetudinibus Ecclesiæ non spernendis, ad ea responsionē nostram veram quidem & solidam, si licet, Protocolo addemus, scripto comprehensam. Quod Protocolon testabitur, an Aduersarij priores suas classes sufficienter confirmauerint, necne. Dum autem illis ita placet, quamuis de illis traditionibus, quæ inter nos & illos controuertuntur, nihil adhuc actum, sed ea tantum in medium prolata, de quibus nulla est controuersia, nisi quòd aduersa pars opinatur, illas ex sacra scriptura euidenter deduci non posse; tamen quia ita illis placet, progrediemur cum ipsis ad tertiam Classem.

D. TANNER.

Dixit

Dixit Dominus Doctor, quòd suam responsionem ad dicta Patrum cupiat inserere Protocollo, quod non abnuimus, ita tamen, vt nostræ replicationes etiam inserantur. Quod ad alterum, de ijs nimirum saltem traditionibus esse actum, de quibus nulla est controuersia, non dubito, quin sanè contra suam conscientiam loquatur, qua in re, non solùm ad Protocollum, sed etiam ad Auditores prouoco: Ex quibus euidenter cognoscere licebit, per illa sua dicta, Deuteronom. 4. 5. & 12. sæpius contendisse, non licitum esse Ecclesiæ, in materia cultus, non tantùm in materia dogmatum, quicquam decernere, quod in scriptura expressè non contineatur, aut ex ea euidenter non deducatur. In quo rursus si hoc non ita est, Aduersariis liberam potestatem pronunciandi facio, vt palàm dicant, liceat ne in materia cultus & Religionis, ab Ecclesia quicquàm, præter ea quæ scripta sunt, addere, & Ecclesiæ obseruanda præcipere; atq; adeò traditiones aliquas non scriptas, quæ ad cultum aut fidem pertineant, tanquam necessarias, ex Ecclesiæ constitutione recipere & obseruare; & non hìc tergiuersentur Aduersarij.

D. IAC. HAILBRON.

Quandoquidem Aduersariorum testimonia ex aduersa parte prolata, Protocollo inserta sunt, æquum est, vt & nostræ responsiones in illud referantur. De traditionibus dictum fuit, eas esse allatas, de quibus non est controuersia; id verum esse, omnibus Auditoribus constare non dubito; Actum enim fuit de festo paschatis die Dominico celebrando, quod in nostra Ecclesia etiam obseruatur. Dictum est, an Euangelium Matthæi, sit Matthæi, an Euangelium Nicodemi, sit Nicodemi, nec ne, de quibus non controuertitur; de perpetua virginitate MARIÆ *virginis, de Pædobaptismo, de baptizatis ab hæreticis, non rebaptizandis, de quibus inter nos conuenit; an verò indè sequatur, Sacram Scripturam, quoad dogmata, non esse iudicem, & normam, Auditoribus relinquitur iudicandum, nec opus est repetere.*

D. TANNER.

Tergiuersatur Dominus mirum in modum; & non audet respondere ad propositam quæstionem; hoc dicat, peto, an Ecclesia possit aliquas traditiones ad materiam cultus pertinentes, credendas proponere, quæ nec in scriptura expressè extant, nec indè euidenter deduci possunt. Ad hoc respondeat disertè.

D. IAC. HAILBRONNER.

De his omnibus his diebus satis dictum, quòd Ecclesia non habeat potestatem nouos articulos circa fidem & cultum constituendi.

D. TANNER.

Video quàm versipelles sitis, non credo vestris dictis; intelligunt omnes fraudem. Dicat mihi disertè, & non vtatur terminis suis fallacibus, an aliquid fide infallabili credendum sit, siue vocetur articulus fidei, siue non sit, quod nec in scriptura, expresse contineatur, nec ex scriptura sola euidenter deducatur.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Ad illud (aliquid) Respondeo quòd ibi lateat aliqua amphibologia.

D. TANNER.

Omninò non, respondeas mihi disertè, vos vultis iterùm tergiuersari & fallere.

D. IAC. HAIBRON.

Ne me interpelles, quod in legibus est prohibitum.

D. TANNER.

Nunquàm interpellabo, si ad formam responderitis, & quis posset aliâs cum eiusmodi hominibus disputare, ne quidem Christus ipse.

D. HVNNIVS.

Nudius tertius antemeridiana sessione distinximus manifestè inter dogmata & articulos fidei, & inter historias Biblicas. Quod attinet articulos christianæ religionis, nullos licet effingere, vel sub prætextu authoritatis Ecclesiæ, præcipere & proponere populo Christiano. Quod autem omnia ea quæ tenemur credere de fide, sint articuli fidei, & dogmata, id verò ex indubitatis fundamentis negatum est, & declarata res exemplo historiæ Thamar.

D. TANNER.

Nihil ad rem, nonnè disertè excludo eam distinctionem, dicens, siue articulos fidei, siue non articulos? vultis iterùm tergiuersari & fallere?

D. HVNNIVS.

Tu facis mihi iniuriam.

Idem.

Ad Serenissimũ Ducem Bauariæ conuersus ait; Serenissime & Illustrissime Princeps, affecti sumus iniuria, dum aliquoties vocati sumus versipelles.

SERENISSIMVS DVX BAVARIÆ, &c. MAXIMILIANVS.

Vos

Vos appellastis Romanum Pontificem Antichristum, quæ est iniuria insignis & clarissima, & hoc nunquam probabitis.

D. HVNN.

Serenissime & Illustrissime Princeps, oportet scapham, scapham, ligonem, ligonem appellare, præsertim in actu Confessionis; & in nostris Ecclesijs id non est iniuria.

SERENISSIMVS DVX BAVARIÆ, &c.

Imò est insignis iniuria, quæ redundat in omnes Catholicos.

D. TANNER.

Quæro ego, an aliquid credendum sit, fide infallibili, quod nec in scriptura extet expressè, nec ex ea euidenter deducatur?

D. HVNNIVS.

Per distinctionem responsum est, & distinctio nostra probata, & aduersarius ad absurdum deductus, vt assereret, quòd Thobias canem habuerit caudã mouentem, esse articulum fidei.

D. TANNER.

Si vultis distinguere, rectè & suo loco distinguite; Iam categoricè respondete, & facite hoc in gratiam auditorum, quia ego excludo omninò vestram distinctionem. Categoricè igitur respondendum est.

D. HVNNIVS.

Distinctio illa nostra solidò & immoto fundamento superstructa est, quod ostensum est exemplis modò allegatis. Si verò volet D. Doct. vt progrediamur ad argumenta Classis tertiæ, nobis non displicet.

D. TANNER.

Non progrediar, donec ad propositam quæstionem respondeas. Quæso da gloriam Deo, & responde disertè, vtrum sit aliquid præter scripturam credendum, siue dogma sit, siue non, siue a, siue b, siue c, siue quomodocunq; vocetur, dummodò aliquid sit.

D. HVNN.

Ostende tu, quòd aliquis Patrum historiam aliquam, seu particulam historiæ, vocauerit dogma, siue articulum fidei.

D. TANNER.

Dicis igitur quòd aliquid fide infallibili credendum sit, etiamsi non

si non habeat rationem dogmatis, nec ita vocetur, quod nec in scriptura extet, nec inde euidenter deducatur.

D. HVNN.

Probet Dominus, quod particula historiarum Biblicarum appellata sint ab vllo scriptore Ecclesiastico, dogmata religionis, seu articuli fidei.

D. TANNER.

Nihil ad rem, nihil ad formam, responde prius ad meam quæstionem; dicas mihi disertè, & tunc videbis, quod aliquid sit præter scripturam credendum: Da gloriam Deo, quæso te.

D. HVNN.

Quòd aliquid sub ratione dogmatis, vel cultus, vel articuli fidei, quod in scriptura vel expressè non extat, vel ex ea, bona consequentia deduci nequit, credendum sit fide infallibili, iterùm atq; iterùm negamus. Multa autem in Biblicis historiis necessariò credenda sunt, propter auctorem Spiritum Sanctum, quæ tamen nec Patres, nec vniuersa antiquitas, nec vllus scriptorum Ecclesiasticorum vnquam, dogmata, vel articulos, vel cultus appellare ausus fuit; quod demonstrari posset multis, inter cætera exemplo Ana inuentoris mularum in deserto, Genes. 36. num enim quæso hæc historiola est articulus fidei?

D. TANNER.

Oro per Deum, vt categoricè respondeas, non quæro de dogmatibus, sed quomodocunq; aliquid vocetur, qualecunquè illi nomen detur.

D. HVNNIVS.

Relinquo iudicium omnibus auditoribus.

D. TANNER.

Nihil ad rem, responde obsecro categoricè, an aliquid sit credendum fide infallibili, quod nec in Scriptura apertè extet, nec ex ea sola euidenter deducatur, detur illi nomen quodcunq; vel a, b, aut c.

D. HVNNVS.

Multoties responsum est, esse aliquid necessariò credendum tanquam historiam à Spiritu Sancto * DESCRIPTAM, *& quidem fide infallibili, quod tamen nec cultus, nec dogmatis, nec articuli rationem habet.*

* ☞ NB. Lector. Dictum, & in ipso protocollo prius scriptum fuerat TRADITAM; Vid. Præfat.

D. TANNER.

Rectè. Dixerant autem Domini, non esse hoc controuersum, sed an aliquid sit addendum tanquam dogma seu articulus fidei: Quod imprimis disertè pugnat contra omnia vestra dicta, quibus conuincere volebatis.

lebatis, nihil omninò debere credi, quod in scriptura disertè non extet; Iam verò corruit omnis impetus, & strues argumentorum vestrorum, si vel vnum aliquid sit credendum, quod nec extet in scriptura, nec indè solum euidenter deducatur, vt iam concessum est; Qua de re iudicium iam relinquo Auditoribus.

D. HVNN.

Finaliter concludo, quòd non sit aliquid in cultu, & in articulis, & dogmatibus credendum, quod non vel expreßè contineatur in scriptura, vel indè per bonam consequentiam deduci queat, in qua nostra finali conclusione penitus acquiescimus, & iudicium committimus Deo, & Ecclesiæ ipsius.

D. TANNER.

Ego similiter Deo ipsi, Ecclesię & toti Auditorio comitto iudiciū, quòd scilicet illa loca, Deuter. 4. 5. 12. malè & contra suā conscientiā adduxerit aduersarius, dum vniuersaliter probare conatus fuit, nihil credendum, nisi quod in scriptura extet, aut inde euidenter deducatur; Qua in re ad Protocollum me refero.

D. HVNN.

Similiter & nos.

D. IAC. HAILBRONNER.

Reaßumpsit argumentum superius. Vt in hoc negotio certa via procedamus, neceßitas postulat, vt aduersa pars explicet nobis terminum Ecclesiæ, quia multiplicem in hac appellatione homonymiam esse nouimus. Interdùm enim significat vocatorum cœtum; interdùm Ecclesiam electorum, quæ voce ministerij, & sacrosanctorū sacramentorum vsu, in externo vocatorum cœtu colligitur, interdùm vniuersalis Ecclesia, quæ aliàs Catholica dicitur, interdùm particulares, quales Romana, Constantinopolitana, Alexandrina.

D. TANNER.

Libenter explicabo: Per Ecclesiam intelligo prælatos Ecclesiæ veræ & quidem visibilis, quæ sit illa, an nostra vel vestra, iam non quærimus.

SERENISSIMVS DVX MAXIMILIANVS AD D. HAILBRON.

Quæso ad formam respondeat, & non dictet.

D. IAC. HAILBRONN.

Oo Re-

Respondeo ad illam termini explicationem, quia intelligimus Ecclesiæ appellatione esse intelligendos Prælatos Ecclesiæ veræ & visibilis, probet aduersarius suam hanc explicationem, quòd ad prælatos hoc iudicium pertineat, cum aliàs per Ecclesiam non tantùm Prælati, sed etiam auditores intelligantur.

D. TANNER.

Intelligo prælatos, quicunq; sint, quocunq; nomine vocentur, sint quacunq; in Ecclesia,

D. IAC. HAILBRONNER.

Tuum est probare, quia affirmanti incumbit probatio.

D. TANNER.

Non facio vim in hoc; Respondete ad argumentum, siue intelligatis populum, siue Doctores, siue Prælatos solos, siue illos cum populo.

D. IAC. HAILBRONNER

Intelligitis ergò non Prælatos modò, sed etiam Auditores?

D. TANNER.

Non aliò detorqueas argumentum, non enim ita dixi (& ita argumentum repetiit).

D. IAC. HAILBRON.

Illa affirmatio nondum est probata.

D. TANNER.

Responde tu ad argumentum.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Iterùm assumpsit & respondit, probetur primùm maior.

D. TANNER.

Itaq; negatis Maiorem.

D. HVNNIVS.

Non negamus simpliciter, dicimus autem illam laborare æquiuocatione in vocabulo iudicare, quam si placet euoluemus secundum diuersa significata, Iudicat de controuersiis principaliter ipse Deus.

D. TANNER.

Interpellando dixit; hoccine est in forma respondere?

D. HVNN.

Distinguere, est in forma respondere; aliter ergò iudicat Deus per verbum suum, nimirùm potestate plenaria, aliter Ecclesia, potestate nimirùm determinata, & ad verbum Dei scriptum restricta & limitata. Proinde iudicium controuersiarum post Deum & scripturam permittimus, imò largimur perfaci-

le

se ipsi Ecclesiæ Dei, ita tamen, vt secundum scripturam tanquam supremi iudicis vocem decernat, & controuersias dirimat; Proinde iuxta hanc explicatam æquiuocationem facilè nunc est respondere ad dictum saluatoris, Matth. 18.

D. TANNER.

Responde in forma, hoc nihil ad rem.

D. HVNNIVS.

Distinxi gradus & modos iudicii.

D. TANNER.

Non omnis distinctio, est distinctio in forma, breuiter more philosophico & theologico, non concionatorio distinguendum est.

D. HVNN.

Num ad formam sit, tuum in modum disputare, id verò ex vniuersa antiquitate, & praxi omnium Colloquiorũ de religione, omniumq́; Conciliorum, minimè videre possum. Quod attinet rem ipsam, constat quod iudicium suos gradus habeat. Deus iudicat iuxta plenitudinem sapientiæ & maiestatis suæ, Ecclesia secundum scriptum illud verbum, potestate non absoluta, sed ad illud verbum scriptum restricta & limitata.

D. TANNER.

Siue hic mos fuerit vsitatus in aliis colloquiis, siue non; illud nos non attinet, quia nos habemus nostras peculiares regulas. Legi ego colloquia inter vestros habita, vbi cum hic modus non fuerit seruatus, nullus fructus inde secutus est, vt testãtur colloquia vestra Altenburgi, Mompelgardi, & in Saxonia habita: In Badensi verò cum hæc forma obseruaretur, aliquis fructus secutus.

D. HVNNIVS.

Cur ergò Christus & Apostoli non obseruàrunt illum modum?

D. TANNER.

Semper obseruarunt illum modum disputandi in forma, quando habebant negotium cum contumacibus.

D. HVN.

Num CHRISTVS & Apostoli in vestra hac forma disputàrint, vel non, ostendit Euangelica historia noui Testamenti. Repeto an-

em distinctionem priorem, & dico, quòd alia potestas absoluta sit penes Deum, alia verò limitata nimirum, concessa sit Ecclesiæ.

D. HVNGERVS.

Multa quidem potest Dominus D. dicere, sed resumat syllogismum, & respondeat in forma; ita vt omnes intelligant esse sufficienter responsum ad propositionem.

D. HVNNIVS.

Repetit argumentum & respondet. Ad antecedens responsum est per distinctionem, quòd videlicet Ecclesia non absolutam potestatem iudicandi habeat, sed quòd illi potestas restricta & limitata, ad sacram scripturam sit concessa; nam Ecclesia est alligata ad vocem sponsi sui, ita vt non habeat potestatem absolutam, extra sponsi sui vocem iudiciariam determinandi & iudicandi, vt v. g. quando controuertitur de Missa pontificia, quæritur, quis hic debeat esse iudex; vtiq; Spiritus Sanctus in verbo suo; primariò ille, verbum scriptum autem secundariò, tanquam Canon istius diuini iudicij. Est verò & Ecclesia suo modo iudex, tanquam interpres testimoniorum scripturæ, ita tamen, vt Ecclesia nunquam absolutam potestatem acceperit, aut acceptura sit.

D. HVNGERVS.

Applicare debes istam differentiam ad argumentum.

D. HVNN.

Quid vocas applicare?

D. HVNGERVS.

Iam debes in forma respondere ad illam maiorem.

D. HVNNIVS.

Repeto maiorem, & respondeo, Si intelligatur iudicium absolutum, falsa est propositio maior; si iudicium intelligatur ad Dei verbum restrictum, & determinatum, vera est maior. Itaq; obseruata hac distinctione; nihil prorsus facit argumentum vestrũ ad propositum. Minor conceditur, nimirùm ad Ecclesiam controuersias deferri iudicandas, iudicio videlicet ad Sacram Scripturam determinato & restricto; atq; ita non concluditur, quòd Ecclesia iudicio quodam absoluto sit iudex omnium controuersiarum fidei.

D. TANNER.

Ergò Ecclesiam esse iudicem iudicio determinato, concedit, & absoluto negat aduersarius. Notetur igitur Ecclesiam esse iudicem, qualiscunq; sit.

D. HVNNIVS.

Quis

Quis unquam negauit hoc? legatur illud 1. Cor. 10. judicate vos quæ ſcribo, poculum benedictionis &c. defert ergò ipſe Apoſtolus judicium Corinthijs quantumuis laicis.

D. TANNER.

Quòd Eccleſia ſit abſolutus judex omnium controuerſiarum religionis, ita probo. Si ad Eccleſiam pertinet abſolutum judicium de controuerſijs fidei & religionis, tunc Eccleſia eſt judex abſolutus omnium controuerſiarum fidei, & religionis, ſed pertinet ad Eccleſiam judicium abſolutum controuerſiarum omnium religionis; Ergò Eccleſia eſt abſolutus judex omnium controuerſiarum.

D. HVNNIVS.

Negatur minor.

D. TANNER.

Minorem probo. Si Eccleſiæ judicio in dirimendis controuerſijs abſolutè ſtandum eſt, ſequitur, quòd ad Eccleſiam pertinet abſolutum judicium omnium controuerſiarum, ſed verum eſt antecedens, ergò & conſequens.

D. IACOB. HAILBRON.

Aſſumit; & negat minorem.

D. TANNER.

Probo; ſi enim abſolutè judicio Eccleſiæ in dirimendis controuerſijs ſtandum non eſt, ſequitur nullas cõtrouerſias ab Eccleſia dirimi poſſe & expediri; conſequens autem eſt abſurdum, ergò & antecedens.

D. IAC. HAILBRON.

Nego maiorem.

D. TANNER.

Quandocunq; in aliqua controuerſia, qualiumcunq; litiũ judiciũ relinquitur partibus diſceptantibus, poſt ſententiam à judice latã, tunc reuera nulla controuerſia à judice dirimi poteſt & finiri; ſed ſi Eccleſiæ judicio abſolutè non ſit ſtandum, etiam poſt ſententiam latam, tunc judicium relinquitur partibus diſceptantibus; ergò ſi non abſolutè judicio Eccleſiæ ſit ſtandum, tunc controuerſiæ non poſſunt dirimi in Eccleſia.

D. IAC. HAILBRON.

Reſpondeo ad maiorem, per diſtinctionem litium ciuilium & Eccleſiaſticarũ.

D. TANNER.

Interpellando dicit; loquimur generaliter de litibus, ergò ſi nõ vultis aliter diſtinguere, negetis, quia eſt generalis hæc propoſitio.

D. IAC. HAILBRONNER.

Quando maior illa generaliter loquitur de controuersijs politicis, de quibus iam non agitur, & simul de controuersijs religionis; Nego eam.

D. HVNNIVS.

Addo hoc, quòd judicium non sit committendum partibus disputantibus sed Ecclesiæ.

D. TANNER.

Maiorem probo; si adhuc liberum est judicium partibus, tunc non minus manebit controuersia inter partes, quàm antequam per judicem definiretur; Ergò si judicium liberum est partibus, non poterit vlla controuersia finiri in Ecclesia

D. HVNNIVS.

Repetijt. Respondetur, partibus, postquam collocutæ sunt, non ita liberum amplius relinqui judicium, sed committi id Ecclesiæ Dei, ut pro sua potestate determinata indicet & pronuntiet secundum indubitatum canonem iudicij diuini, scripturam scilicet. Et quamuis altera pars non acquiescit (sicut inter Christum & Sathanam nulla vnquam erit consensio) tamen Ecclesia Christi vera, verum rectumq; judicium ferre solet. Exemplo patet. Quando Christus disputat cum Pharisæis, tunc illi manebant in sua opinione, Christus similiter in sua sententia; Jam liberum relinquebat Christus iudicium auditoribus, juxta scripturam iudicandi. Ea ratio etiamnum hodiè obseruanda meritò est, siquidem Christi exemplum nostra est instructio, sicut & nos hodie disputantes non sumimus nobis insolidum de his quæ disputata sunt judicium, sed illud committimus Ecclesiæ.

D. TANNER.

Nihil ad rem; nam hoc exemplum meum confirmat propositum; si enim Christus, facta eiusmodi decisione non voluit relinquere judicium absolutè auditoribus; ergò iam lata ab Ecclesia seu eius præside sententia, non erit liberum judicium auditoribus. Sed verum est antecedens; ergò &c,

D. HVNN.

Redigatur in syllogismum.

D TANNER.

Responde in forma ad syllogismum proximum, quem repeto,

D. HVNN.

Non dixi, partibus colloquentibus, sed Ecclesiæ secundum verbum Dei judicanti relinqui iudicium.

D. TAN.

D. TANNER.

Confunditis vestras solutiones, dicat disertè, an concedat Dominus D. quòd partes disceptantes facta definitione ab Ecclesia, amplius possint judicare aut disceptare.

D. HVNN.

Distinctè respondeo, si nimirùm Ecclesiæ decisio fiat iuxta scriptum Dei verbum, tunc partes in hac legitima sententia tenentur acquiescere.

D. TANNER.

Ergò habeo quod dixi anteà, nempe quòd partes controuertentes facta decisione Ecclesiæ juxta scriptum verbũ Dei acquiescere debeant, minimè autem cogantur absolutè stare sententiæ prolatæ.

D. HVNNIVS.

Non tantùm possunt, sed etiam debent Christiani judicium examinare, an decisio facta sit secundum canonem verbi Dei; & prætereà quæ nobis daretur Ecclesia, cuius indicio absolutè standum foret?

D. TANNER.

Hìc non quærimus quæ sit Ecclesia, sed dabimus suo loco vobis bonam Ecclesiam, si modò volueritis eam sequi. Iam sic argumentor: si partes controuertentes possunt sententiam Ecclesiæ latam judicare, an sit scripturæ difformis, vel conformis, vt necesse nõ sit Ecclesiæ judicio acquiescere, tunc sequitur, quòd non possint determinari lites & controuersiæ religionis in Ecclesia; posterius verò absurdum est, ergò & prius.

D. HVNN.

Respondeo per distinctionem, quod ratione rei, quæ disceptatur, possit omninò definiri & decidi controuersia; Ratione autem partium sæpè nunquam in hoc sæculo fieri possit finis controuersiæ. Quamuis enim altera pars de errore admonita, debeat acquiescere, tamen experientia testatur, eam iuxta ingenium sui spiritus, in errore obfirmare animum, quod exemplo Arianorum & hæreticorum comprobatur.

D. TANNER.

Applicet Dominus D. suam distinctionem.

D. HVNNIVS.

Fiat ergò. Si judicium relinquitur partibus, id quod non negamus &c. Respondeo quoniam hoc argumentum vestrum dirigitur ad scopum, qui à nobis nõ negatur,

negatur, videlicet absurdum esse, vt judicium liberum relinquatur partibus: atqui dicimus ipsi quoq́, partibus disceptantibus non ita relinqui judicium liberum, vt liceat Ecclesiæ decisionẽ ex scriptura factam sequi, vel non sequi, idcirco argumentum vestrum ad scopum alienum tendens, omnino nihil concludit.

D TANNER.

An hoc sit responsum in forma, judicent auditores. Antea fuerat illa propositio affirmata, quam illi omninò asserebant, & ego impugnandam assumpseram priore illo argumento, nempè quòd post judicium Ecclesiæ, judicium relinquatur partibus; Iam respondendo negant se dicere, quòd partibus relinquatur judicium. Maneat constans quæso Dominus, nec tam sæpiùs negata concedat, & rursus neget. Hoc quæro, an Ecclesia habeat eiusmodi infallibilem & absolutam potestatem, vt illius sententiæ omninò debeamus acquiescere, an verò etiam post sententiá ab Ecclesia latam, partes sibi judicium liberum sumere possint.

D. HVNNIVS.

Iam aliquoties directè & in forma responsum est, quòd videlicet sacra scriptura talem potestatem absolutam Ecclesiæ nunquam largita sit.

D. TANNER.

Ergò negat? maneat constans Dominus Doctor.

D. HVNN.

Ecclesia debet judicare secundum scriptum verbum, & quando sententiam fert juxta canonem hunc, & regulam verbi scripti, partium erit in ea sententia legitima plenè & in solidum acquiescere. Quamuis autem pars altera malam fouens causam, adhuc sibi vsurpet judicium, id tamen fit præposterè, nec propterea sequitur, quod huius vel illius controuersiæ finis nullus futurus sit. Testatur enim experientia, quòd hæreticorum errores per scripturam jugulati, paulatim euanuerint; fit autem nihilominus interdum, vt Deo ingratitudinem mundi judicante, hæretici errores suos defensare pertinaciter pergant. Quod Dei tamen judicio committendum est; qui Sathanam suo tempore sub pedes Ecclesiæ contriturus est, & finem impositurus suo vltimo judicio controuersijs omnibus.

D. TANNER.

Estne hoc in forma respondere? Est vana & inanis omninò hæc responsio, quod non tantùm notarunt Docti, sed etiam rudiores.

D. HVNN.

Ego formam seruo à Christo, & Apostolis, & Patribus obseruatam, tu hæres in tua forma, & præteris realia.

D. TANNER.

Dominus.

Dominus D. dixit, quòd partibus controuertentibus relinquatur adhuc judicium, etiam post sententiam ab Ecclesia latam.

D. HVNNIVS.

De judicio an partibus liberum relinquatur vel non, satis est dictum. Examinare tamen licet Ecclesiæ sententiam, ita jubente scriptura, vt probentur spiritus, num ex Deo sint.

D. TANNER.

Itaq; responde ad meum syllogismum.

D. HVNNIVS.

Ad illum, qui toties protritus est?

D. TANNER.

Minimè: & repetijt suum syllogismum.

D. IAC. HAILBRON.

Vt tantum nos expediamus, hoc saltem addo finaliter. Si omnes lites & controuersiæ in hac vita essent finiendæ, tùm procederet tuum argumentum; Repeto syllogismum.

D. TANNER.

Vtatur Dominus D. meis terminis, nam vos valdè luditis in terminis.

D. IACOBVS HAILBRON.

Scilicet, vos luditis; Repeto syllogismum. Si partibus litigantibus latâ sententia liberum est judicium, non possunt finiri controuersiæ, posterius est absurdum, ergo & prius. Iam ad minorem respondeo per distinctionem; absurdum est, quod nullus possit esse finis controuersiarum in hoc sæculo, sed quia non omnes controuersiæ religionis in hac vita possunt dirimi, sed manebunt vsq; ad finem huius sæculi, ideo erit aliud judicium. Hæretici erant in Concilijs condemnati, nihilominus non acquieuerunt; ita & Pharisæi; Restat ergo aliud judicium, in quo controuersiæ omnes finaliter dirimentur.

D. TANNER.

Negas ne an concedis, nullas omninò dirimi posse controuersias in hac vita, per Ecclesiam?

D. HVNNIVS.

Omnes quidem controuersiæ definiuntur per sententiam verbi diuini, ratione rei, quæ in controuersiam veniunt; Quod verò attinet partem litigantem, alteram errantem, ea non semper in hoc sæculo quiescit, sed in nouissimo die tandem ad sempiternum adigetur silentium, vt replicare minimè possit. Intereà vero scriptura pronunciat, oportet esse hæreses inter vos. 1. ad Corinth. 11. &

durabit hac militia inter Christum & Sathanam, item inter Christi seruos & Sathanæ mancipia, donec diabolus cum omnibus suis organis planè conteratur sub pedes nostros; & ita responsum puto in forma.

D. TANNER.

Qualis forma hæc? si vultis aliquid à me discere, docebo vos formam; ita enim debebatis secundum vestram sententiam distinguere; sequeretur non posse finiri cōtrouersias, quantū ad res, nego, quoad partes litigantes, concedo, &c. Repeto ergò meum syllogismum, ad quem vobis respondendum est in forma legitima.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Ad minorem responsum est per distinctionem, absurdum quidem est, controuersias in hoc sæculo non posse definiri, respectu partium litigantium, sed Deus hoc absurdum tolerat vsq; ad nouissimum diem.

D. TANNER.

Imò propter proteruiam & malitiam partium, non est absurdum.

D. HVNNIVS.

Res cōtrouersæ solidè ex scriptura deciduntur, & hac ratione in Ecclesia Dei fit dijudicatio & decisio finalis, quæ nimirum refertur ad dirimendas ipsas rerū controuersias. Quòd autem ad partes, satis est dictum, quòd altera errans deberet quidem acquiescere, non verò acquiescat, agitata à Diabolo. Itaq; quod ad litigantes partes, & illam militiam hereticorum & orthodoxorum, ea demum abolebitur per vltimum illud judicium, quod itidē ex scripturæ libris instituetur; Et committimus judicium omnibus auditoribus.

D. TANNER.

Resumit argumentum, nondum enim responsum in forma.

D. HVNN.

Ita dixi, quòd ratione rerum controuersarum lites illæ theologicæ in Ecclesia per scripturam definiri possint, & definiantur, non verò auctoritate prætoria. Deinde ratione partium dixi, illam militiam inter Christum & Sathanam duraturam vsq; ad nouissimum diem.

D. TANNER.

Quartò iam precor vt in forma respondeas.

D. HVNN.

Ego tibi aliud responsum non dabo, quod certò noueris, sed in hac responsione planè acquiesco.

D. HVNGERVS.

Ne di-

Ne dicant toties hoc vnicum Domini, putant ne Domini nullum aliud supereſſe argumentum?

D. HVNNIVS.

Quare non profertis?

D. IAC. HAIBRON.

Si omninò velis, etiam per negationem tibi ad minorem reſpondebo. Quod Deus ipſe dixit, non eſt dictu abſurdum, Deus ipſe dixit controuerſias duraturas vſq; ad mundi finem; Ergò non eſt dictu abſurdum.

D. TANNER.

Deus non prædixit duraturas controuerſias, quantum eſt ex parte authoritatis infallibilis judicantis, ſed ratione contumaciæ partiũ: Ego verò ſic argumentor. Si relinquitur adhuc, deciſione ab Eccleſia factâ, judicium partibus controuertentibus, an illa deciſio ſit conformis ſcripturæ, an verò difformis, ſequitur etiam remota partium contumacia, nullas poſſe in Eccleſia definiri controuerſias, ſed conſequens eſt abſurdum, ergò & antecedens. Audeatis negare minorem.

D. IAC. HAILBRON.

Quid opus eſt toties petere principium? quod facis, quia te ſentis conſtrictum.

D. TANNER.

Aſſumpſi nouum terminum, non petij principium; Reſumite argumentum.

D. HVNN.

Nos reſponſionem aliam, præter eam quæ data eſt, non dabimus, eſt enim mera ſophiſticatio.

D. TANNER.

Dicendo, quòd ſit ſophiſticatio, non ſoluitur argumentum; reſumatis argumentum.

D. HVNNIVS.

Ad particulam maioris, (remota partium contumacia) reſpondeo definiri omninò poteſt, cum hac limitatione, quod videlicet Eccleſia, non prætoria, non abſoluta poteſtate, ſed ſecundum ſcripturam definiat; & hæc determinatio in rebus, ſit in hoc ſæculo, ſiue pertinacia partium duret, ſiue non, non autem ſit per infallibilem aliquam authoritatem Eccleſiæ; eſt enim hæc mera repetitio principij.

D. TANNER.

Resumite argumentum.

D. HVNNIVS.

Non resumam argumentum toties refutatum.

D. IAC. HAILBRON.

Tu ne quidem conatus es respondere ad nostram solutionem, quia teneris constrictus.

D. TANNER.

Nihil minus, ego non teneor.

D. HVNNIVS.

Prouocamus ad Protocollum, & disertissimè protestamur, hoc argumentum aduersarij non militare.

D. TANNER.

Repeto argumentum; quæso per amorē Dei, respondeatis in forma.

D. HAILBRONN.

Nonne ad formam responsum est negatione minoris, quòd non sit absurdum dictu, controuersias ad finem vsq; mundi duraturas?

D. HVNN.

Repeto Syllogismum & respondeo implicatio est contradictionis, quando dicitur adhuc partibus relinqui liberum judicium, & nihilominus dicitur remoueri pertinaciam partium; negamus ergò maioris consecutionem.

D. TANNER.

Repetit maiorem, & probat sequelam ita; si partes litigantes ante sententiam ab Ecclesia latam, poterant citra contumaciam & peruicaciam adhuc inter se controuertere, atque adeò controuersiam suam agitare, sequitur etiam, quòd facta iam ab Ecclesia definitione, possint adhuc inter se citra contumaciam, controuersiam habere, siquidem illis liberum relinquitur judicium, facta iam ab Ecclesia definitione: Sed verum est illud antecedens, nempe quòd ante sententiam citra contumaciam potuerint intra se controuertere; ergò etiam verum erit consequens; si scilicet partibus adhuc relinquatur judicium, facta ab Ecclesia definitoine, quòd possint etiam seposita contumacia inter se controuertere.

D. HVNNIVS.

Repeto argumentum, & si vis, maioris consecutionem sacræ scripturæ testimonijs infringam.

D. TAN-

D. TANNER.

Non, non, sed ego probabo maiorem negatam. Non obstante Ecclesiæ definitione, ex vestra sententia, possunt istæ partes, nō minùs post sententiam, quàm ante decisionem iudicare, an sententia ab Ecclesia lata sit scripturæ conformis, an verò difformis; Ergò seposita quoq; contumacia, poterunt non minus post sententiam ab Ecclesia latam, quàm ante sententiam ab Ecclesia latam, partes inter sese controuertere, an Ecclesiæ sententiæ Scripturæ sit conformis, an verò difformis.

D. HVNN.

Reassumo, & nego rursus consequentiam, & si vis, infringam per scripturam.

D. TANNER.

Non, non, sed responde ad Syllogismum.

D. HVNNIVS.

Plusquàm vicies responsum est, an partibus iudicium liberum permittatur, vel non. Nam si Ecclesia secundum Scripturam pronunciat, tùm pars veritatem defendens acquiescit, sed pars illa contra quam pronunciat Ecclesia ex sacra scriptura, non debet retinere priorem opinionem, & controuertendo amplius defensare, quamprimùm intelligit, sententiam contra se ex indubitato scriptura verbo esse latam. Itaq; aliud est cum ostenditur quid fieri debeat à partibus; aliud vero est ostendere, quid partes facere pergant, ea inprimis, contra quam ex scriptura lis definita & decisa est.

D. TANNER.

Nonnè dicit Dominus Doctor, partibus litigantibus licere post latam sententiam iudicare de illa? videtis quomodo iterum tergiuersetur.

D. HVNNIVS.

Minimè, sed liquido responsum est, & vestris sophisticationibus ostenditis, scopum veritatis vobis in vestris disputationibus non esse præfixum.

D. HVNGERVS.

Prouoco ad iudicium, & memoriam auditorum.

D. TANNER.

Repetijt responsionem.

D. HVNNIVS.

Tu nouum aliquem terminum assumis.

D. HVNNIVS.

Quæritur, anne partibus Ecclesiæ sententiam latam ex verbo examinare liceat? Quod ad examinationem attinet, vtraq; pars tenetur sententiam ab Ecclesia ex scriptura latam probare; 1. Thessal. 5. num videlicet illa sit conformis, an verò difformis sacræ scripturæ, & ea pars quæ deprehendit sententiam Ecclesiæ, ex firmo fundamento scripturæ contra se latam esse, debet ex illa ipsa diiudicatione & examinatione cedere sententiæ, quam intelliget iuxta canonem scripti verbi diuini esse conformatam.

D. HVNGERVS.

Ista non euertunt ea, quæ paulò antè à nobis obiecta sunt; duo enim dixistis, Ecclesiæ authoritatem non esse absolutam, vt Dei, sed alligatam ad verbum Dei, adeò vt si Ecclesia, non determinet secundum, sed contra verbũ Dei, tunc erret Ecclesia, quantumuis Ecclesia. Deindè dictum est, quòd sit differentia inter iudicia ciuilia, & istud iudicium Ecclesiæ, nam ibi debent partes acquiescere, nec relinquitur liberum iudicium partibus: Iam stantibus istis duobus dictis, optimè constabit argumentum Tanneri, & ego non video, quo prætextu possitis euidenter amoliri illam difficultatem, quia secundum vos scriptura est infallibilis, non Ecclesia; sed stante hoc iudicio licet adhuc dubitare & controuertere. V. g. fingamus Ecclesiam, quæ secundum vos non est Ecclesia, nos habemus Pontificem pro summo iudice infallibili, sic Kemnitius examinat Concilium Tridentinum, an conforme sit scripturæ sacræ, nec ne, quod vobis concedentibus liberum fuit illi. Iam si illi liberum fuit, licet & alijs sine vlla contumacia iudicare de illo, nobis autem alia mens est, nam vbicunq; nos simus, siue in Hispania, siue in Gallia, siue vbicunq; simus, acquiescimus illis canonibus, nec nos audiuimus vllum ex Catholicis, qui Concilium Tridentinum non habuerit ratum, firmum & certum, atquè indubitatum. Ex his solidè & manifestè apparet, nullam esse solutionem, & non video quomodo vos extricetis.

D. IAC. HAILBRONN.

Quandoquidem intelligimus, Domino Procancellario absurdum videri, quod statuimus liberum esse iudicium de definitionibus Ecclesiæ, an verbo Dei sint consentanea, nec ne, quia hac ratione controuersiæ dirimi non possunt, ideò tantùm ostendemus præcipuam causam, ob quam, Ecclesiæ absolutam illam iudicandi authoritatem tribuere non possimus, sed liberum esse iudicemus, examinare; an illius sententia verbo scripto sit consentiens nec nè; Et

hoc

hoc ita probo. Si Deus concessisset Ecclesiæ absolutam illam authoritatem iudicandi de controuersijs religionis, tum nō liceret ipsius sententiā iudicare aut examinare; at Deus non concessit absolutam authoritatem iudiciariam Ecclesiæ; Ergò licet illius sententiam examinare.

D. GRETSERVS.

Negamus Minorem.

D. IAC. HAILBRON.

Probo; Si est aliquis iudex supra Ecclesiam, & is quidem solus audiendus, tunc Ecclesia non habet absolutam iudicandi potestatem; sed est alius iudex super Ecclesiam, & is quidem solus audiendus; Ergò Ecclesia non habet absolutam potestatem iudicandi.

D. TANNER.

Hic ludit Dominus, nam illum terminum (absolutam) distinguo; si accipiatur absolutam, vt significet omninò independentem ab alia potestate, ita concedo; si autem per absolutam, intelligamus eam potestatem, cui absolutè debent partes stare, & quam non debent in dubium vocare, tunc nego sequelam maioris propositionis; nam aliâs itaquoq; liceret argumentari. Si quis est alius Magistratus superior potestato ciuili, tunc illius potestas non est absoluta; sed est alius magistratus potestate superior ciuili, ergò ciuilis non est absoluta. Abutuntur Domini terminis absolutæ potestatis, procedatur ad argumentum indissolutum.

D. HVNNIVS.

Ad distinctionem illam (quòd dicitur interdùm absolutum significare idem, quod independens, interdùm verò, quod indeterminatum.) Respondeo nos vocem hanc non accipimus in priori significatione, sed in posteriori, qua absolutum distinguitur aduersus determinatum & restrictum; & hunc in modum, Ecclesiam dicimus habere potestatem non absolutam siue indeterminatam, sed determinatam & restrictam ad Dei verbum scriptum, quia per omnia, & in omnibus Ecclesia tenetur audire vocem sponsi sui filij Dei. Quod ad potestatem magistratus politici, is quoq; non simpliciter absolutam habet potestatem pronunciandi, sed restrictam ad leges diuinas, & legi naturæ consentaneas. Hoc autem interest inter magistratum politicum & Eccle-

Ecclesiam, quòd Magistratus politicus armata vi cogere potest partem nolentem, Ecclesia verò pugnat non armis carnalibus, 2. Corinth. 10. Et proinde Ecclesia non pratoria potestate pronunciat, vt magistratus, quia res ab Ecclesia diiudicante concernunt mortalium conscientias, quibus solus dominatur & imperat ipse Deus. Itaq; concludimus, quòd Ecclesiæ indeterminata potestas, quæ ad scriptum Dei verbum restricta non sit, nunquam concessa sit, neq; hactenus probatum esse, neq; in æternum probari posse.

D. TANNER.

Ad propositum.

D. HVNGERVS.

Idem monet.

D. HVNN.

Nos nostram causam tuebimur Scripturæ Sacræ testimonijs.

D. TANNER.

Ex vestris phantasijs, id est, ex Scriptura malè intellecta.

D. HVNNIVS.

Licet ne ex Scriptura disputare de hac materia?

D. TANNER.

Imò ex Scriptura rectè intellecta. Responde ad argumentum, nam hactenus nunquam ad illud est responsum.

D. HVNNIVS.

Multoties est responsum, quod testabitur Protocollum, quòd nempe partibus litigantibus post latam sententiã non concedatur potestas ita iudicandi vt parti erranti in errore perseuerare liceat.

D. TANNER.

Repetijt; & addit, partes litigantes possunt etiam facta decisione Ecclesiæ iudicare, idq; licitè. Ergò etiam seposita contumacia partium, manebit controuersia adhuc inter partes.

D. HVNNIVS.

Respondeo per distinctionem vocis, iudicare, quòd videlicet partes litigantes examinent quidem etiam post factam decisionem, sententiam latam, & quidem licitè iuxta testimonium Spiritus Sancti omnia probate, quod bonum est, tenete, 1. ad Thessal. 5. Probate Spiritus an ex Deo sint, Ioann. 4. Quòd autem liceat parti, cui error ex Scriptura per decisiuam sententiam Ecclesiæ commonstratus est, & ipsa sententiam Ecclesiæ latam, scripturis conuellere non potest, quòd inquã huic parti integrũ sit, dogma suum vlterius disceptare; Id verè

rò semper à nobis negatum est, de facto autem solet id fieri quotidiè, vt hæretici etiam post latam sententiam, & factam sententiæ examinationem, nihilominus suis opinionibus pernicaciter inhæreant, ita vt multi errores, vsq; ad finem mundi, porrò quoq; disputentur. Id verò peruersè ab illis fit, & dicimus tales iuxta Pauli sententiam esse deuitandos, post vnam atq; alteram admonitionem; ad Tit. 3. Sic ergò nostram sententiam ex scriptura indubitanter probauimus, simul etiam distinximus inter contradictionem partis errantis illicitam, & inter examinationem, quæ si fiat iuxta regulam & canonem scripturæ, licitam esse confirmamus ex allegatis scripturæ locis, omnia probate, &c. probate Spiritus, &c.

D. TANNER.

Conamini quidem respondere ad formam, sed informi responsione, quam repeto, &c. Quæro iam, an, quòd iste error v.g. partis eiusmodi sit sufficienter confutatus, nec ne, relinquatur iudicio partis litigantis, an non?

D. HVNN.

Respondeo quòd iudicium examinationis eatenus relinquatur parti erranti, vt videlicet sententiam contra se pronunciatam appendat ad bilancem scripturæ diuinæ, & hac facta examinatione, si deprehendat in sua conscientia, rectè contra se pronunciatam esse sententiam, tùm de iure non potest, neq; debet cōtinuare altercationem, sed in Ecclesiæ sententia legitimè facta penitus acquiescere. Si verò pergat contendere, tùm iuxta Apostoli sanctionem, talis relinquendus est Dei iudicio. hæreticum post vnam atq; alteram admonitionem declina, sciens quòd suo ipsius iudicio sit damnatus. Proinde siue pars damnata agnoscat legitimam Ecclesiæ sententiam, siue pergat contendere, siue non pergat; certum est, quòd Ecclesiæ sententiam examinare quidem possit, sed deprehensam quòd sit scripturæ consona, non debet amplius contradicere.

Responde ad dicta scripturæ.

D. TANNER.

Repetit breuiter hanc responsionem, addita quæstione hac; sed si non deprehendat, se legitimè condemnatum, quid tùm facere debet?

D. HVNNIVS.

Tùm petat ab Ecclesia vlteriorem declarationem, qui si semel atq; iterùm monitus est, & planè nolit acquiescere, is sanctione Apostoli, relinquendus est iudicio Dei

D. TANNER.

Sumo exemplum Caluinistarum, & controuersiam de cœna Domini, & quæro, quo nam modo illa controuersia dirimenda sit? Respondetur ad Ecclesiam quidem esse accedendum; Caluinista audiuit & nostram Ecclesiam, & vestram: dixerunt illi ambæ; vos erratis, illi contradicunt? vos certè erratis, quia etsi vos habetis literam scripturæ pro vobis, tamen ego habeo sensum, litera autem occidit, sed Spiritus viuificat, ita illa verba; Hoc est corpus meum, tropicè sunt intelligenda. Nā ita etiā, si oculus te scandalizauerit, erue, illa verba non vt sonant, sed tropicè sunt intelligenda.

Vlterius ergò quæritur, quando sufficienter ille Caluinista damnabitur? vos dicetis, quando ab Ecclesia sufficienter damnatus, aut conuictus, non acquiescit. Est ne iudicium illud relinquendum Caluinistæ ipsi, an sit sufficiēter ab Ecclesia damnatus? Nam si secundò & tertiò, & amplius licet illi iudicare, quando igitur Caluinista erit hæreticus, qui semper iudicabit, se non sufficienter esse damnatum? Nos habemus facilem solutionem; quia ille miser Caluinista non acquiescit in Ecclesiæ & SS. Patrum decretis, iam iudicatus est apud nos, & vos non potestis illi opponere vllam Ecclesiam; nec potest solui hoc argumentum; prouoco ad Protocollon.

D. HVNNIVS.

Dominum D. quem patienter audiuimus, speramus non interpellaturum & nostram quoq; responsionem; Quæritur, quando tandem Caluinistam sufficienter confutatum esse existimandum sit? Respondetur ex Apostoli Pauli sanctione, si semel atq; iterum solidè ex scripturæ fundamētis immotis refutatur Caluinista aliquis, & non acquiescat ille, habemus iam expressum mandatum, quid de illo faciendum sit, ad Tit. 3. nec expectandum est, donec Caluinista dicat; vel agnoscat se conuictum esse, scimus enim hæreticos sæpè, imò plerumq; contra suam conscientiam persistere in errore semel ad defendendum suscepto. Et quemadmodum vos existimatis, finitum iri controuersiam, si dicatis, Caluinistam illum damnatum esse iudicio Ecclesiæ, sic nos arbitramur, & firmiter statuimus, finitam esse controuersiam, quod quidem rerum dijudicationem attinet, si verè possumus dicere, hic Caluinista ex iudicio scripturæ damnatus est; ergò iam iudicatus est. Quòd si pergat ille τὴν θέσιν φυλάττειν*, hoc est thema suum defendere, expositum antè est, quòd relinquendus sit iudicio Dei. Nihilominus verò res ipsa ad assertionem veritatis vrgenda est apud populum Christianum. Et hoc modo existimamus abundè satisfieri rei, quæ in controuersia est.*

Quod

Quod reliquum est, iudicabit suo tempore Deus immortalis, vel in hac vita, vel coram tribunali Domini nostri Iesu Christi. Hoc tantùm adijcio, huiusmodi Caluinista, ne vestra quidem Ecclesiæ decisionem admittet. Itaq; nihilominus manet illa controuersia, etiam post vestræ Ecclesiæ decisionem. Atq; sic hoc exemplum est petitio principij.

D. TANNER.

In hoc par est ratio nostri & vestri iudicis, quòd scilicet Caluinista qui hæreticus est, repudiat vtriusquè Ecclesiæ iudicium; sed hoc est discrimen, quòd concedendo nostrum iudicem, fateri debet Caluinista, se esse iudicatum, atq; adeò quantùm est ex parte huius iudicis, damnatum: sed non est talis ratio cum vestro iudicio; nam etiamsi illum non repudiet, sed admittat etiam id, quòd ille sit iudex, quem vos dicitis, nempe sola scriptura, adhuc tamen ipse non potest, nec vult fateri, nec in sua conscientia adigi potest, vt fateatur, quòd sit conuictus à tali iudice, scilicet à scriptura.

SES-

SESSIO DECIMA QVARTA.

7. Decembris.
27. Nouembris. Anno 1601.

A Meridie.

D. GRETSERVS.

Serenissimi & Illustrissimi Principes, Domini clementissimi, hodierna sessione vtrinq; agitatum est argumentum pro ea assertione, quæ dicit, Ecclesiam esse communem iudicem omnium controuersiarum. Et cum de illo argumento satis dictum sit, gradum faciemus ad secundum, quod tale est. Ille est iudex absolutus omnium controuersiarum, qui iam pro præsenti statu, quando aditur, absolutam & vltimam sententiam clarè & distinctè fert in controuersijs. Sed Ecclesia nunc & pro præsenti statu, quando aditur, fert vltimam & absolutam sententiam clarè & distinctè, in controuersijs fidei. Ergò Ecclesia est absolutus iudex omnium controuersiarum fidei.

D. HVNNIVS.

Repetit, & addit; possem respondere, esse Syllogismum in secunda figura affirmatiuum, ac proinde formam esse vitiosam. Quia verò non potissimum agitur de formalitatibus, sed quia res nobis curæ esse debent, idcircò ad minorem. Respondeo Ecclesia nunc & pro præsenti statu, &c. hanc minorem ratione vocabuli (absolutam) nego, & peto, vt probet Dominus Aduersarius absolutam sententiam in controuersijs fidei fieri ab Ecclesia, sicut hodiè vox illa, absoluta, declarata est, quod cum indeterminata coincidat.

D. GRETSERVS.

Possem quidem ostendere, eum Syllogismum non esse vitiosum, sed quia res placent, ad eas progredior, & probo minorem: Illa est absoluta sententia & vltima, post quam nō datur alia in eodem foro; sed post sententiam Ecclesiæ non datur alia in foro huius vitæ; Ergò est absoluta & vltima sententia.

D. HVNN.

Ite-

Iterum est ambiguitas in epitheto, absoluta; hodiè vocula, absoluta, aliter fuit definita.

D. GRETSERVS.

Est ne vera maior aut minor?

D. HVNNIVS.

Respondeo. Negamus maiorem; id est, quòd hac sententia sit absoluta, post quã in hoc sæculo non datur alia. Posteà negamus esse vltimam etiam in hoc sæculo.

D. GRETSERVS.

Probo maiorem; vltimum est illud, post quod non sequitur aliud; absolutum est illud, quod absolutè tenendum est; sed post illam sententiam, non sequitur alia sententia, & absolutè tenenda est in hoc foro; Ergò est absoluta & vltima.

D. HVNNIVS.

Negatur minor.

D. GRETSERVS.

Minor patet. Non sequitur alia sententia post sententiam Ecclesiæ in foro huius vitæ; Ergò est vltima sententia.

Sententia Ecclesiæ est absolutè tenenda; Ergò est absoluta.

D. HVNN.

Respondeo ad probationem maioris; ea ratione vtriusq; membri, laborat petitione principij, non aliam sequi sententiam. Probetur itaq; vtrumq; membrũ.

D. GRETSERVS.

Non est alius judex qui clarè & distinctè ferat sententiam, post Ecclesiæ sententiam, in præsenti statu; Ergò sententia Ecclesiæ est vltima.

D. HVNN.

Vtrumq; falsum est; & probetur vtrumq;.

D. GRESERVS.

Cuius ergò sententia sequitur?

D. HVNNIVS.

Quandò controuersia aliqua deciditur in hoc sæculo, tunc sanè Ecclesia judicialem suam sententiam, sed determinatam interponit, scriptura verò vel Deus, per & secundum illam, in hac judicaria potestate, & principium judicandi, & finem retinet, ita vt post latam sententiam ab Ecclesia, nihilominus Christiani non aliter sint obstricti ad eius sententia obseruationem, nisi eam juxta præceptum Apostoli Pauli, & Ioannis, probent & examinent ex scriptura, ac

ra; ac proinde scriptura semper retinet vltimam decisiuam sententiam, in hoc etiam sæculo.

D. GRETSERVS.

Testimonia illa nihil faciunt ad rem. Contrà sic argumentor. In Concilio Nicæno V. G. damnatur Arius ista sententia; Arius est Anathema: In Concilio Constantinopolitano Macedonius eadem illa sententia: In Ephesino Nestorius hac sententia; Nestorius est Anathema: In Chalcedonensi Seuerus & Seueriani, & sic in reliquis Concilijs omnes illa sententia: Sed hæ sententiæ Conciliorum fuerunt vltimæ; Ergò Ecclesiæ sententia est vltima & absoluta.

D. HVNN.

Respondeo, minorem negamus, quòd nimirùm illæ sententiæ fuerunt vltimæ.

D. GRETSERVS.

Minorem ita probo. Post istam sententiam; Arius & alij sunt Anathema &c. non secuta est vlla sententia alia; Ergò ista fuit vltima sententia.

D. HVNNIVS.

Respondeo. Non quidem in solemni Concilio sententia alia est lata post istã sententiam, nihilominus manet scripturæ sacræ sua & prima, & vltima judiciaria potestas, vt post illam in Concilijs latam sententiam, nihilominus inquirere liceat in decreta Conciliorum, eaq́; exigere ad canonem sacrarum literarum, quandoquidem decreta & canones Conciliorum, sunt quidem quod ad Arij & reliquorum hæreticorum condemnationem attinet, orthodoxa, nec tamen sunt per sese αὐτόπιστα *sed ideò judicantur esse* ἀξιόπιστα, *hoc est, fide digna, quia nimirum ad vnicam* αὐτόπιστον *normam sacræ scripturæ concordant. Idcirco etiamnum hodiè non nos tantùm, sed vestrates quoque sententiæ, per Nicænum Concilium latæ, rationes in scripturis exquirunt, quæ minimè opus foret, si per se, simpliciter, & absolutè standum esset judicio canonum, seposita scripturæ sacræ authoritate, & ad illam examinatione.*

D. GRETSERVS.

Nos non dicimus, Concilium posse aliquid definire, non respiciendo ad scripturam, sed hoc ipso, quòd postquam sententia est lata ab
*fit Ecclesia, vlterius nihil * esse scrutandum. Redeo ergò ad antecedens, quod D. Doctor nec negauit, nec affirmauit, seu concessit. Repetijt syllogismum.

D. HVNNIVS.

Solutum

Solutum est hoc argumentum, & eò in velitatione deuentum, vt dixerit D. D. decretis Concilij ob hoc ipsum esse credendum, quia Ecclesia sic definiuerit.

D. GRETSERVS.

Responde ad Antecedens, & noli aliò diuagari.

D. HVNN.

Sententia nulla alia extat post datam à Concilio &c. Respondeo semper datur à spiritu sancto, & proponitur nobis sententia in scriptura, quoties vel vos, vel nos pronunciamus contra Arium.

D. GRETSERVS.

Respondeat D. D. ad Enthymema.

D. HVNN.

Negatur Antecedens; non enim sententia Concilij, sed spiritus sancti sententia in scriptura semper est vltima.

D. GRETSERVS.

Repetijt argumentum, & vrget responsionem categoricam.

D. HVNNIVS.

Responsum prius est, quòd videlicet sententia in Nicæno Concilio lata contra Arium, multoties in alijs quoq; Concilijs fuerit repetita, tametsi non totidem verbis, semper autem adhuc repetitur ex scriptura sacra, & nos definitionem controuersiæ inter Arium & Orthodoxos nequaquam fundamus in Decreto Concilij Nicæni, sed si de αὐτοπίστῳ judice loquimur, dicimus nostram sententiam contra Arium, in Dei verbo scripto, primò & vltimò esse fundatam, tanquã in canone, secundum quem spiritus sanctus iudicat omnes controuersias. Et Ecclesia est interpres, non absolutus judex. Nam Patribus Nicæni Concilij fidem non haberemus, nisi demonstrare possent, decreta contra Arium facta, in ipsa scriptura Prophetarum & Apostolorum comprehendi.

D. GRETSERVS.

Ille est judex qui reum condemnat ex officio & authoritate: Patres Concilij Nicæni condemnarunt Arium ex officio & authoritate; Ergò Patres Concilij fuerunt judices Arij.

D. HVNNIVS.

Respondeo esse æquiuocationem in vocabulo, Iudicis, qui absolutè reum condemnat, is absolutus judex est, qui verò determinatè condemnat, non absolutè judex est; Patres verò Concilij non absolutà, sed restricta authoritate condemnarunt Arium, sicuti Constantinus Magnus Imperator eo fine Patribus propo-

proposuit in medium scripta Prophetarum & Apostolorum, & exhortatus est illos, vt omissis altercationibus, rem vniuersam ex scriptura Prophetarum, Euangelistarum, & Apostolorum deciderent. Et ita certum est, quòd Patres Concilij Arium condemnarint authoritate ex scripturis desumpta, atq; sic potestate non illimitata, sed determinata.

D. GRETSERVS.

Probo quòd absolutè judicarint. Quicunq; post definitionem Concilij Nicæni, Arium defendit, pro hæretico simpliciter habitus est; Ergò damnatio illa Concilij fuit absoluta.

D. HVNN.

Repetit argumentum; Qui post Nicani Concilij definitionem defendit Arium, habetur pro haretico, non principaliter, quod Arius à Concilio esset damnatus, sed principaliter, quod in Concilio è scriptura esset damnatus; Vnde adhuc liquet, scriptura sententiam esse in definitionibus controuersiarũ, principium & finem, α & ω.

D. GRETSERVS.

Ipse Arius eiectus est in exilium statim cum alijs Episcopis, quia noluerunt subscribere symbolo Nicæno, & anathemati, quo Arius damnatus est; ergò concilij sententia fuit vltima.

D. HVNNIVS.

Quandoquidem augustissimus Imperator Constantinus agnouit, sententiam esse latam ex scriptura Prophetica, Euangelica & Apostolica, idcirco obseruatis iam decisionis illius momentis, quòd videlicet in scriptura manifestè fundata esset, officium suum fecit eijciendo insanabilem Arium, vt & eos, qui erant ipsi Ario ὁμόψηφοι *& consentientes; nec tamen probatur hinc, vel Ecclesia authoritas aliqua infallibilis, vel absoluta, sed, vt dictum est, ex scripto Dei verbo decisio facta, meritò in executionem venire debuit.*

D. GRETSERVS.

Quòd Arius condemnatus sit secundum scripturam, vt normam, non negamus: sed quærimus quis fuerit ille judex, qui tulerit sententiam quam postea executus est Constantinus Magnus Imperator? & ita argumentor, & probo; quod ipsum Concilium Nicænum tulerit illam sententiam.

D. HVNN.

D.D. contradictionibus semet implicat, dicit esse infallibilem authoritatẽ Ecclesia, non per se, sine scriptura intuitu, vnde sequitur absolutam illam minimè esse.

D.GRET-

D. GRETSERVS.

Negat hoc. D. D. digreditur. Princeps & Imperator etiam respiciunt ad leges, & pronunciant secundum illas, nihilominus tamen habent absolutam potestatem, suo modo, ita omnes definitores debent inniti scriptura, sed non sola.

D. HVNNIVS.

Hoc si ita est, quòd videlicet decreto Concilij Niceni ideò creditur, quia ex fundamento exstructum est sacra scriptura, sequitur quod decreto Concilij Niceni non per sese, sed propter sacra scriptura congruentiam, fides adhibeatur, & proinde absolutum minimè sit, sed ad scripturam restrictum illius iudicium,

D. TANNER.

Non est quæstio, an Concilium possit aberrare, si ad scripturam non respiciat, sed hoc, an eius posteà sententia ab omnibus sequenda sit, & an in dubium possit reuocari, vel posteaquam Concilium & summus Pontifex definierit aliquid, an liceat illam sententiam alicui iterum examinare, num iuxta scripturam definita sit, quod absit à nobis vt dicamus, vel cogitemus; sed dicimus Concilium habere à Deo authoritatem absolutè infallibilem, & proinde non esse de eius sententia dubitandum, an scilicet sententia à Concilio lata, sit vera nec ne; quod ita probamus. Si concilia illa quatuor Oecumenica antiquissima semper habuerunt illam sententiam pro vltima, nec alijs licitum fuit sententiam illam retractare, tunc sentiendum est sanè, quòd illa fuerit vltima & infallibilis; sed verum est antecedens; ergò & consequens.

D. HVNN.

Negat propositionem minorem.

D. TANNER.

Quatuor illa vniuersalia Concilia postquam sententiam tulerunt, sine mora curarunt, vt eiusmodi sententia executioni mandaretur, nec permiserunt reis condemnatis, vt sententiam rursus retractarent, aut examinarent; Ergo omninò censuerunt illa Concilia, esse vltimam sententiam.

D. HVNN.

Respondeo argumento D. Doctoris inesse fallaciam causa: Quod enim Conciliorum decreta venerunt in executionem, non id factum est propter quandam infallibilitatem Ecclesia, sed propter demonstratum consensum sacra scriptura.

D. TANNER.

Contrà sic argumentor. Sententia illa non erat ita probata ex scriptura, quin Arius, Nestorius, Macedonius, Seuerus, &c. adhuc censuerint illam scripturæ consentaneam non esse, & nihilominus illa Concilia non permiserunt, vt decretum illud rescinderetur; Ergò omninò censuerunt, sententiam suam esse vltimam.

D. HVNNIVS.

Iterum est fallacia causæ. Negatur consequentia.

D. TANNER.

Probo. Quando dicitur, ideò sententiæ eiusmodi Concilii debuisse stare hæreticos, quia videlicet hæretici illi per scripturam fuissent sufficienter condemnati, & refutati, aut intelligitur refutatos esse sufficienter per sententiam, iudicio ipsorummet hæreticorum, aut iudicio Concilii. Si dicatur ideò præcise, quia iudicio conciliorum fuerunt refutati, manet semper, quod vltima sententia fuerit penes concilium, & ita penes Ecclesiam. Si autem dicatur, quod iudicio ipsorummet hæreticorum sufficienter sint refutati; absurdum foret; Ergò sequitur necessariò prius.

D. HVNN.

Respondeo. Quod Arius condemnatus sit sufficienter, & executio per politicum magistratum Constantinum Imperatorem legitimè suscepta in illum, minimè negamus; Quòd verò attinet ipsum dogma Arii, certum est, ideò & non aliter standum fuisse decreto Concilii, quàm quòd animaduersum & euidenter obseruatum est, eam condemnationem dogmatis Ariani ex scriptura sacra petitam, & illius fundamento superstructam esse.

D. TANNER.

Nihil sufficienter responsum ad meum argumentum. Quando dicitur illos quatuor hæreticos ideò sufficienter esse condemnatos, quia per scripturam sufficienter refutati sunt, aut intelligendum id est, quia per scripturam ipsorummet quatuor conciliorum, * Patrũ iudicio præcisè sunt à scriptura damnati, aut quia ipsorum hæreticorũ iudicio, &c. Posterius dici non potest; Ergò prius.

* seu Patrum

D. HVNNIVS.

Respon. iterũ D.D. vnũ idemq; aliis & commutatis verbis repetit, & stat adhuc sententia nostra, quod Arius condemnatus sit iudicio & concilii, & scripturæ; Concilii quidem determinatè & secundariò; scripturæ verò iudicio absolutè & primariò. Proinde non habuerunt concilia potestatẽ præcisè & absolutè dam-

damnandi Arium, sed potestatem ligatam vel astrictam ad Dei verbum scriptum, quod Patribus etiam tanquam Canon iudicii illius, à Constantino Magno propositum est. Itaq; in eo consistit fallacia, quod D. D. id, quod secundum quid verum est, accipit simpliciter.

Interim simpliciter & absolutè iudicium illud pertinet ad Spiritum sanctum in scriptura loquentem. Atq; sic licet, & licuit, & licebit, porrò etiam, pia disquisitione damnatum dogma Arii non tantum examinare iuxta decretum Concilii, sed vel inprimis iuxta infallibilem authoritatē sacrarū scripturarū.

D. TANNER.

Responde in forma. In forma noluisti ad hoc respondere, quia non potuisti. Ideò repeto argumentum prius.

D. HVNN.

Ego prius in forma respondi, ostendendo qualis fuerit fallacia. Quod ad tuum Syllogismum iterum recoctum attinet, Respon. negando consequentiam.

D. TANNER.

Repetatur argumentum, nec peruertatur; hoc enim est tergiuersari, de quo protestor.

D. HVNNIVS.

In hac vltima tua argumentatione terminum sufficienter assumpsisti, quod videlicet, aut secundum iudicium ipsorummet hæreticorum sufficienter refutati sint hæretici per scripturam, aut quia ipsorum præcisè Conciliorum iudicio, per scripturam sint sufficienter condemnati. Respondeo, Hæretici condemnati sunt, & per scripturam sufficienter, & per Ecclesiam sufficienter itidem, diuersa tamen ratione.

Prouoco ad Principes, & peto imponi Tannero, vt obseruet leges.

D. TANNER.

Si non leges seruo, cupio me hodie remoueri ab illa disputatione, sin minus, iuuent Serenissimi negotium expedire, ne quasi palpitantes cespitemus.

D. HVNNIVS.

Certè ego non sum in culpa, sed tu ludis sophisticationibus. scriptura quidem vt canon Spiritus sancti, iudicat hæreticos sufficienter: Ecclesia verò sufficienter condemnauit Arium & alios hæreticos, determinatè loquendo, quia videlicet iuxta Canonem diuini iudicii, sacra scriptura amussim atq; regulam, condemnauit Arium aliosq; hæreticos, atq; sic iudicium id tribuitur Spiritui S. & verbo eius primò & principaliter, & absolutè, & indeterminatè; Ecclesia verò sufficiens illud iudicium consequenter, secundariò, determinatè & restrictè.

D. TANNER.

Non est ad rem, apparet te non posse respondere.

D. HVNN.

Judicabit Ecclesia: Tu reformidas Protocollon, ex eo te iudicabit Ecclesia.

D. TANNER.

Itaq, manet quæstio, & adhuc vrgeo, atq; quæro hoc: an ipsorum præcisè Conciliorum iudicio, an verò ipsorummet quoque hæreticorum præcisè iudicio, iudicentur hæretici?

D. HVNN.

Neutro præcisè, vt tu vis. Dicimus enim quod Concilium rectè definiuerit, & sufficienter Arij dogma confutârit, non ratione ipsius authoritatis Concilij, sed ratione authoritatis sacræ scripturæ; Contingit enim vt Oecumenica etiam concilia errent.

D. TANNER.

Non est de hoc quæstio.

D. HVNN.

Remoueatur membrum de hæreticis: Nam Arius non cognouit se esse, sufficienter damnatum, sed reclamauit Concilio.

D. TANNER.

Quæro, quorum nam iudicio per scripturam sufficienter hæretici sint damnati?

D. HVN.

Judicio, & Spiritus sancti in scriptura loquentis, & iudicio quoq; Concilij diuerso tamen iudicij gradu.

D. TANNER.

Quæro, quis nam iudicarit, & iudicare debuerit, quòd Spiritus sanctus in scriptura condemnarit illos hæreticos?

D. HVNNIVS.

Responsum multoties est, quod & iudicio Spiritus Sancti, & Patrum quoq; iudicio sint condemnati, diuerso tamen gradu. Act. 15. celebrata est Synodus, & in Synodali Epistola habetur; Visum est Spiritui sancto, & nobis, &c. Apostoli ipsi non solum Ecclesiam sibi congregatam, sed Spiritum sanctum eius decreti authorem constituunt; diuersa tamen ratione: Spiritui Sancto quidem ex plenitudine iudiciariæ potestatis hoc tribuitur, Apostolis verò ex sacra scriptura pronunciantibus, tanquam legatis Dei. Jã verò in Concilio Niceno, quandoquidem

dem nulli præsederunt Prophetæ, nulli etiam Apostoli, sed Patres, quos constat infirmitati errandi potuisse esse obnoxios: Idcirco multò magis in hoc Nicæno Concilio, judicium supremum spiritui sancto in solidum adscribendum est. Iudicium verò in inferiore gradu attribuitur Patribus quoq; Concilij, quatenus spiritus sancti mentem & sententiam in verbo scripto patefactam sequebantur.

D. TANNER.

Iam manet adhuc quæstio, quomodo intelligendum sit, quando dicit D.D. et spiritus sancti judicio, & judicio Concilij damnatos esse hæreticos.

Nam de hoc quæritur, quo nam modo spiritus sanctus in Concilio loquens, hæreticos vltimatè condemnârit, an loquendo per scripturã, an verò loquendo per Concilium.

Non per scripturam; Nihil est ad rem; quia de ipso judicio scripturæ disceptabatur. Si per Concilium, id pro nobis est. Manet enim iam quod vltima sententia sit penes Concilium, quod regitur à spiritu sancto.

D. HVNN.

D.D. inquit, quod dictũ est de spiritu sancto sententiam ferente, id aut intelligendum esse de spiritu sancto loquente per scripturam; aut de eodem loquente per Concilium.

Respondeo quod diuerso respectu spiritus sanctus in Concilio Nicæno, & per scripturam locutus sit, tanquam per verbum suum, & quoq; per Patres Concilij, tanquam verbi huius diuini interpretes, qui sententiam diuini spiritus in dijudicatione Ariani dogmatis, non aliunde quã ex verbo spiritus sancti scripto deprompserunt, eaq; sententia Arium hæreseos cõdemnarunt. Ita patet, quod distinctè spiritus S. & per scripturam, & per Concilium, suam mentem expresserit. Quòd autem Patres habuerint infallibilẽ authoritatẽ, ita vt judicando errare non potuerint, id hactenus probatum nunquam est, neq; porrò etiam probabitur.

D. TANNER.

Non ad rem: Quæritur enim cum dicitur, quod per scripturam, seu per spiritum sanctum loquentem in scriptura, sint isti hæretici condemnati, an id factum sit judicio ipsius spiritus loquentis per Concilium, an verò judicio aliorum aliquorum, & ita ipsorum etiam hæreticorum.

D. HVNNIVS.

Non per judicium aliorum, sed judicio Concilij, ita tamen vt illud judiciũ respectu spiritus sancti fuerit absolutum, respectu verò Concilij determinatum.

D. TANNER.

Nihil ad rem: Vrgeo responsum aliud ad quæstionem meam.

D. HVNN.

Quoties tibi dictum est, condemnatos esse hæreticos iudicio Concilij, sed determinato, & non prætoria authoritate, atq; sic iudicio patrum, non vt iudicum absolutorum, qui iudicarent ex quadam infallibilitate quæ prætenditur, sed vt interpretum Oraculorum diuinorum. Itaq; Patres, imò Conciliũ ipsum, ex tenore sacræ scripturæ pronunciarunt hanc sententiam, quæ spiritui sancto primò, Concilio secundario, & ratione interpretationis tribuenda est: Ergo illud iudicium fuit decisiuum & vltimum ratione scripturæ, non respectu Patrum Concilij.

D. TANNER.

Resumo responsionem, & illius declarationem, & quæro an illud judicium sit vltimum.

D. HVNNIVS.

Ratione scripturæ est vltimum, penes quam manet potestas iudicaria ratione principij, & ratione finis.

D. TANNER.

Quia facto hoc judicio, postquam Concilia hæreticos illos damnarunt, nulla relinquebatur facultas vlli aliter judicandi; Ergo hæc fuit vltima sententia.

D. HVNNIVS.

Repeto argumentum: Quia facto iam iudicio, Arium esse refutatum, non licuit cuiquam hanc definitiuam sententiam retractare, aut in dubium vocare; Ergo fuit vltima. Respondeo est fallacia causæ, non enim ideò in dubiũ reuocare non licuit sententiam, quasi videlicet iudicium siue sententia hæc nitatur quadam Ecclesiæ infallibilitate, sed ideò in dubium vocari non debuit, quia rectè ex scriptura erat definitum, quod ipsum tamen decretum definitiuum examinare licuit populo Christiano, & adhuc licet, vt facta collatione decreti ad scripturas sacras, confirmius, non propter authoritatem Ecclesiæ, sed propter scripturæ maiestatem, assensum præbeamus promulgatæ sententiæ.

D. TANNER.

Negasti ne, an distinxisti antecedens?

D. HVNNIVS.

Respondi per distinctionem: non fuit retractandum illud decretum, non quidem respectu cuiusdam infallibilis authoritatis Ecclesiæ, sed propter consensum cum scriptura. Et hic est scopus vniuersæ huius disputationis.

D. TAN-

D. TANNER.

Repeto argumentum. Ideò isti hæretici censebantur sufficienter damnati, quia fuerint damnati per Concilium, nec licuit vlli in dubium vocare illam sententiam; Ergò Concilij sententia fuit vltima.

D. HVNNIVS.

Nego consequentiam.

D. TANNER.

Probo. Illa est vltima sententia, per quam aliquis sufficienter damnatur; sed per istorum Conciliorum sententiam, qua judicabantur illi hæretici aduersantes scripturæ, sufficienter damnabantur illi hæretici; Ergò illorum Conciliorum sententia fuit vltima.

D. HVNN.

Respondeo per distinctionem vocabuli, sufficienter; illa est vltima sententia per quam aliquis sufficienter damnatur, sed per istorum Conciliorum sententiam &c. (repetijt) Itaq; vox sufficienter hoc loco annumeratur ijs, quæ sunt πρὸς ἓν *vel* ἀφ' ἑνὸς, *quæ sunt æquiuoca, iuxta diuersos sufficientiæ gradus. Alio gradu sufficientiæ damnatus est Arius, per scripturam, alio verò gradu per Concilium. Quod attinet scripturam, sufficientia damnationis in ea vnicè fundata est; quod attinet Ecclesiam, sufficientia damnationis Arianæ hæreseos, adscribitur Ecclesiæ siue Concilio, non per se, sed respectu & ratione fundamenti Propheticæ & Apostolicæ scripturæ. Et sic manet prima & nouissima sententia damnationis hæreseon in ostenso priore gradu, vnicè penes scripturam sacram, & spiritum S. in ea loquentem: Ecclesia verò non nisi sub ratione doni interpretationis, & quatenus ex scriptura sua argumenta deducit, sufficientia condemnationis errorum adscribenda est.*

D. TANNER.

Quid dixisti quæso, ad quam propositionem?

D. HVNN.

Ad hunc scopum & finem dicta sunt, vt ostenderetur, Ecclesiæ siue Concilio non absolutam vel indeterminatam, sed limitatam & determinatam potestatem in faciendo iudicio esse concessam.

D. TANNER.

Quid dixisti quæso?

D. HVNNIVS.

Ego prouoco ad Protocolon; quia iussus sum à Serenissimis & Illustrissimis Principibus hoc argumentum concludere.

D. TAN-

D. TANNER.

Protocollon æquè parùm tuam ſententiam intelligit, ac ego; quia nihil ad propoſitum. Ego me quoq; refero ad Protocollum.

D. GRETSERVS.

Dicis, quòd ipſe ſpiritus ſanctus loquens per ſcripturá, non tantùm per Patres damnauerit Arium. Ego ſic argumentor.

Nuſquam extat in Scriptura ſententia condemnatoria Arij, Neſtorij, &c. Eutychetis, & reliquorum; Ergò ſcriptura nec ante, nec poſt illa Concilia condemnauit illos hæreticos.

D. IAC. HAILBRONNER.

Reaſſumpſit, & negauit antecedens.

D. GRETSERVS.

Probo. Nuſquam in tota ſcriptura reperitur hæc ſententia; Arius eſt hæreticus; Neſtorius eſt hæreticus &c. Ergò ſcriptura non condemnauit Arium tanquam judex.

D. IAC. HAILBRONNER.

Non opus eſt vt hæc verba extent in ſcriptura, ſed ſufficit, quòd in veteri & nouo Teſtamento multoties repetitur doctrina de æterna diuinitate filij Dei Ieſu Christi &c. quam oppugnauit Arius. Quia igitur ſpiritus S. in ſacra ſcriptura appellat Chriſtum Dominum & Deum, ſequitur neceſſariò, Arij hæreſin in ſcriptura eſſe condemnatam, quia contradictoria non ſunt ſimul vera.

D. GRETSERVS.

Sententia judicis debet eſſe clara & diſtincta, & explicita, vt eſt ſententia judicis; Iſta ſententia ſcripturæ non fuit clara & diſtincta, & perſpicua, vt ab Ario intelligeretur; Ergò ſcriptura non condemnauit illum.

D. IAC. HAILBRONNER

Nego minorem; quia ſententiæ ex ſcriptura allatæ probant contrarium.

D. GRETSERVS.

Probo. Quia ſi in ſcriptura clarè fuiſſet contenta, nunquam Arius vel Neſtorius defeciſſent à recta fide; ſed defecerunt à recta fide; Ergò non fuit illa ſententia clara & perſpicua.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Nego conſequentiam.

D. GRETSERVS.

Peto ſen-

Peto ſententiam condemnatoriam ex ſcriptura demonſtrari. Probo conſequentiam. Si Arius vel Neſtorius legiſſent in ſcriptura, Arius eſt Hæreticus, Neſtorius eſt Hæreticus &c. non defeciſſent à fide; ſed illud non legerunt in ſcriptura; Ergò &c.

D. HVNN.

Quid opus eſt Indiuiduum exprimere? quando Chriſtus Ioan. 3. inquit; qui non credit, iam judicatus eſt &c. complectitur non modò omnes non credentes in genere, ſed etiam Arium, & damnat eum, non credentem Chriſti diuinitatem, ſicut lex politica, quæ ſtatuit, quòd fures ſint ſuſpendendi, non tantùm omnes in genere, ſed etiam indiuidua complectitur: Et proinde in ipſa lege judicium contra hunc vel illum furem latum eſt, quantumuis non exprimatur nomen Titij, vel Caij, vel alius.

D. GRETSERVS.

Hoc nihil eſt, virtute legis condemnantur: ſed quid dicit Dominus D. ad argumentum? ſcriptura condemnat Arium tantùm implicitè, cum ſententia debeat eſſe clara.

D. HVNN.

Quando ad Rom. 9. cap. dicitur; Chriſtus eſt Deus ſuper omnia benedictus in ſæcula; proponitur ſententia affirmatiuè, & alibi in ſcriptura negatiuè proponitur: Qui non habet filium, nec patrem habet; Quæ negatiua ſententia judicat omnes eos & ſingulos, Arium, Cherinthum, & quoſcunq; diuinitatem Chriſti abnegantes, quantumuis non explicitè nomen Arij aut Cherinthi extet.

D. TANNER.

Arius facillimè reſponderet; illud, qui eſt Deus benedictus ſuper omnia, referri ad Deum Patrem, non ad filium. Sed quid reſponderetur illi, ſepoſita authoritate Eccleſiæ?

D. HVNNIVS.

Non congrueret Grammaticæ, quod Bellarminus & alij veſtri ſolidè demonſtrant. Produco aliud teſtimonium Ioan. 1. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt &c. Et paulò poſt; Et verbum caro factum eſt &c. hic manifeſtè nomen verbi, applicatur ad Chriſtum incarnatum, & pronunciatur quod IESVS *Chriſtus ex* MARIA *natus ſit verus ille Deus, λόγος, per quem omnia ſunt condita. Itaq; qui hoc non credit, is iam judicatus eſt, ſiue vocetur Arius, ſiue Cherinthus, ſiue Paulus Samoſatenus.*

D. TANNER.

Aliud argumentum ex dicto Matth. 18. Dic Ecclesiæ, Deut.17. si fuerit ambiguum &c. sic argumentor. Iudex in omnibus controuersijs talis esse debet, quem omnes habentes aliquas controuersias possint adire & accedere, sed scriptura non est talis, verùm Ecclesia; Ergò Ecclesia est Iudex, non scriptura.

D. IAC. HAILBRONNER.

Repetit argumentum, & negat minorem.

D. HVNN.

Maiorem cum declaratione vocabuli, Accedere, concedo; adeuntur in scriptura & consuluntur Moyses & Prophetæ, sicut Abraham monet, vt diuitis Epulonis fratres Moysen & Prophetas adeant, Luc, 16. Ergò maior conceditur secundum quid.

D. TANNER.

Probo minorem. Eatenus tantùm, & ea ratione acceditur ad scripturam, quatenus scilicet illa legitur, & secundum sensum spiritus sancti intelligitur; sed multi sunt in Ecclesia, qui scripturam legere nō possunt, multò minus intelligere & expendere; Ergò plurimi sunt in Ecclesia, qui scripturam accedere non possunt.

D. IAC. HAILBRONNER.

Nego tuam maiorem esse sufficientem.

D. TANNER.

Probo. Auditio enim non est sufficiens medium, quia sunt in Ecclesia multi, qui audiūt quidem scripturas, duos V.G. Prædicantes seu concionatores, vnum catholicum, alium Hæreticum, diuerso sensu scripturam explicantes, & nihilominus adhuc dubitant, quisnam verum sensum dixerit, & legere non possunt. non habent amplius medium accedendi scripturam.

D. IACOBVS HAILBRONNER.

Negamus illos non habere aliud medium.

D. TANNER.

Ex auditu dubitant, & legere non possunt; Ergò nullum habent aliud medium adeundi scripturam.

D. HVNN.

Possunt

Possunt conferre vtramq́; inter se doctrinam, nam de fidelibus suis Christus inquit, Ioan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, alienum autem non sequuntur, &c. Ostenditur ea sententia, quod oues, adeoq́; omnes Christiani possint suo modulo vocem Principis pastorum Christi, à voce alienorum dignoscere & dijudicare. Quapropter si maximè simplex aliquis Christianus audiat & Pontificium Doctorem, & Euangelicum, tamen accedentibus precibus pijs, & meditatione in timore Domini, & diligentii inquisitione, dubium nō est, quin per Dei gratiam his alijsq́; adminiculis, ad veram doctrinam à falsa dignoscendam & ita ad vocem Christi, à voce aliena discernendam peruenire valeat.

D. TANNER.

Adhuc tamen manet controuersia, manet dubitatio, ad quam tollendam requiritur judex, quem adire possint.

Et vt amplius probem hoc non esse medium sufficiens & ordinarium, ita argumentor. Compertum est in Ecclesia, quòd multi sanctissimi & præstantissimi viri, nō obstantibus tamē precibus continuis, à scripturæ sensu aberrauerint; Ergò constat hoc non esse medium ordinarium & sufficiens perueniendi ad perfectam in omni religionis controuersia, spiritus sancti sententiam.

D. HVNNIVS.

Respondeo per distinctionem: Aliud est habere aliquod medium, vel potius media & adminicula fidei, aliud verò ea debito modo vsurpare: si auditum verbum debita ratione vsurpetur, & adhibeantur preces, & quis verbum illud meditetur sine præjudicio, quod aliàs veræ intelligentiæ obstat; Ibi verò Christus vniuersaliter pronunciat de ouibus suis, quod nouerint distinguere & dignoscere vocem pastoris, à voce alienorum. Et Esaiæ 55. Dominus dicit; verbum suum non rediturum esse vacuum, apud eos maximè, qui illud in timore Domini meditantur, Psal. 25.

Quod attinet experientiam multorum sanctissimorum virorum aberrantium &c. Respondeo non est nostrum iudicare, quid talibus obstiterit, quò minùs Deus illos radijs agnitionis suæ illuminauerit: Possunt enim esse causæ multæ, soli Deo cognitæ, non tamen iniustæ. Est insuper discrimē magnum inter ipsos errores, quorum aliqui fundamentum salutis euertunt, aliqui verò superstructi fundamento seruato & custodito, tanquam stipulæ, per ignem tentationis, & examinis, iudicijq́; diuini deflagrant. Retinemus igitur sententiam vniuersalem: Oues meæ vocem meam audiunt.

D. TANNER.

Sed quæritur de medio, quomodo vocem Christi audiant. Nos dicimus, mediante nimirum voce Ecclesiæ: Qui vos audit, me audit: & vice versa. Et huc spectat argumentum illud, ad quod negata est consequentia, ni fallor. Quæro, an verum sit antecedens? Quare peruertitis terminos meos? Dixi veros sanctos aberrasse.

D. HVNNIVS.

Quòd reuera sancti coram Deo, ad Dei cognitionem non peruenirunt, hoc est probandum.

D. TANNER.

Non ita dixi.

D. HVNN.

Si verè sancti fuerunt, tum error ipsorum non fuit ex eorum genere, qui fundamentum salutis euertunt.

D. TANNER.

Hoc non cupio scire.

D. HVNN.

Dico implicare contradictionem, quòd aliquis sit verè sanctus corā Deo, & nihilominus errores foueat apud se, qui fundamentum salutis euertunt.

D. TANNER.

Hoc est impertinens, conaris effugere.

D. HVNN.

Peto illum adigi ad responsum categoricum.

D. TANNER.

Est pulcherrima res, quando quis non potest respondere, rogare Principes, vt adigant partem alteram ad respondendum ad aliam aliquā propositam quæstionem. Notetur modus ille effugij.

D. HVNNIVS.

Non audes, nec potes respondere.

D. TANNER.

Responde ad argumentum, ne videant Auditores, quòd non possis respondere in forma. Repeto argumentum &c.

D. HVNN.

Iam ante per distinctionem responsum est; aut aberrarunt sancti isti viri, quos tu nominas, à doctrina, errore quodam euertente fundamentum

mentum salutis, aut errore, qui fundamentum quidem salutis non euertat, sed stipularum instar, custodito fundamento superstruatur, 1. Cor. 3. &c. Si dicat Aduersarius errorem illum non euertere fundamentum salutis, tùm res salua est: Sed nihil ad rem: Credimus enim Deum sanctis suis, vt multas infirmitates, sic quoq; leuiores errores, tanquam stipulas, clementer cōdonare: sin verò intelligitur error salutis fundamentum labefactans & euertens, tum certum est, eos licet speciem sanctitatis habeant, veros tamen sanctos coram Deo non esse. Ideoq; petimus à D. D. categoricum responsum ad quæstionem.

D. TANNER.

Generatim ego loquor de errore fidei. Probare enim debeo, quod ratio non sit medium sufficiens ad veritatis cognitionem, seposita alia authoritate, perueniendi; ad quod assumpsi argumentum prius allatum, ad quod nondum est responsum.

D. HVNNIVS.

Responsum est per distinctionem, & dissolutum argumentum, quod si verè sancti fuerint, non aberrauerint à fundamento salutis.

D. TANNER.

Ego loquor de quauis controuersia fidei generatim.

D. HVNNIVS.

Nititur hæc distinctio authoritate Apostolica, 1. Cor. 3. Quæro an aliqui sancti sint coram Deo, qui fundamentum salutis suo errore subuertant.

D. HVNGERVS.

Necesse est vt melius se explicet D. D. quasi non possit, qui verè sanctus est, amittere illam sanctitatem, & amplius grauiter errare?

D. HVNNIVS.

Hoc inter me, & D. D. non controuertitur, sed id quod supra dixi, num aliquis simul & semel possit esse coram Deo verè sanctus, & nihilominus errare contra fundamentum salutis.

D. HVNGERVS.

Dominus deberet explicare prius. Inprimis vtrum putet, quòd aliquis verè sanctus coram Deo, non possit excidere per errorem, illa sanctitate, quod vos non puto existimare. Si autem hoc vult dicere Dominus; dum aliquis sanctus est, necessariò non potest errare, vel excidere illa sanctitate, tunc * incidit in hæresin Caluinianam; & * implicat cōtradictionē; sicut qui currit, necessariò currit, dum currit; Sin dicitis, quod possit errare, nihil mirum est. Debet ergò constare quomodo dictum prius intellexerit D. D.

* non

* contrarium.

D. TANN-

D. HVNNIVS.

Petit Dominus Procancellarius scire, quomodo prius dictum intelligam, an existimem quòd homo sanctus coram Deo non possit excidere fide, & errare? Respondeo non ego hoc affirmo, quòd aliquis verè sanctus rursum non possit excidere; Hoc enim est Caluinianum, & a me ipso in scriptis meis pro mea tenuitate refutatum. Ita habet Dominus explicationem meæ sententiæ ad quæstionem suam.

D. HVNGERVS.

Per fundamentum salutis quid intelligit D. Doctor? multi enim existimant, si seruent fundamentum fidei, nihil ad se attinere, quid præterea credant.

D. HVNNIVS.

Quærit Dominus Procancellarius, quid per fundamentum intelligam salutis. Respondeo ex declaratione Paulina, 1. Cor. 3. error est impingens in fundamentum salutis, quando quis aliquem principalem articulum religionis negat, sicut Apostolus Hebr. 6. cap. huiusmodi articulos, quorum negatio in fundamentum impingit, recenset: sic enim habet Textus: Quapropter omisso &c. (legit textum) Proinde si quis neget Christũ esse verum Deum, si neget creationis & incarnationis articulum, aut si quis in articulo summo Iustificationis erret, is dicitur errare in fundamento salutis. Sunt præterea errores leuiores, qui impingunt in articulos minus principales, quos errores Apostolus assimilat stipulæ deflagranti igne tentationis, sic tamen vt ipse errans saluus fiat, retento fundamento salutis, apprehensa petra, Christo nimirum, & vt operis sui quod super fundamentum extruxerat, jacturam faciat. Aliud est, si quis ex contemptu dicat, sufficit mihi fundamentum salutis, & satis est mihi, in hoc articulo me rectè sentire, ac interim nolit admittere informationẽ meliorẽ in reliquis; talis erraret circa leuiores quidem articulos, sed tamen non errore simplici, sed cum contemptu diuini verbi coniuncto; si autem per iudicij infirmitatem aliquis in errore leuiore à veritate deuiet, non dubitamus eum, quandoquidem fundamentum salutis Christum retinet; vt infirmitatum, sic quoq; leuiorum veniam impetraturum. Proinde redimus iam ad quæstionem priorem, an quis possit sanctus esse coram Deo, & errare, fundamentum salutis euertendo.

D. HVNGERVS.

Resumo

Resumo responsionem Hunnij, sunt autem etiam alij articuli de fide, vt si quis asserat, corpus Christi esse vbique, vt dicunt VVirtenbergenses, (nescio an idipsum itidem dicant VVittenbergenses) potest ne aliquis hoc ignorare sub periculo salutis, seu pœna damnationis? Cur damnant alij alios dissentientes? impingunt ne in articulum fidei sub pœna salutis? nos catholici dicimus, quod Christianus non solùm debeat expressis articulis, verum etiam omnibus alijs minus principalibus consentire. Ratio credendi nostra est hæc, Deus mihi loquitur per Ecclesiam, (Domini autem videntur habere alia principia) & sunt res fidei, quæ si semel definitæ sunt, tùm non amplius dubitandum est de illis, etiamsi minus principales sint. Sunt nonnullæ res quæstionis, vt Patres inter se disputarunt, & in scholis disputatur salua charitate, sed in rebus fidei non concedimus errores.

D. HVNNIVS.

Contra allatum discrimen de duplici genere errorum, affert Dominus Procancellarius quæstionem quandam, quæ verò à principali scopo disputationis nos abducit, tametsi paratus sim ad illam respondere breuiter. Errorem fundamentum non euertentem dico eum, qui non attingit principalem aliquem articulũ, V.G. Tertullianus in eo errauit, quòd contra scripturam, secundas nuptias prohibuit, Cyprianus, quòd statuit baptizatos ab hæreticis, esse rebaptizandos, qui error etsi propter consequentiam leuis non est, tamen non dubito, eum errorem Cypriano, vt & peccata morum, misericorditer à Deo esse condonatum. Quod autem attinet disputationem de Vbiquitate, siue omnipræsentia Christi, etsi iam quæstionis non est, tamen quia inter reliqua quæsitum est, an qui dogma illud siue articulum non credit, erret circa fundamentum salutis. Respondeo, quod multi ex ignorantia existiment nos crassam aliquam humanitatis Christi expansionem vel diffusionem statuere, & hi cum per ignorantiam de nostra doctrina minus rectè sentiant, non statim damnandi sunt. Quod verò attinet Dogmatistas, qui toties moniti errorem suum non abijciunt, sed vnionem distrahunt, & Jesum soluunt, & sessionem Christi ad dexteram negant, in effectu, tametsi non ore, hunc errorem in Dogmatistis præcipuè collocamus inter eos, qui articulum de persona Christi, & ipsius sessionem ad dexteram gloriæ & maiestatis Dei subuertunt & labefactant.

D. TANNER.

Redeamus ad propositũ, & argumentũ, à quo digressi sumus vtrinq;, (repetijt argumentũ ab integro) ad judicem debet aliquis posse accedere, in omni omninò controuersia eius fori, vt eius sententiã exquirat; sed non

ſed nõ poſſunt fideles etiam medio orationis interueniente, accedendo ad ſcripturam; tamen aliquando ad veræ ſententiæ cognitionem peruenire; Ergo oratio non eſt medium ſufficiens.

D. HVNNIVS.

Reſponſum antè eſt quod medium ſit ſcriptura non modò lectio, ſed & auditus, pia meditatio, precatio, & quemadmodum Pſal. 25. docet, Dominus reuelat teſtimonia ſua timentibus ſe. Itaq; quod multi non illuminantur ad veritatem, obſtant alia quædam; non quod medium illud non ſit ſufficiens. ſed quod animus ipſorum, præiudicijs dementatus ſit. Hic repeto dictum Domini; Oues meæ, &c. Reſponde ad hoc dictum ſcripturæ.

D. TANNER.

Quare me vis cogere ad reſpondendum, cum debeam argumentari? obſerua formam, & reſponde ad argumentum.

Si multi Sancti & eruditi viri, adhibendo medium orationis, in multos errores, ſiue fundamentales fuerint, ſiue minus principales, ſint lapſi, ſequitur quod oratio ſola non poſſit eſſe medium ſufficiens & ordinarium perueniendi, in omni controuerſia, ad veram ſententiam ſcripturæ; ſed verum eſt antecedens: Ergò & conſequens.

D. HVNN.

Reſponſum eſt anteà per diſtinctionem errorum, & deinde addidimus, nos non conſtituere ſolas noſtras preces ſufficiens medium, ſed coniungimus illa adminicula, de quibus ſuprà dictum. Hæc quando coniunguntur, pronunciat Spiritus S. Pſal. 25. quod talibus reuelet teſtimonia ſua Dominus: Et Joann. 10. Oues meæ, &c.

D. TANNER.

Omnia iſta ſunt à me excluſa, & idcirco manet argumentum, ſuprà enim probatum, illa media ſufficientia non eſſe.

D. HVNNIVS.

Ego iudicium committo toti Auditorio.

D. TANNER.

Et ego iudicium permitto Auditoribus, an rectè reſponderis.

TE-

TESTIMONIA SANCTORVM PATRVM.

QVOD SCRIPTVRA SIT OBSCVRA ET DIFFICILIS INTELLECTV, AC PROINDE QVOD PRÆTER SCRIPTVRAM, Traditiones quoq; non scriptæ, & infallibilis aliqua authoritas catholicæ Ecclesiæ scripturam explicantis & contrarios errores condemnantis admittenda sit.

IN TRES CLASSES DISTRIBVTA, ET

OPPOSITA IIS QVÆ AB ADVERSARIIS PRO CONtraria sententia sunt obiecta.

Vbi quod testimonia ordine non sint disposita, facilè condonabit æquus Lector, vix enim tantum spacium temporis suppetebat, vt qua proxima occurrebant ratione, describerentur. Idq; Aduersarij minus ægrè ferent, cum etiam in suis ipsi testimonijs referendis nullum certum ordinem seruarint.

SCRIPTVRAS SACRAS OBSCVRAS ESSE, ET MAGISTRO OPVS ESSE AD EAS INTELligendas: earumq; sensum ab Ecclesia petendum.

AVGVSTINVS *tom.6. de vtilitate credendi cap.7.* Cum legerem (*inquit Honoratus*) per me ipse cognoui. Ita ne est? (*inquit Augustinus*) nulla imbutus poetica disciplina, Terentianum Maurum sine magistro attingere non auderes. Asper, Cornutus, Donatus, & alij innumerabiles requiruntur, vt quilibet poëta possit intelligi, cuius carmina & theatri plausus videtur captare: Tu in eos libros qui quoquo modo se habeant, sancti tamen, diuinarumq; rerum pleni, propè totius generis humani confessione diffamantur, sine duce irruis, & de his sine præceptore audes ferre sententiam: nec si tibi aliqua occurrunt, quæ videantur absurda, tarditatem tuam & putrefactum tabe huius mundi animum, qualis omniũ stultorũ est, accusas potius, quàm eos, qui fortasse à talibus intelligi nequeunt? Quæreres aliquẽ pium simul & doctũ, vel qui talis esse multis cõsentientibus diceretur, cuius & pceptis melior, & doctrina peritior fieres. Non facilè reperiebatur, cũ labore inuestigaretur deerat in ea terra, quã incolebas, quæ caussa vtilibus cogeret peregrinari?

IDEM *tom.3. sent.66.* Bonæ sunt in scripturis sanctis mysteriorum profunditates, quæ ob hoc teguntur, ne vilescant, ob hoc quæruntur vt exerceant, ob hoc aperiuntur vt pascant. *Has sententias collectas esse ex Augustino per beatum Prosperum ex operibus eiusdem compertum est.*

IDEM *tom.3. de doctr. Christ. lib.2. cap.6.* Sed multis & multiplicibus obscuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur qui temerè legunt scripturas, aliud pro alio sentientes, quibusdã autem locis quid vel falsò suspicentur, non inueniunt: ita obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum prouisum diuinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum cũ facilè inuestigata plerunq; vilescant.

IDEM *tom.3. de Genesi ad literã lib.6. cap.9.* In profundo scripturæ sensu magis præstemus diligentiã requirendi, quàm affirmandi temeritatẽ.

IDEM *tom.6. cont. Epistolam Manichæi cap.5.* Ego vero Euangelio nõ crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret authoritas. Quibus ergo obtemperaui dicentibus, credite Euãgelio, cur eis non obtemperẽ dicentibus mihi, nolite credere Manichæo. Elige quid velis, si dixeris, crede catholicis, ipsi me monent, vt nullam fidem accommodem vobis.

Qua-

Quapropter non possum illis credens, nisi tibi nō credere; non rectè facies per Euangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipsi Euangelio, catholicis prædicantibus, credidi. Si autē dixeris, rectè credidisti catholicis laudantibus Euangelium, sed nō rectè illis credidisti vituperantibus Manichæū. Vsq; adeo me stultum putas, vt nulla reddita ratione quoduis credam? multò quippè justius & cautius facio, si catholicis quoniam semel credidi, ad te non transeo, nisi me non credere jusseris, sed manifestissimè & apertissimè aliquid scire effeceris. Quocirca si mihi rationem redditurus es, dimitte Euangelium. Si ad Euangeliū te tenes, ego ad eos me teneam, quibus præcipientibus Euangelio credidi. Et his jubentibus tibi omninò non credam. Quod si fortè in Euangelio aliquid apertissimū de Manichæi Apostolatu inuenire potueris, infirmabis mihi Catholicorum authoritatem, qui jubent, vt tibi non credam. Qua infirmata, iam nec Euangelio credere potero, quia per illos illi credideram. Ita nihil apud me valebit, quicquid inde ꝓtuleris. Quapropter si nihil manifestū de Manichæi Apostolatu in Euangelio reperitur, catholicis potius credam quàm tibi. Si autē inde aliquid manifestū pro Manichæo legeris, nec illis, nec tibi: Illis, quia de te mihi mentiti sunt: Tibi autem, quia eam scripturam mihi profers, cui per illos crediderā, qui mihi mentiti sunt. Sed absit, vt Euangelio ego non credam. Illi enim credens, non inuenio, quomodo possim etiam tibi credere. Apostolorum enim nomina, quæ ibi leguntur non inter se continent nomen Manichæi. In locum autē Traditoris Christi qui successerit, in Apostolorum actibus legimus: cui libro necesse est me credere, si credo Euangelio: quoniam vtramq; scripturam similiter mihi catholica commendat authoritas.

IDEM *tom, 6. de vtil. cred. cap. 14.* Christum ipsum quomodo apparere hominibus voluit, qui istis etiam vulgaribus oculis visus esse prædicatur, ego non vidi: quibus de illo crediderim, vt ad te iam tali fide præstructus accedam, nullis me video credidisse nisi populorum atq; gentiū confirmatæ opinioni ac famæ admodum celeberrimæ: Hos autē populos Ecclesiæ catholicæ mysteria vsq; quaq; occupasse. Cur non igitur apud eos potissimum diligentissimè requiram, quid Christus præceperit, quorum authoritate commotus, Christum aliquid vtile præcepisse iam credidi? tu ne mihi melius expositurus es quid ille dixerit, quem fuisse, aut esse non putarem si abs te mihi hoc commendaretur esse credendum? Hoc ergo credidi, vt dixi, famæ celebritate, consensione, vetustate, roboratæ. Vos & tam pauci, & tam turbulenti, & tam noui, nemini dubium est, quin nihil dignum authoritate proferatis. Quæ igitur

tur ista tanta dementia est? Illis crede CHRISTO esse credendum, & à nobis disce, quid dixerit. Cur obsecro te? Nam si illi deficerent, nec me quicquam docere possent; multò facilius mihi persuaderem, Christo non esse credendum, quàm de illo cuiquam, nisi ab his, per quos ei credidissem, discendum. O ingentem confidentiam, vel potius ineptiam: ego te doceo quid Christus præceperit, cui credis. Quid si non ei crederem, num aliquid de illo me docere posses? sed oportet, inquit, vt credas. Num vobis eum commendantibus? Non, inquit, nam nos illos, qui ei credunt, ratione ducimus. Cur igitur illi credam? Quia fama fundata est. Vtrum per vos, an per alios? Per alios inquit, illis ergo credam, vt tu me doceas? Deberem fortasse, nisi me hoc illi præcipuè monerent, vt omninò ad te non accederem: Dicunt enim perniciosas vos habere doctrinas Respondebis, mentiuntur. Quomodo igitur eis de Christo credam, quem nolunt videre? Scriptis ait, crede. At scriptura omnis si noua & indubitata proferatur, vel commendetur à paucis, nulla confirmante ratione, non ei, sed illis, qui eam proferunt, creditur. Quamobrē scripturas istas si vos profertis tam pauci & incogniti, non libet credere: simul etiam contra promissum facitis, fidem potius imperando, quàm reddendo rationem. Rursus me ad multitudinem, famamq; reuocabis: Cohibe tandem pertinaciam, & nescio quam indomitam propagandi nominis libidinē: & mone potius, vt huius multitudinis Primates quæram, & quæram diligentissimè & laboriosissimè, vt ab his potius de his literis aliquid discam. Qui si non essent, discendum omninò esse nescirem. Tu verò in latebras tuas redi, nec quicquam insidiare nomine veritatis, quam conaris eis adimere, quibus authoritatem ipse concedis. *Plura huius generis infrà in testimonijs pro authoritate Ecclesiæ.*

IBIDEM *cap. 17.* Si vnaquæq; disciplina, quamquā vilis & facilis, vt percipi possit, doctorem aut magistrum requirit: quid temerariæ superbiæ plenius, quàm diuinorum sacramentorum libros, & ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare?

IDEM *tom. 7. de baptismo contra Donatistas, lib. 7. cap. 53. & contra Crescon. lib. 1. cap. 33.* Nobis tutum est in ea *(de obscura quadam quæstione sermo est.)* non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali concilio cœpta, nullo plenario concilio terminata sunt: id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri & Saluatoris Iesu Christi, vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est.

IRENÆVS *lib. 2. cap. 47. posteaquam in rebus creatis & naturalibus plurima*

plurima nos latere docuit, adiungit. Si ergò & in rebus creatis quædam quidem eorum adiacent DEO, quædam autem & in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si & eorum, quæ in scripturis requiruntur, vniuersis scripturis spiritualibus existentibus, quædam quidem absoluamus secundum gratiam DEI, quædam autem commendemus DEO, & non solum in hoc sæculo, sed & in futuro, vt semper quidem DEVS doceat, homo autem semper discat, quæ sunt à DEO.

ORIGENES *lib. 7. contra Celsum.* Alij quoq; cordati viri, scrutando scripturam intellectum eius inuenire potuerunt, licet reuera sit multis locis obscura.

ITEM, *Homil. 12. in Exod.* Diebus ac noctibus, *inquit*, obsecrandum est, vt veniat agnus de tribu Iuda & ipse librum signatum dignetur aperire.

RVFFINVS *lib. 11. Historiarum, cap. 9. de Basilio & Gregorio Nazianzeno ita scribit.* Ambo nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collegæ per años tredecim, omnium Græcorum sæculiarium libris remotis, solis diuinæ scripturæ voluminibus operam dabant, earumquè intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis & authoritate sequebantur, quos & ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat.

CHRYSOSTOMVS *homil. 40. in Joan, in illud, scrutamini scripturas.* Christus (*inquit*) Iudæos ad scripturarum non simplicem & nudam lectionem, sed ad inuestigationem, perquàm diligentem relegauit.

Non dixit, legite scripturas, sed scrutamini. Diuina enim summa indigent diligentia. In vmbra enim maioribus illis non abs re locutus est, idcircò effodere profundius iubet, vt quæ altè delitescunt, inuenire possimus. Non enim rem in superficie & in promptu positam effodimus, sed quæ tanquam thesaurus profundè reconditur. Qui enim huiusmodi quærit, nisi summam adhibeat diligentiam & laborem, nunquam quæsita inueniet.

GREGORIVS *homil. 6. in Ezech.* Magnæ (*inquit*) vtilitatis est, ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, vt fatigatione dilatetur; & exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus. Habet quoquè adhuc maius aliud, quia si scripturæ sacræ intelligentia in cunctis esset aperta, vilesceret, quæ in quibusdam locis obscurioribus tantò maiori diligentia inuenta reficit, quantò maiori labore fatigat animum quæsita.

HIERONYMVS, *in præfat. comment. in Epistolam ad Ephesios.* Nunquam (*inquit*,) ab adolescentia, aut legere, aut doctos viros, quæ nesciebam interrogare cessaui, aut meipsum habui magistrum. Deniq; nuper ob hanc vel maximè causam Alexandriam perrexi, vt viderem Didymum, & ab eo in scripturis omnibus quæ habebam dubia, sciscitarer.

IDEM *In Epistola ad Algasiam. quæst. 8.* Omnis (*inquit*) Epistola ad Romanos nimijs obscurationibus inuoluta est.

IDEM, *Tomo 2. Epist. 75. ad Vigilantium.* Non est * eiusmodi hominis & aureos nummos & scripturas probare, & degustare vina, & Prophetas vel Apostolos intelligere.

* eiusdem

IDEM, *Tomo 3. Epist. 142. ad Damasum. fol. 402.* Non sunt, vt quidam putant, in scripturis verba simplicia: Plurimum in his absconditum est: aliud littera, aut mysticus sensus significat.

IDEM, *Tomo 4. Proœmio 8. lib. Com. Esaiæ.* Sextus & septimus superiores libri allegoriam quinti voluminis continent, quod olim historica explanatione dictaui. Præsens opus, id est, octauus liber ad cœptam interpretationem reuertitur, vt & historicam & tropologicam iuxta vtramque editionem, pariter disserat. Quæ si longa tibi videtur. O Virgo Christi Eutochium, non mihi imputes, sed scripturæ sanctæ difficultati; Præcipuè, Esaiæ Prophetæ; qui tantis obscuritatibus inuolutus est, vt præ magnitudine rei, breuem explanationem putem, quæ per se longa est.

IDEM, *Tom. 5. comment. in cap. 7. Ecclesiastis.* Vir qui eruditus fuerit in scripturis, quanto plus scire cœperit, tanto ei in his quotidie oritur maior obscuritas.

IDEM, *Tomo 6. lib. 2. Comm. in cap. 4. Ephes.* Non nobis molestum sit, si diu in obscurioribus commoremur, causati enim in principio sumus, inter omnes Pauli Epistolas, hanc vel maximè & verbis & sensibus inuolutam.

IDEM, *Tomo. 7. Comment. in Psal. 93.* Obscuri sunt Psalmi & semper personas mutant; & propterea obscuri sunt, & nimiæ difficultatis est, scire in singulis versiculis, quis loquatur.

TRA-

TRADITIONES ETIAM NON SCRIptas esse seruandas.

AVGVSTINVS *Tom.7.de baptismo contra Donat. lib. 5. cap.26.* Quod autem nos admonet (*Cyprianus*) vt ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam traditionem & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum.

IDEM *Tomo 10. serm. de tempore, 193. qui est tertius de Trinitate.* Ecclesiæ regula, sanctaq; Patrum traditio, atquè Iudicia, in perpetuum firma solidaq; permaneant.

IDEM *Tom. 6. contra Faustum Manich. lib.28. cap.2.* Dices illam narrationem non esse Matthæi, quam Matthæi esse, dicit vniuersa Ecclesia, ab Apostolicis sedibus, vsquè ad præsentes Episcopos, certa successione perducta. Tu mihi quid contrà lecturus es? Aliquem fortè librũ Manichæi, vbi Iesus negatur esse natus ex virgine. Sicut ergo ego credo illum librum esse Manichæi, quoniam ex ipso tempore, quo Manichæus viuebat in carne, per discipulos eius certa successione præpositorum vestrorum ad vestra vsquè tempora custoditus atquè perductus est: Sic & istum librum crede esse Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum, Ecclesia certa connexionis successione, vsquè ad tempora ista perduxit.

IDEM *contra Manicheum dist.11. cap. palam.* Palàm est, quod in re dubia ad fidem, valet authoritas Ecclesiæ Catholicæ, ab ipsis fundatis Apostolorum sedibus, vsquè in hodiernum diem, succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmata.

ITEM *Tom.3 de Ecclesiast. dogmatib. cap. 69.* Integra fide credendum est, beatam Mariam Dei Christi matrem & virginem concepisse, & Virginem genuisse, & post partum virginem permansisse. Nec est blasphemiæ Heluidij acquiescendum, quæ dixit, fuit Virgo ante partum, non virgo post partum. *Habetur in appendice: retinendum tamen, quia Heluidium Augustinus ob hanc causam in catalogum Hæreticorum refert. de hæres. ad Quod vult deum: tom.6. hæres. 84.*

IDEM AVGVSTINVS, *Tom.7. de Baptismo contra Donat. lib. 2. cap.7.* Nolite nobis authoritatẽ obijcere Cypriani, ad baptismi repetitionem

sed

ſed tenete nobiſcum exemplum Cypriani ad vnitatis conſeruationem. Nondum enim erat diligenter illa baptiſmi quæſtio pertractata, ſed tamen ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia; in ipſis quoquè ſchiſmaticis & hæreticis corrigere, quod prauum eſt, non iterare quod datum eſt, ſanare quod vulneratum eſt, non curare quod ſanum eſt.

Quam conſuetudinem credo ex Apoſtolica traditione venientem, ſicut multa non inueniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis poſterorum, & tamen quia cuſtodiuntur, per vniuerſam Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur.

IBIDEM *lib.5.cap.23.* Nam ſi nõ habent Baptiſmum, qui de Deo praua ſentiunt, hoc poſſe & intus accidere, iam ſatis vt arbitror diſputatum eſt. Apoſtoli autem nihil quidem exinde præceperunt, ſed conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt, ſicut ſunt multa, quæ vniuerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur.

IDEM, *Tom. 7. contra Creſconium Grammat. lib.1. cap 31. & 32. & in hunc quoq; ſenſum loquitur, lib.4. de Baptiſmo contra Donatiſt. cap.6.* Proinde quia nec vos poteſtis proferre de ſcripturis; quarum nobis eſt communis authoritas, ab hæreticis venientem denuò baptizatum, nec nos ita ſuſceptum: quantum ad hanc rem pertinet, par nobis cauſa eſt.

Verum nos multa oſtendimus, etiam ad legem Dei pertinentia, eſſe apud eos, qui non ſunt in Eccleſia, quæ nemo veſtrum audet negare. ſed cur tale aliquid nolitis eſſe, & Baptiſmum, omninò non inuenio, nec poſſe demonſtrari confido.

IDEM *Tomo 3. de Geneſ. ad literam, lib.10. cap.23.* Conſuetudo matris Eccleſiæ in baptizandis paruulis, nequaquã ſpernenda eſt, neque vllo modo ſuperflua deputanda, nec omninò credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio.

IDEM *Tomo 7. de Baptiſ. contra Donatiſt. lib. 4. cap. 23.* Sicut in latrone quia per neceſſitatem corporaliter Baptiſmus defuit, perfecta ſalus eſt, quia per pietatem ſpiritualiter adfuit: Sic etiam cum ipſa (*ſanctificatio Baptiſmi*) præſto eſt, ſi per neceſſitatem deſit, quod latroni adfuit, perficitur ſalus, quod traditum tenet vniuerſitas Eccleſiæ, cum paruuli infantes baptizantur, qui certè nondum poſſunt credere corde ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem.

IDEM *Tomo 2. Epiſt. 118. ad Ianuarium, cap. 1.* Illa quæ non ſcripta, ſed

ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Conciliis quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas commendata atquè ſtatuta retineri, ſicuti quod Domini paſſio & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus ſancti anniuerſaria ſolennitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſeruatur ab vniuerſa, quacunquè ſe diffundit Eccleſia. *Et paulò poſt*; Conſuetudinis quippe mutatio, quæ vtilitate adiuuat, nouitate perturbat.

IDEM, *diſtinct.11, cap. Eccleſiaſticarum.* Eccleſiaſticarum inſtitutionum, quaſdam in ſcripturis, quaſdam verò Apoſtolica traditione per ſucceſſiones in miniſterio confirmatas accepimus, quaſdam verò cõſuetudine roboratas vſus approbauit. Quibus par ritus; & idem vtriuſquè pietatis debetur affectus: vnde quis vel aliquantulum ſacrarum expertus ſcripturarum hæſitauerit? Si autem attentauerimus, conſuetudines Eccleſiæ, non per ſcripturas, à Patribus traditas, nihil æſtimare, quantum Religio detrimenti ſit latura, intentè inſpicientibus liquidò conſtabit. Quæ enim (vt inde exordiamur) ſcriptura ſalutiferæ crucis ſignaculo fideles docuit inſigniri, vel quæ trifariam digeſta ſuper panem & calicem, prolixæ orationis vel conſecrationis verba commendauit? Nam non modo quod Euangelio continetur, vel ab Apoſtolo quod eſt inſertum ſecretis dicimus, ſed & alia plura adiicimus, magnam quaſi vim commendantia myſterijs: Quæ orientem verſus nos literarum orare forma docuit? Benedicimus fontem baptiſmatis oleo vnctionis. Huic accedit, quòd ter oleo inungimus, quos baptizamus, verbis abrenunciare Sathanæ & Angelis eius informantur. Vnde hæc & alia in hunc modum non pauca, niſi tacita ac myſtica traditione, à Patribus Eccleſiaſtico more ac reuerentiori diligentia ſunt in miniſterijs obſeruata, magis ſilentio quàm publicata ſcripto? *ex Auguſtino in lib. ex dictis Baſilii de Spiritu Sancto, cap.27.*

IDEM *Tomo 2. Epiſt.86. ad Caſulanum Presbyterum in initio.* In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit ſcriptura diuina, mos populi Dei, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt. De quibus, ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore ſermocinationis, cum certa documenta nulla veritatis inſinuet, vtiq; cauendum eſt, ne tempeſtate contentionis ſerenitatem charitatis obnubilet.

IDEM, *Tomo 10. de verbis Apoſt. ſerm.14. cap.18.* Vtiq; prodeſt Chriſtus

 par-

paruulis baptizatis, prodest ergo non credentibus? sed absit, vt ego dicam non credentes infantes. Iam superius disputaui, credit in altero, qui peccauit in altero; dicitur credit, & valet, & inter fideles, baptizatos computatur. Hoc habet authoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatus veritatis obtinet canon, contra hoc robur, contra hunc * expugnabilem murum, quisquis arietat, ipse confringitur.

* inexpugnabilem

IDEM, *tomo 7. de Baptis. contra Donatist. lib. 4. cap. 24.* Et si quisquã in hac re authoritatem diuinam quærat, quanquam quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur: tamen veraciter coniicere possumus, quid valeat in paruulis baptismi sacramentum ex circumcisione carnis, quam prior populus accepit.

IDEM, *Tom. 2. Epist. 108. ad Seleucianum.* Non omnia quæ facta sunt, etiam scripta inueniuntur, veruntamen facta & ex cæteris documentis probantur. scriptum est, quando baptizatus sit Apostolus Paulus, & scriptũ non est, quando baptizati sunt alii Apostoli, veruntamẽ etiam ipsos baptizatos intelligere debemus, queadmodũ scriptũ est, quando baptizatæ sunt plebes Ecclesiarũ in Hierusalem & Samaria, quando autẽ baptizatæ sint aliæ plebes gentium, quibus Apostoli epistolas miserunt, non est vtiq; scriptum: & tamen etiam ipsas baptizatas vtiq, minimè dubitamus, propter illam Domini sententiam; Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non intrabit in regnum cœlorum.

IDEM, *tom. 2. Epistola 119. cap. 18 ad Ianuarium*; Miror sanè quid ita volueris, vt de iis quæ variè per diuersa loca obseruãtur, tibi aliqua cõscriberẽ, & cum nõ sit necessariũ, & vna in his saluberrima regula retinenda sit, vt quæ nõ sunt cõtra fidẽ, neq; contra bonos mores, & habẽt aliquid ad exhortationẽ vitæ melioris, vbicunq; institui videmus, vel instituta cognoscimus, nõ solũ non improbemus, sed etiã laudando & imitando sectemur, si aliquorũ infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentũ sit. Si enim eo modo impedit, vt maiora studiorũ lucra speranda sint, quã calumniatorũ detrimenta metuẽda, sine dubitatione faciendũ est, maximè illud, quod etiã de scripturis defendi potest, sicut de hymnis & psalmis canendis, cũ & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta.

IDEM, *tom, 2. Epist. 128. ad Ianuar. cap. 2.* quæ verò per loca terrarum regionesq; variãtur, sicuti est quod alii ieiunant sabbatho: alii verò non, alii quotidiè comunicant corpori & sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo nõ offeratur, alibi sab-

batho tantũ & Dominico, alibi tantum dominico, & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totũ hoc genus rerũ liberas habet obseruationes: nec disciplina vlla est in his melior, graui prudẽtiq; Christiano, quã vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiã, ad quamcunq; fortè deuenerit. Quod enim neq; contra fidẽ, neq; contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos viuitur societate seruandum est.

IDEM, *tom. 2. Epist. 118. ad Ianuar. cap. 6.* Illud magis mouere potuit homines, vtrũ iam refecti die illa, vel offerret vel sumerent Eucharistiam, quod in Euangelio dicitur. Cũ autem illi manducarent, accepit Deus panem, & benedixit: cũ etiam superius dixisset. Cũ verò factũ esset, recumbebat cũ duodecim, & manducantibus eis dixit, quoniã vnus ex vobis me tradet. Pòst enim tradidit sacramentũ: Et liquidò apparet, quãdo primũ acceperunt discipuli corpus & sanguinẽ Domini, non eos accepisse ieiunos. Nunquid tamẽ propterea calumniandũ est vniuersæ Ecclesiæ, quod à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit spiritui S. vt in honorẽ tanti sacramenti in os Christiani, prius Dominicũ corpus intraret, quàm exteri cibi. Nã ideo per vniuersũ orbem mos iste seruatur. Neq; quia post cibos dedit Dominus: propterea pransi aut cœnati fratres, ad illud sacramentũ accipiendũ conuenire debent, aut sicut faciebãt, quos Apostolus arguit & emendat, mensis suis ista miscere. Nãq; saluator quò vehementius cõmendaret mysterii illius altitudinẽ, vltimũ hoc voluit infigere cordib. & memoriæ discipulorũ, à quib. ad passionẽ digressurus erat, & ideò nõ præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locũ. Nam si hoc ille monuisset vt post cibos alios semper acciperetur, credo quòd cũ morem nemo variasset. Cũ verò ait Apostolus de hoc sacramẽto loquẽs: propter quod, fratres, cũ cõuenitis ad manducandũ, inuicẽ expectate; si quis esurit, domi manducet, vt non ad iudiciũ cõueniatis, statim subtexuit, cætera autem cũ venero, ordinabo: vnde intelligi datur quia multũ erat, vt in epistola totũ illũ agendi ordinẽ insinuaret, quẽ vniuersa per orbẽ seruat Ecclesia, ab ipso ordinatũ esse, quod nulla morũ diuersitate variatur.

IBID. *tom. 2. epist. 118. cap. 5.* Quæris enim his verbis, quid per quintam feriam vltimæ hebdomadis Paschæ fieri debeat: an offerendũ sit manè, & rursus post cœnam, propter illud quod dictũ est, similiter postquam cœnatum est: An ieiunandum, & post cœnam tantumodo offerendum, an etiam ieiunandum, & post oblationem, sicut facere solemus, cœnandum.

Ad hæc itaquè respondeo, vt quid horum sit faciendum, si diuinæ scripturæ præscribit authoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, vt legimus; vt iam non quomodo faciendum, sed quomodo sacramentum intelligendum sit, disputemus. Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia: Nam hoc quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est. Sed nequè hoc, neq; illud inest in eo, de quo tu quæris. Restat igitur vt de illo tertio genere sit, quod per loca regionesq; variatur. Faciat ergò quisque, quod in ea Ecclesia, in quam venit, inuenerit. Non enim quicquam eorum contra fidem fit, aut contra mores. His enim causis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet, quod perperam fiebat, vel institui quod nō fiebat.

DIONYSIVS AREOPAGITA, *libro de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 1.* primi illi nostri sacerdotalis muneris duces, in ijs quæ nobis sunt familiaria, sum̃a illa & supersubstantialia, partim scriptis, partim nō scriptis institutionib. suis (iuxta quod sacræ definiunt leges) nobis tradiderūt.

BASILIVS, *in libro de Spiritu Sancto, cap. 27.* Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina prodita, quædam rursus ex Apostolorū traditione, in mysterio id est, in occulto tradita recipimus. Quorum vtraq; parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica. Nam si consuetudines quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur reijcere, imprudenter & ea damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur, imò potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est (vt eius quod primum est & vulgatissimum, primò loco commemorem) vt signo crucis eos, qui spem collocauerunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? vt ad orientem versi precemur, quæ nos docuit scriptura? Inuocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus aut Euangeliū, verum alia quoq; & ante & post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysteriū, quæ ex traditione citra scriptū accepimus. Consecramus autem aquam baptismatis, & oleum vnctionis, præterea ipsum qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? nonne ex tacita secretaquè traditione? Ipsam porrò olei in vnctionem, quis sermo scripto proditus docuit? iam ter immergi hominem, vnde est traditum? reliqua item quæ fiunt in baptismo, veluti

renunciare Sathanæ, & angelis eius, ex qua scriptura habemus? nonne ex priuata & arcana hac traditione? Nonne ex doctrina, quam Patres nostri silentio, quod curiosos & otiosos submouet, seruarunt? Pulchrè quidem illi, nimirum docti, arcanorum venerationem silentio conseruari: Nam quæ nec tueri fas est, non initiatis, qui conueniebat horum doctrinam publicitus circumferri scripto? aut quid tandem sibi voluit magnus ille Moyses, qui non omnia quæ erant in templo, passus sit omnibus esse peruia; sed prophanos extra sacros cancellos statuit, sed priora atria prioribus permittens, Leuitas solos dignos censuit &c.

Addit deinde; Ad eundem profectò modum, et qui in primordijs Ecclesiæ certos ritus præscripserunt, Apostoli & Patres, in occulto silentioq; mysterijs suam seruauere dignitatem. Neq; enim omninò mysterium est quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio, cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgò veniret in contemptum. Aliud autem est dogma, aliud edictum, nam dogmata silentur, edicta verò publicantur.

EVSEBIVS *lib. 1. de demonstratione Euangelica cap. 8.* Cæterum Moyses in tabulis inanimatis, Christus autem in mentibus vita præditis perfecta noui Testamenti documenta descripsit: Eius verò discipuli ad magistri sui nutum, auribus multorum doctrinam suam cōmodantes quæcunq; quidem veluti vltra habitum progressis, à perfecto ipsorum magistro præcepta fuerant, ea ijs qui capere poterant tradiderunt; quæcunq; verò ijs conuenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisq; indigentes, ea ipsi ad imbecillitatem multorum se demittentes; partim literis, partim sine literis, quasi jure quodam non scripto seruanda commendarunt.

EPIPHANIVS *Hæres. 61. contra Apostolicos.* Oportet autem & traditione vti, non enim omnia à diuina scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione S. Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit S. Apostolus, sicut tradidi vobis: & alibi, sic doceo & sic tradidi in Ecclesijs. et; si continetis, nisi frustra credidistis.

TERTVLLIANVS *de Corona militis, cap. 3.* habentes obseruationem inueteratam, quæ præueniendo statum fecit. Hanc si nulla scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est (inquis) authoritas scripta. Ergò quæramus an & traditio non scripta, non debeat re-

cipi. Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarũ obseruationum, quas sine vllius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo exindè cõsuetudinis patrocinio vindicamus. Deniq; vt à baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidẽ sed & aliquantò prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renunciare diabolo, & pompæ, & angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus. Ex quo ea die lauacro quotidiano per totã hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ sacramentum & in tempore victus & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare, eadem immunitate à die Paschæ, in pentecosten vsq; gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur. Ad omnem progressum atq; promotum, ad omnẽ aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunq; nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.

Pergit cap. 4. Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætendetur auctrix &c.

Et paulo post: His igitur exemplis renunciatum erit, posse etiam non scriptam Traditionẽ in obseruatione defendi, confirmatam consuetudine, idonea teste probatæ tunc traditionis ex pseuerantia obseruationis. Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur cum deficit lex.

CYPRIANVS *in sermone de Ablutione pedum:* Sicut par est spiritui sancto & Christo diuinitas, ita in suis institutis, æqua est authoritas & potestas: nec minus ratum est, quod dictante spiritu sancto Apostoli crediderunt, quàm quod ipse tradidit, & in sui cõmemorationem fieri præcepit. Manet singulis propria dignitas, & vniformis in suo genere stat actio omnium. Nihil addi, nihil subtrahi, nihil potest corrigi vel mutari.

HIERONYMVS *in Dialogo aduersus Luciferianos cap. 4. ita Luciferum dixisse refert:* An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, vt baptizatis postea manus imponantur, & ita inuocetur spiritus sanctus? Exigis vbi scriptum sit? In actibus Apostolorum; etiamsi scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret,

neret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesijs obseruantur, authoritatem scriptæ legis vsurpauerunt: Veluti in lauacro ter caput mergitare: deinde egressos lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem: Die dominico, & per omnem Pentecosten, nec degeniculis adorare, & jejunium soluere: multaq; alia scripta non sunt, quæ rationabilis sibi obseruatio, vendicauit. *Cui orthodoxus respondet:* Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum cõsuetudinem, vt ad eos qui longè in minoribus vrbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad inuocationem S. spiritus, manum impositurus, excurrat. Sed quale est, vt leges Ecclesiæ ad hæresin transferas?

Chrysostomus *in 2. cap. poster. Epist. ad Thessal. hom. 4. super hac verba: State & tenete traditiones &c.* Hinc patet, quod non omnia p Epistolam tradiderint, sed multa etiam sine literis. Eadem verò fide digna sunt tam illa, quàm ista. Itaq; traditionem quoq; Ecclesiæ fide dignam putamus. Traditio est, nihil quæras amplius.

Theophylactus *in cap. 2. 2. ad Thessal. super ea Apostoli verba. Itaq; fratres state, &c.* Vel hinc etiam perspicuũ est, quod pleraque etiam sine scriptis per sermoné, id est, viua voce tradiderint, non solum per Epistolam. Similiter autem & hæc & illa fide digna sunt. Itaq; & Ecclesiæ traditionem fide dignam existimemus. Traditio est nihil amplius quæras.

Concilium secundum Nicænum, *Act. 7. in ipsa definitione.* Si quis traditionem Ecclesiæ siue scripto, siue cõsuetudine valentem nõ curauerit, Anathema. *Et paulò antè.* Fatemur autem vnanimiter nos Ecclesiasticas traditiones, siue scripto, siue consuetudine valentes, & decretas retinere velle. *Item infrà.* Igitur qui ausi fuerint aliud sentire aut docere, aut more impiorum hæreticorum, Ecclesiasticas traditiones contaminare, aut contra ista vafrè & improbè, aliquid excogitare, quod sit contra constitutionem Ecclesiasticam: Si fuerint Episcopi aut Clerici deponuntor: si monachi aut laici, communione priuantor.

Octava Synodus *generalis Constantinopolitana Canone 1.* Regulas quæ sanctæ Catholicæ atq; Apostolicæ tam à sanctis famatissimis Apostolis, quã ab Orthodoxorũ vniuersalibus, nec non à localibus Cõcilijs, vel etiã à quolibet Deiloquo Patre & magistro, Ecclesiæ traditæ sunt, seruare atq; custodire profitemur. His & propriã vitam & mores regentes, & omné sacerdotij catalogum, atq; omnes qui Christiano censentur vocabulo, pœnis & damnationibus & è diuerso, receptionibus, & justificatiõibus. quæ per illas prolatæ sunt atq; definitæ, canonicè subijci decernentes.

Tenere

Tenere quippe traditiones, quas accepimus, siue per sermonem, siue per Epistolam sanctorum, qui antea fulserunt, Paulus apertè admonet.

LEO MAGNVS *sermone 2. de Ieiunio Pentecostes.* Dubitandum non est, quicquid in Ecclesia in consuetudinem est deuotionis retentum, de traditione Apostolica, & de S. spiritus prodire doctrina.

DIONYSIVS AREOPAGITA, *lib. de Ecclesiast. Hierach. cap. 7.* Quæ nam verò de huiusmodi prece, quam super defuncto peragit præsul, ex diuinis ducibus nostris, Traditio peruenit ad nos; operæ pretium est, vt dicamus &c.

EPIPHANIVS *contra Aërium hæres. 75.* A quo verò non assensum est in omnibus orbis terrarum regionibus, quod quarta & prosabbatho jejunium est in Ecclesia decretum? si verò etiam oportet constitutionem Apostolorum proferre, quomodo illic decreuerunt, quarta & prosabbatho jejunium per omnia, excepta Pentecoste; & de sex diebus Paschatis, quomodo præcipiunt, nihil omnino accipere quam panem, & aquam, & salem &c. manifestum est. Deinde verò si non de eodem argumento, quartarum & prosabbathorum, ijdem Apostoli in constitutione dixissent, etiã aliter vndiq; demonstrare possemus. Attamen de hoc exactè scribunt. Assumpsit autem Ecclesia, & in toto mundo assensus factus est, antequam esset Aërius, & qui ab ipso appellantur Aëriani.

AMBROSII *Missæ ritus & ordo extat etiã in Liturgicis latinis à D. Iacobo Pamelio collectis, tomo primo, etiamsi alioqui in scriptura non habeatur.*

CHRYSOSTOMI *Liturgia, siue officium Missæ, quod græcè ipse post S. Basilium & B. Iacobũ conscripsit, extat, quamuis in scriptura non habeatur.*

DAMASCENVS *lib. 4. Orthodoxæ fidei, cap. 17.* Imaginis honor ad exemplar trãsit. Est autẽ hæc traditio, ex earũ numero quę scripturæ verbis minimè expressæ sunt, quemadmodũ & ea qua ad orientem cõuersi adoramus, & ea qua crucem adoramus, aliæq; complures his similes, &c.

IDEM, *in orationib. tribus de imaginibus, plurimorum Patrum antiquorum testimonia citat, de veneratione imaginum, vt Dionysium Areopagitam, Basilium, Chrysostomum, Leontium, Seuerianum, Sophronium, Ambrosium, Gregorium Nyssenum, Theodoretum, Athanasium, Cyrillum Hierosolymitanum, & plures alios.*

IN SECVNDA SYNODO NICÆNA *actione sexta, tomo 4.* Quod autem cum multis alijs quæ in Ecclesia obseruantur sine scriptura, nobis imaginum veneratio tradita sit ab Apostolorum temporibus, latè per historias traditum est, de imagine maximè Hæmorrhoissæ, quam multis scripto-

ſcriptoribus cõfirmare poſſumus. Quin etiã Baſilius Magnus, cuius ſcripta per omnes terræ fines reſonant, in diuerſis opuſculis ſuis, mentionẽ imaginum facit. Gregorius etiã illius & carne & ſpiritu frater, Nyſſenſiũ præſul, in ſermone in Abraham, idem ſentit. Item alter Gregorius, qui à Theologia nomẽ ſortitus eſt, in verſibus à ſe conditis, qui de virtute inſcribuntur, aſſentit. Et Ioannes qui os auro ſplendidius & lucidius conſecutus eſt, in oratione funebri in Meletiũ Epiſcopum Antiochiæ, & in ſermone qui inſcribitur: Quod veteris & noui Teſtamenti vnus ſit Legiſlator. Cyrillus item, expiator Neſtorianæ hæreſis, in Epiſtola ad Achatium Epiſcopum Scytopoleos, Anaſtaſius Epiſcopus Theopoleos. Sophronius, Maximus. Sed quid hos nominatim citamus? Omnes enim ſancti Patres noſtri imagines receperunt.

IVSTINVS *in fi. 2. Apologia pro Chriſtianis, cum multa non ſcripta à Chriſtianis, tamen religioſè obſeruata commemoraſſet, vt quod conſecretur panis & vinum aqua temperatum, & quòd non liceat ſumere Euchariſtiam ante baptiſmum, mox addit.* Poſtridiè Saturni, qui dies ſolis eſt, cum Apoſtolis diſcipuliſq; ſuis apparuiſſet, hæc illis tradidit, quæ vobis quoq; conſiderãda permittimus &c.

IRENÆVS *lib. 3. cap. 2. 3. & 4. paſſim præſertim cap. 4. vbi ait.* Tantæ igitur oſtenſiones cum ſint hæ, nõ oportet adhuc quærere apud alios veritatem; quam facile eſt ab Eccleſia ſumere: Cum Apoſtoli quaſi in depoſitorium diues, pleniſſimè in eam contulerint omnia, quæ ſunt veritatis, vt omnis quicunq; velit, ſumat ex ea potum vitæ. Hæc eſt enim vitæ introitus, omnes autẽ reliqui fures ſunt & latrones, propter quod oportet quidem deuitare illos: quæ autẽ ſunt Eccleſiæ, cum magna diligentia diligere & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim etſi de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt; & ab eis de præſenti queſtione * quod certum eſt & re liquidum eſt? Quid autem ſi neq; Apoſtoli ſcripturas quidem tradidiſſent, nonne oportebat ordinem ſequi traditionis? *ſumere quod

ORIGENES *hom. 5. in lib. Num.* In Eccleſiaſticis *(inquit)* obſeruationibus ſunt nonnulla quæ cum omnibus facere neceſſe ſit, eorum tamen ratio non omnibus patet. *Et ſtatim commemorat multas traditiones non ſcriptas.*

CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS *in Catecheſibus ſolas ferè nõ ſcriptas traditiones à ſcripturis, per ſequitur, de baptiſmo, & alijs ſacramẽtis.*

Xx PRÆTER

PRÆTER SCRIPTVRAM AGNOSCENDAM ESSE QVOQVE COMMVNEM ET INFALLIBILEM ALIQVAM ECCLESIÆ AVCTORITATEM scripturas explicantem, & hæreses condemnantem.

MVLTA *quidem Testimonia Patrum, quæ hoc loco referri possent, supra adduximus; sed præter illa tamen etiam hæc notentur.*

AVGVSTINVS *Tom.7. cont. Cresc. lib.1. cap.33.* Quamuis huius rei *(non rebaptizandos esse hæreticos)* certè de scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarũ commendat auctoritas, vt quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta scriptura demonstrat. Si autem dubitas, quod Ecclesiã, quæ per omnes gentes numerositate copiosissima dilatatur, hæc sancta scriptura commendat, neq; enim si non dubitares, adhuc in parte Donati esses, multis & manifestissimis Testimonijs, ex eadem auctoritate prolatis onerabo.

IDEM *tom.6. contra Aduers. leg. & Prophet. lib.1. cap.20.* DE APOCRYPHIS: Iste *(aduersarius)* posuit testimonia *(contra visibile sacrificiũ)* quæ sub nominib⁹ Apostolorũ Andreæ, Ioañisq; conscripta sunt, quæ si illorum essent, recepta essent ab Ecclesia, quæ ab illorum temporibus p Episcoporũ successiones certissimas, vsq; ad nostra & deinceps tempora perseuerat, & immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis, ex quo Deus Deorum, vocauit terram à solis ortu vsque ad occasum.

IDEM *tom. 6. contra Faustum lib. 28. cap. 2.* Cum necesse sit alterum horum librorum *(confert Acta Apostolorum cum aliquo libro apocrypho)* esse mendacem, cui nos potius fidem censes accomodare debere? Ei né quem illa Ecclesia ab ipso Christo inchoata, & per Apostolos profecta certa successionum serie vsq; ad hæc tempora toto terrarum orbe dilatata, ab initio traditum & conseruatum agnoscit, atque approbat: An ei, quem eadem Ecclesia incognitum reprobat, cum etiam proferatur ab hominibus ita veracibus, vt Christum laudent esse mentitum.

IDEM *tomo 6. contra Epist. fundamenti. cap. 5.* Euangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoueret authoritas. *Et post pauca,* Actibus Apostolorũ necesse est me credere, si credo Euangelio: quoniam vtramq; scripturam similiter mihi comendat Ecclesiæ authoritas.

IDEM *tomo 8. Psal. 57.* In ventre Ecclesiæ veritas manet. Quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est vt falsa loquatur. Necesse est, inquam, vt falsa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excussit.

IDEM, *tom. 6. concionum ad Catechum. cap. 20.* Hæc (*Ecclesia*) est mater vera, pia mater & casta, intrinsecus sui viri dignitate ornata, non forinsecus mendacio fallente turpiter colorata. Non nos ab ista matre nomen confictum seducat alienum, non nos Ecclesiæ species aliena decipiat.

VINCENTIVS LYRINENSIS, *qui vixit Anno 460. in Gallia, in libello aduersus prophanas hæreticorum nouationes, primis quatuor capitibus ita habet.* Sæpe magno studio & sum̃a attentione perquirens à quàm plurimis doctrina & sanctitate præstantibus viris, quonam modo possem, certa quadam & quasi generali via, catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ prauitatis falsitate discernere, huiusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli: quod siue ego, siue quis alius vellet hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide sana, sanus atque integer permanere, duplici modo munire suam fidem, Domino adiuuante, debet: Primò scilicet, diuinæ legis auctoritate, tum deinde Catholicæ Ecclesiæ traditione.

Hic forsitan requirat aliquis: cum sit perfectus scripturarum Canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, vt ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur authoritas? quia videlicet sacram scripturam pro ipsa sua altitudine, non vno eodemque sensu vniuersi accipiunt, sed eiusdem eloquia, aliter, atque aliter, alius atque alius interpretatur: vt pene quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur. Aliter namq; illam Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit. Aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priscillianus, aliter Iouinianus, Pelagius, Cœlestius, aliter postremò Nestorius. Atq; idcirco multum necesse est, propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici, & Catholici sensus normam dirigatur.

In ipsa item Catholica Ecclesia, magnopere curandum est, vt id

teneamus, quod vbiq;, quod semper, quod ab omnibus creditū est, hoc est enim verum catholicum (quod ipsa vis rationis ratioq; declarat, quæ omnia verè vniuersaliter comprehendit) sed hoc ita demum fit, si sequamur vniuersalitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autē vniuersitatem hoc modo; si hanc vnam fidem veram esse fateamur, quā tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem verò ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos, maiores ac patres nostros celebrare manifestum est. Consensionem quoq; itidem; si ipsa vetustate, omnium vel certè penè omnium sacerdotum pariter & magistrorum definitiones sententiasq; sectemur.

Quid igitur faciet Christianus Catholicus, si se aliqua Ecclesiæ particula ab vniuersalis fidei communione præciderit? quid vtiq; nisi vt pestifero corruptoq; membro sanitatē vniuersi corporis anteponat? quid si nouella aliqua contagio iam non portiunculam tantum, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tunc item prouidebit, vt antiquitati inhæreat: quæ prorsus iam non potest ab vlla nouitatis fraude seduci. Quid si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum, vel certè ciuitatis vnius error deprehendatur? Tunc omninò curabit vt paucorū temeritati & inscitiæ, si qua sunt vniuersaliter antiquitus vniuersalis Ecclesiæ decreta præponat. Quid si tale emergat, vbi nihil hujusmodi reperiatur? Tunc operam dabit, vt collatas inter se maiorum consulat interrogetq; sententias, eorum duntaxat, qui diuersis licet temporibus & locis, in vnius tamen Ecclesiæ catholicæ communione & fide permanentes magistri probabiles extiterunt: & quicquid non vnus aut duo tantum, sed omnes pariter vno eodemq; consensu, apertè, frequenter, perseueranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognouerit, id sibi quoq; intelligat absq; vlla dubitatione credendum. *Hactenus Vincentius dictis quatuor primis capitibus, qui eandem doctrinam postea exemplis illustrat, postquam recensuit multa, quæ Ariana hæresis peperit, inter quæ ponit prophanatas Virgines, monasteria demolita, disturbatos clericos, verberatos Leuitas, actos in exilium sacerdotes, postea subiungit*; Atq; hæc omnia nunquid vllam aliam ob causam nisi vtiq; dum pro cœlesti dogmate humanæ superstitiones introducuntur, dum benè fundata antiquitas scelesta nouitate substruitur, dum superiorum instituta violantur, dum rescinduntur scita Patrum, dum conuelluntur definita maiorum, dum sese intra sanctæ incorruptæq; vetustatis arctissimos limites, prophanæ ac nouellæ curiositatis libido non continet.

Hæc ille

Hæc ille cap. 6. cap. autem 9. Mos iste, *inquit*, semper in Ecclesia viguit, vt quò quisq; floreret religiosior, eò promptius nouellis adinuentionibus contrairet.

IBIDEM *Romanum Pontificem Stephanum, vocat beatæ memoriæ Papam, & Apostolicæ sedis antistitem, ac disertè significat Ecclesiam Romanam ad id vsq; tempus, ab omni errore in fide fuisse immunem & constantissimam in auita fide retinenda. Romanos Pontifices successisse Apostolis Petro & Paulo & eos cunctos alios Episcopos loci authoritate superare. Pontificis deniq; Romani esse, definire quòd sit tenendum in controuersiis fidei, ac illius definitioni standum esse.*

Cap. 11. scribit, non esse dubium quin S. Cyprianus, & qui errorem in Concilio Africano definierunt, æternum regnaturi sint cum Christo. qui verò erroris ab eis definiti sectatores sunt, in sempiternũ arsuri sint cum Diabolo: causam huius indicat cap. 10. quod illi post monitionẽ summi Põtificis, errorẽ correxerũt.

Cap. 14. docet, vt anathemate feriebantur à Paulo Gal. 1. qui doctrinam traditam deserebant, ita etiam anathematizari, qui præter id, quod Ecclesia Catholica vsquequaq; Euangelizat, accipit.

IBIDEM. Annunciare ergo, *inquit*, aliquid Christianis Catholicis præter id, quod acceperunt nunquam licuit.

Et paulò post. Quæ cum ita sint, estnè aliquis vel tantæ audaciæ, qui præter id, quod apud Ecclesiam annunciatum est, annunciet? vel tantæ leuitatis; qui præter id, quod ab Ecclesia accepit, accipiat?

Cap. 23. *Postquam depinxit, quantus, quam admirandus, in doctrina, sanctimonia vitæ fuisset Origenes.* Tantus ac talis, dum Dei gratia insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibiq; satis credit, dum parui pendit antiquã Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit; dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens quædam scripturarum capita nouo more interpretatur, meruit, vt de se quoquè Ecclesia Dei diceret, si surrexit in medio tui Propheta. Et paulò post non audies (inquit) verba prophetæ illius.

Cap. 24. *Postquam incredibilem Tertulliani doctrinam, acumen, &c. retulit, ac quantus aliquãdo fuisset catholicus, post eà sic scribit.* Et tamẽ hic quoq; post hæc omnia, hic inquam, Tertullianus, Catholici dogmatis, id est vniuersalis & vetustæ fidei parùm tenax, ac disertior multò, quàm felicior mutata deinceps sententia, &c.

Cap. 27. Quis est, *inquit*, hodiè Timotheus? (*cui scilicet Apostolus, O Timothee depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates*) nisi vel vni-

uersa Ecclesia, vel specialiter totum corpus Præpositorum, qui integram diuini cultus scientiam, vel habere ipsi debent, vel aliis infundere.

Cap.32. Christi (*inquit*) Ecclesia, sedula & cauta dispositorum apud se dogmatũ custos, nihil in ijs vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit. *Et paucis interiectis, ait, Ecclesiã omni industria hoc studere, vt si qua dogmata iam confirmata & definita sint, ea custodiat, & nihil aliud, quam hoc ait eam esse enisam Conciliorum decretis*, nisi vt quod prius à maioribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographũ consignaret, magnam rerũ summam, paucis litteris comprehendendo, & plerunq; propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei sensum nouæ appellationis proprietate signando.

Cap.33. Prosequens explicationem illorũ verborũ Apostoli, deuitans prophanas vocũ nouitates, sic loquitur. Quid est deuitare? cum huiusmodi nec cibum sumere. Quid est deuita? Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non affert. Quam doctrinam? Nisi catholicã & vniuersalem & vnam eandemq; per singulas ætatum successiones incorrupta veritatis traditione manentem, & vsq; in sæcula sine fine mansuram, quid tum? nolite inquit, eum recipere in domum, &c. *Et paucis interiectis ita prosequitur cœptam explicationẽ.* Verborum Apostoli: *vocum, id est*, dogmatũ, rerum, sententiarum nouitates, quæ sunt vetustati, quæ sunt antiquitati contrariæ, quæ si accipiantur, necesse est, vt fides beatorũ Patrũ, aut totã aut certè magna ex parte violetur, necesse est, vt omniũ ætatũ fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes virgines, omnes clerici, Leuitæ & Sacerdotes, tanta confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celebritas & multitudo, tot Insulæ, Prouinciæ, Reges, Gentes, Regna, nationes, totus postremò iam pene terrarum orbis per Catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto sæculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescijsse quid crederet, pronuncietur.

Cap.34. sic scribit. Prophanas (*inquit sc: Apostolus*) vocum nouitates deuitã, quas recipere atq; sectari, nunquam catholicorum, semper verò hæreticorum fuit. Et reuera, quæ vnquam hæresis, nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit? quis vnquam hæreses instituit, nisi qui se prius ab Ecclesiæ Catholicæ vniuersitatis & antiquitatis consensione discreuerit? Quod ita esse luce clarius exempla demonstrãt. Quis enim vnquam ante prophanum illum Pelagiũ, &c. *Ibid. vbi exem-*

plis probat, hæreticos esse primos authores suorũ dogmatum, neq; vllum ante eos nominari posse, qui id docuerit, quod ipsi docent, &c. & tandem adiicit, Catholicorum hoc ferè proprium esse, deposita SS. Patrum & commissa seruare, damnare prophanas nouitates &c.

Cap. 36. illam sententiã à fructibus eorum cognoscetis eos, sic explicat. à fructibus eorũ cognoscetis eos, id est, *inquit*, cũ cœperint (*hæretici*) illas voces (*diuinæ legis sententias, quibus tanquã velleribus quibusdã obuoluũt sese, ne lupi appareãt*) nõ iam proferre tantũ, sed etiã exponere: nec adhuc iactare solũ, sed etiã interpretari, tunc illa amaritudo, tunc acerbitas, tunc rabies (*lupina*) intelligitur, tunc nouitium virus exhalabitur (*exhalatur*) tunc prophanæ nouitates aperiuntur, tunc primum scindi sepem videas, tunc transferri patrũ terminos, tunc catholicam fidem cædi, tunc Ecclesiasticum dogma lacerari.

Cap. 37. Docet & cõfirmat, hæreticorũ esse propriũ, cumulare sacræ scripturæ malè intellecta testimonia, ad suos errores persuadendos, sicut fecit Pater eorum Diabolus; Et inter alia verba Diaboli; mitte te deorsum: sic explicat. id est, (*inquit*) ex istius te sublimis Ecclesiæ, quæ etiam templũ Dei putatur, doctrina & traditione te dimitte, &c. At si quis interrogaret quẽpiã hæreticorũ sibi talia persuadẽtem: Vnde probas, vnde doces, quod Ecclesiæ catholicæ vniuersalẽ & antiquã fidem dimittere debeam? statim ille, scriptũ est enim: Et continuo mille testimonia, mille exempla, mille authoritates, parat de lege, de psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus nouo & malo more interpretatis, ex arce Catholica in hæreseos barathrum infœlix anima præcipitetur.

Cap. 38. Quonã modo, *inquit*, in scripturis sanctis veritatem à falsitate discernent? (*Catholici videlicet homines & matris Ecclesiæ filii vt idem loquitur*) Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio comonitorii istius sanctos & doctos viros nobis tradidisse scripsim⁹, vt diuinũ Canonem secundum vniuersalis Ecclesiæ traditiones; & iuxta Catholici dogmatis regulas interpretentur, in quã item Catholicæ, Apostolicæq; Ecclesiæ sequantur necesse est vniuersitatẽ, antiquitatẽ, cõsensionẽ, &c.

Cap. 39. Hic, *inquit*, iã consequens esse video, vt exemplis demonstrem quonã modo prophanæ hæreticorũ nouitates; prolatis atq; collatis veterum magistorũ concordantibus sibimet sententiis, & deprehendantur & commendentur: *Et infra.* Itaq;, *inquit*, cum primum mali cuiusquè erroris putredo erumpere cœperit, & ad defensionem sui quædam sacræ legis verba furari; eaquè fallaciter & fraudulenter exponere, statim interpretando Canoni Maiorum sententiæ congregandæ

sunt,

ſunt,quibus illud, quodcunquè exurget, nouitium, ideoquè prophanum; & abſquè vlla ambage prodatur, & ſine retractatione damnetur. Sed eorũ duntaxat patrũ ſententiæ conferendæ ſunt,qui in fide & communione catholica ſanctè,ſapienter, conſtanter viuentes, docentes,& permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto fæliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum eſt,vt quicquid vel omnes, vel plures, vno eodemq; ſenſu manifeſtè, frequenter,perſeueranter,velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorũ concilio, accipiendo,tenendo, tradendo, firmauerint, id pro indubitato, certo ratoquè habeatur. Quicquid verò quamuis ille ſanctus & doctus, quamuis confeſſor & martyr,præter omnes,aut etiam contra omnes ſenſerit,id inter proprias & occultas & priuatas opiniunculas, à communis, publicæ,ac generalis ſententiæ authoritate ſecretum ſit, ne cum ſummo æternæ ſalutis periculo iuxta ſacrilegam hæreticorum & ſchiſmaticorum conſuetudinem,vniuerſalis dogmatis veritate admiſſa, vnius hominis nouitium ſectemur errorem,

Cap.40.Docet, & confirmat beatorum Patrum ſanctum Catholicumquè conſenſum non poſſe contemni,quin Deus contemnatur.

Capit.41.Diximus *inquit*, in ſuperioribus hanc fuiſſe ſemper, & eſſe hodieq; Catholicorum conſuetudinem, vt fidem veram, duobus his modis approbent.primo diuini Canonis authoritate. Deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione, non quia Canon ſolus non ſibi ad vniuerſa ſufficiat; ſed quia verba diuina pro ſuo pleriq; arbitratu interpretantes, varias opiniones,erroresq; concipiant,atque ideò neceſſe ſit,vt ad vnam Eccleſiaſtici ſenſus regulam, ſcripturæ cœleſtis intelligentia dirigatur, in ijs duntaxat præcipuè quæſtiõibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur. *Et paucis interiectis*.Item diximus,*inquit*,in ipſa Eccleſiæ vetuſtate duo quædam vehemẽter ſtudioſeq; obſeruanda, quibus penitus inhærere deberent, quicunq; hæretici eſſe nolint,id eſt,ſiquid eſſet antiquitus ab omnibus Eccleſiæ Catholicæ ſacerdotibus vniuerſalis Concilii authoritate decretum. Deinde ſi qua noua exurgeret quæſtio vbi id minimè reperiretur, recurrendum ad SS. Patrum ſententias, eorum duntaxat, qui ſuis quique temporibus, & locis, in vnitate communionis & fidei permanentes, Magiſtri probabiles extitiſſent,& quicquid vno ſenſu atquè conſenſu tenuiſſe inuenirentur, id Eccleſiæ verum & catholicum abſq; vllo ſcrupulo iudicaretur.

Quod *inquit Cap.42.* ne præſumptione magis noſtra, quàm authori-

thoritate Ecclesiastica promere videremur, exemplum adhibuimus sancti Cōcilij, quod ante triennium fermè, in Asia apud Ephesum celebratum est, viris clarissimis, Basso, Antiochoq; consulibus. Vbi cum de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illis forsitan prophana nouitas in modum perfidiæ Ariminensis obreperet, vniuersis sacerdotibus; qui illò ducenti ferè numero conuenerant, hoc catholicissimum, fœlicissimum, atq; optimum factu visum est, vt in medium Sanctissimorum Patrum sententiæ proferrentur, quorum alios Martyres, alios confessores, omnes verò Catholicos Sacerdotes fuisse & permansisse constaret, vt scilicet ritè atq; solenniter ex eorum consensu atq; decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanæ nouitatis blasphemia cōdemnaretur. Quod cum ita factum foret, iure meritoq; ille Nestorius catholicæ vetustati cōtrarius, B. verò Cyprianus sacrosanctæ antiquitati consentaneus iudicatus est.

IBIDEM; *vbi etiam inter alios SS. Patres, iuxta quorum concordē sententiam controuersia in eo Concilio est definita, numerat S. Fœlicem & S. Iuliū, Romanæ vrbis Episcopos, quorum epistolas ait fuisse lectas in dicto Concilio. Et propter eosdem Romanos Pontifices ait, caput orbis illi iudicio testimonium perhibuisse. Deniq; ibidem ait Episcopos qui dicto Concilio interfuerunt, fuisse doctissimos, & penè ex maiori parte Metropolitanos; additq; cap 43. eandē iam dictam synodum Ephesinam fuisse totius penè Orientis Episcoporum.*

Cap. vltimo, authoritate duorum summorum Pontif. Rom Sixti videlicet & Cœlestini (quorum sedem apostolicam vocat) item S. Cyrilli, & supra dictæ Synodi Ephesinæ confirmat, id solum esse tenendum, quod sacrata sibiq; in Christo consentiens SS. Patrum tenuit antiquitas, & iam dictorum Pontificum Romanorum decreta vocat Apostolica atq; Catholica.

Hæc Vincentius Lirinensis. Aduertendum porro est diligenter Vincentium accepisse doctrinam istam à Maioribus, eamq; fuisse communem sanctitate & doctrina præstantium virorum, illius ætatis, neq; eum tam fuisse authorem, quam relatorem eiusdem doctrinæ, sicut ipsemet testatur, tum in præfatione istius libelli; tum postea sæpius, nempè cap. 1. 38. 41. &c. Quocirca testimonium ex isto libello pro nostra sententiæ confirmatione allatum, non est simplex, sed multiplex, non priuatum sed catholicum et commune.

TERTVLLIANVS, *qui floruit Anno Christi 200. in libello de præscript. aduersus hæreticos (quem ab ipso scriptum esse, dum adhuc esset catholicus, & Romanæ adhæreret Ecclesiæ, tum aliunde, tum ex cap. 30. 35. 36. eiusdem libelli apertè cōstat.) plura subministrat pro cōfirmatione supra dictæ veritatis catholicæ.*

licæ. Et inprimis, cap. 15. disertè docet, quamuis Aduersarii, (id est, hæretici,) de scripturis suadere velint, & ad eas prouocent, & eas obtendant, ipsos tamen non esse admittendos ad vllam de scripturis disputationem, sed disputandum esse cum eis de hoc; Vtrum videlicet eis competat possessio scripturarum an non; vult enim ad scripturas non admittendum esse illum, cui ea nullo modo competunt.

Cap. 19. Ergo *inquit*, non ad scripturas prouocandum est, nec in his constituendũ certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita euaderet collatio scripturarum, vt vtramq; partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est, quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturæ, à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit veritas scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.

Cap. 21. Hanc igitur *inquit*, dirigimus præscriptionem; si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit, quia nec alius patrem nouit, nisi filius, & cui filius reuelauit, nec alijs videtur reuelasse filius, quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, vtiq; quod illis reuelauit; Quid autẽ prædicauerint, id est, quid illis Christ⁹ reuelauerit, ex his præscribam, non aliunde probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua (quod aiunt) voce, quam per Epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus & Originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: Reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei &c.

Cap. 28. & 29. Age nunc *inquit*, omnes errauerint, *Et paucis interiectis.* Neglexerit officium Dei villicus, Christi Vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipse per Apostolos prædicabat. Ecquid verisimile est, vt tot ac tantæ (*Ecclesiæ*) in vnam fidem errauerint? Nullus inter multos euentus est vnus exitus: Variasse debuerat error doctrinas Ecclesiarum. Cæterum quod apud multos vnum inuenitur non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos errasse, qui tradiderunt. Quoquomodo sit erratũ tam diu vtique regnauit error,

quàm

quàm diu hæreſes non erant. Aliquos Marcionitas & Valẽtinianos liberanda Veritas exſpectabat: interim perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperã functa, tot deniq; martyria perperam coronata; Aut ſi nec perperam, nec in vacuum, quale eſt, vt ante res Dei currerent, quam cuius Dei notum eſſet? &c.

IBIDEM *Cap. 31. Ex parabola de ſemine. Math. 13. colligit id eſſe Dominicum & verum, quod eſt prius traditum, id autem extraneum & falſum quod poſterius eſt immiſſũ, ac deinde iſta ſubiungit:* Ea ſententia manebit aduerſus poſteriores quaſq; hæreſes, quibus nulla conſtantia de conſcientia competit ad defendendã ſibi veritatem. Cæterũ ſi quæ audent *(inquit) cap. 32.* interſerere ſe ætati apoſtolicæ, vt ideò videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt, poſſumus dicere. Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſionẽ ab initio decurrentẽ, vt primus ille Epiſcopus, aliquẽ ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerint, habuerit authorem & anteceſſorem Hoc enim modo Eccleſiæ apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut ſmyrnæorũ Eccleſia habens Polycarpum ab Ioanne collocatum refert, ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatũ edit. *Et paulo poſt.* ad hanc itaq; formam prouocabuntur ab illis Eccleſiis quæ licet nullum ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis authorem ſuum proferant, vt multò poſteriores, quæ deniq; quotidie inſtituũtur: tamen in eadem fide conſpirantes non minus Apoſtolicæ deputantur, pro conſanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreſes, ad vtramq; formam à noſtris Eccleſiis prouocatæ, probent ſe quaqua putant Apoſtolicas &c.

IBIDEM *& infra;* His definitionibus, *inquit*, prouocatæ à nobis, & reuictæ hæreſes omnes, ſiue quæ poſteræ, ſiue quæ coætaneæ Apoſtolorũ dummodo diuerſæ: ſiue generaliter, ſiue ſpecialiter notatæ ab eis, dum modo prædamnatæ, audeant reſpondere, & ipſæ aliquas eiuſmodi præſcriptiões aduerſus noſtram diſciplinam: ſi enim negant veritatem eius, debent probare illam quoq; hæreſim eadem forma reuictam, qua ipſæ reuincuntur. &c.

Cap. 36. pro cognitione veræ doctrinæ remittit ad primarias ab Apoſtolis inſtitutas Eccleſias, inter quas numerat Romanam, quam vocat ſtatu fœlicem cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt &c. & vnde nobis quoq; *inquit,* authoritas præſto eſt ſtatuta.

Cap.37. Si hæc inquit, ita se habeat, vt veritas nobis adiudicetur, quicunque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit, constat ratio propositi nostri definientis, non esse admittendos hæreticos ad ineundam de scripturis prouocationem, quos sine scripturis probamus, ad scripturas non pertinere. Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt, non à Christo habendo, quæ de sua electione sectati hæreticorum nomine admittunt. Ita non Christiani nullum ius capiunt Christianarum literarum; ad quos meritò dicendum est. Qui estis? quando & vnde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo deniquè Marcion iure siluam meam cædis? Qua licentia, Valentine, fontes meos transuertis? Qua potestate Apelles limites meos commoues? Mea est possessio. Quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, &c.

Cap.45. sed nunc quidem, *inquit*, generaliter actum est à nobis aduersus hæreses omnes, certis & iustis & necessariis proscriptionibus, repellendas à collatione scripturarum, &c. *Quæ omnia ex Vincentio Lirinensi & Tertulliano citata, longè adhuc clarius pro nobis sonant, si integri illi libelli citati legantur. qui perinde ad nostrum propositum accommodati sunt, tanquam si ex instituto contra Aduersarios in præsenti causa, fuissent conscripti.*

IDEM *Tertullianus de Corona militis, cap.3. sic scribit quod ex parte iam suprà quoq; recitatum est.* Et quamdiu, *inquit*, per hanc lineam, serram reciprocabimus, habentes obseruationẽ inueteratã, quæ præueniẽdo statũ fecit? Hanc si nulla scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in traditionis obtentũ exigenda est, inquis, authoritas scripta. Ergo quæramus, an & traditio non scripta, non debeat recipi. planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præiudicent aliarum obseruationum, quas sine vllius scripturę instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Deniq; vt à baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius: Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Euangelio determinauit. Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus, &c. frontem crucis signaculo terimus.

IBIDEM *Cap.4.* Harum, *inquit*, & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem

legem expostules scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur auctrix consuetudo confirmatrix & fides obseruatrix: Rationē traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit disces &c.

His exemplis renunciatum erit, posse etiam non scriptam traditionem in obseruatione defendi confirmatam consuetudine, idonea teste probatæ tunc traditionis ex perseuerantia obseruationis. Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit Lex: nec differt scriptura, an ratione consistat, quando & legem ratio commendet.

Huc etiam imprimis spectant testimonia illa, quæ à nobis de obscuritate scripturæ recitata sunt, ex Tom. 6. August. contra epistol. Manich. cap. 5. Ego verò Euangelio non crederem, &c. *& illud valde consimile de vtilitate credendi, cap. 14.* Christum ipsum, &c. *& in testimoniis de traditionibus, illud Irenæi, lib. 3. cap. 4.* tantæ ostensiones.

Quod si, vt aduersarij, omnia persequi & recitare voluissemus, iam nō pauculos tantū quaterniones, sed integros eis Tomos opponere potuissemus: Sicut omnino pro nostra parte nihil magis optamus, quàm vt non pauca quadam & mutila SS. Patrū testimonia, sed integri eorum tractatus legantur ab ijs qui veritatem syncere amant. Videbunt profectò longè adhuc clarius rectissimè à nobis in hac causa vsurpari posse, quod olim ab Athanasio in simili causa contra hæreticos prolatum est, in lib. de decretis Nicænæ Synodi, contra Eusebium. Ecce nos quidem ex patribus ad patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus, vos autem O noui Iudæi, & Caiphæ filij, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores? *Quam ridiculum est autem, quod ex iure quoq; Canonico quadam pro suo errore testimonia citant, cum planum sit & apertum, tot eos ex eodem iure Canonico argumentis confutari, quot in eo leguntur canones, quorum singuli apertè demonstrant, Pontificem supremum esse fuisseq; & caput & Iudicem Ecclesiæ, vt qui toti semper Ecclesiæ ius dicere solitus sit? Quod si Aduersarij adhuc specialia pro summa Romani Pontificis auctoritate testimonia requirunt, legant si placet opus Nicolai Sanderi; de visibili Monarchia Ecclesiæ lib. 7. in quo singula percurrens sæcula, ab Apostolorum vsq; temporibus, vsq; ad hoc nostrum, in quo viuimus, supra duo millia testimoniorum pro suprema illa Summi Pontificis in Ecclesia authoritate collegit.*

Interim Catholicus quisq; confidenter & optimo Iure Aduersariis opponere potest illud Nazianzeni, epist. 2. ad Chelid. Absconditam *inquit*, post Christum sapientiam nobis annunciat, rem lachrymis dignam. Si enim triginta his annis fides originem habuit; cum quadringenti (*mille quingenti*) ferè anni ab eo tempore fluxerint, quo Christus palam conspectus est, inane tanto tempore fuit Euangelium, inanis etiam fides nostra. Et Martyres quidem frustra martyrium subierunt, frustra etiam tales tantiq; Antistites populo præfuerunt: *Et illud Hieronymi Epist. ad Pamach. & Ocean. de errorib. Origenis.* Cur post quadringẽtos (*mille quingentos*) docere nos niteris, quod antè nesciuimus? vsque in hanc diem sine ista doctrina mũdus Christianus fuit. *Et illud quoq; Hilarij lib. 6. de Trinit.* Ab his ergo, *inquit* quæ teneo, edoctus sum, his imedicabiliter imbutus sum. Et ignosce omnipotens Deus, quia in his nec emendari possum, sed commori possum. Tardè mihi hos pijssimos (*aliàs impijssimos*) quantum ego arbitror, Doctores ætas nunc huius sæculi protulit. Sero hos habuit fides mea, quam tu erudisti, magistros, &c.

Laus Deo, & Deiparæ Virgini, & omnibus Sanctis.

NO-

NOTATIONES.

Ad titulum Aduersariorum.

IN titulo nullus est consequentiæ nexus, cum dicitur, scripturam esse obscurã, & difficilem intellectu. Ac proinde præter scripturam admittendas esse quoq; traditiones non scriptas. Quia enim dicuntur traditiones non scriptæ nomen ipsum indicat, eas in scriptura non esse fundatas, quomodo igitur ad obscuritatem scripturæ tollendam possunt adhiberi?

Ad primæ partis titulum.

Monendus initio est lector de statu quæstionis inter nos & Aduersarios. Is non est, an quædam, vel etiam multa sint in sacris literis obscura: Hoc namque fatemur ipsi. Sed neq; hoc quæritur, an ad acquirendam intelligentiam scripturæ duce nobis opus sit: concedimus enim & hoc, & perspicuè docemus, supremum ducem ac magistrum fidei esse IESVM CHRISTVM, *Matth. 23. esse Spiritum sanctum docentem nos per verbum sicut scriptum est: Ipsa vnctio docet nos, 1. Ioann. 2. Ad hæc asserimus opus esse dono Prophetiæ seu interpretationis scripturæ, quod donum concessit Deus Ecclesiæ suæ, quæ non prætoria potestate statuit de sensu scripturæ, sed eundem in difficilioribus locis eruit, ex ipsa scriptura attendendo phrasin Spiritus Sancti, scopum cuiusq; dicti, totius contextus* κατὰ μέρος *siue connexionem, & scripturas cum scripturis, hoc est obscuriora loca cum alijs planioribus conferendo & illorum obscuritatem per hæc euoluendo & explicando. Verus ergo status quæstionis in hoc omnino cardine vertitur, an ea sit in tradendis articulis ad salutem scitu necessarijs, obscuritas scripturarum sacrarum, vt ad sui explicationem ipsa sibi natiuo suo lumine non sufficiat, sed opus sit aliunde (non ex ipsamet scriptura) interpretationem quasi mutuo sumere: præsertim verò à Romano Pontifice, vel sine, vel cum Concilio definiente.*

Quod attinet primum Testimonium August. Tomo 6. de vtil. cred. cap. 7. disputat ibi contra Honoratum contendentem, absurda quædam in sacris literis contineri. Hanc ergò impietatem refellit, & simul Honorati præsumptionem redarguit, quod illotis quasi manibus scripturam inuadat, eamq; sui intellectui putet ita obuiam, vt in illius sententia exquirenda, nullo prorsus egeat præceptore aut interprete. Quid autem hoc contra nos? Siquidem nemo nostrũ vnquam somniauit, adeo claram & facilem esse scripturam, vt quiuis eam primo velut intuitu statim intelligat, etiam citra operam docentium. Quorsum enim institutũ esset ministerium docendi in scholis pariter, & in Ecclesijs. Hinc luce clarius apparet, hoc allegatum nihil quicquam facere ad propositum.

Secun-

Secundum Testimoniũ extat Tom.3.sent.67. in eo commendat D. Au-stinus profunditatē reconditæ sapientiæ diuinorum mysteriorum. Nec tamē inficiatur eam ex ipsamet scriptura (quantum ad salutem est satis.) posse aperiri & erui. Hoc enim Augustinus ipse passim, præcipuè verò in dictis nostro catalogo insertis manifestè docet.

Tertium Testimonium, Tom.3.de doct. Christ. lib.2.cap.6. nihil aliud habet, quā esse quædam in sacris literis, quæ obscuritatem habeant, maximè apud eos, qui (vt inquit) temerè legunt aliud pro alio sentientes. Estq́ memorabile, quod Augustinus eo ipso capite scribit, nihil ferè de illis obscuritatibu erui; quod non planissimè alibi dictum reperiatur. Quæ verba si attendissent aduersarii, vidissent perfacilè suum allegatum ad scopum quæstionis minimè pertinere.

Quartum testimonium legitur. Tom 3. de Genesi ad literam lib.6.cap. 9. Ad id respondemus S. Augustinum, loqui non de verborum obscuritate, sed mysteriorum profunditate, quorũ aliàs verba apertissimè posita ipsemet asseuerat eo ipso plane loco. Quod autem ea mysteria non possint ex ipsamet scriptura (quantũ quidē sufficit ad salutē) explicari, sed opus sit Pontificem Romanum consulere, aut Ecclesiam eius, id verò nec in contextu August. demonstrare possunt Aduersarii, nec inde probabili saltem consequentia deducere.

Ad Quintum Testimonium, Tom. 6. cont. Epist. Manich. cap. 5. Respondemus primo, quando scribit Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ moueret authoritas; loquitur illic de initio fidei, quod ad Euangelii fidem sit adductus cum prius fuisset Manichæus, quod videlicet mediante prædicatione catholicorum permotus sit ad credendum Euangelio. Secundo notandum quod illic non de quauis Ecclesia sed pytiùs ac notanter de primitiua differat, quæ Dominum Iesum viderat aut certè Apostolos eius, & de scriptis illorum testificari poterat. Hunc in modum Ioann. Gerson Cancellarius Parisiensis lib. de vita spirituali animæ, lect.2. Corollario 7. dictum Augustini interpretatur dicens Aug. in ijs verbis (Euangelio non crederem, &c.) Ecclesiam sumere pro primitiua congregatione fidelium eorum, qui Christum viderunt, audierunt, & sui testes extiterunt.

Ad sextum Testimoniũ quod producitur ex 6. Tomo de vtil. cred. cap. 14. Respon. Augu. mentē non esse, quod non etiam propter Euangelica & Apostolica scripturæ testimonium credat ea, quæ de Christo prodita sunt: sed iuxta subiectam materiam loqui de primitiua Ecclesia, cuius testimonio motus plus fidei tribuat Catholicis, quam Manichæis in testificatione de scripturæ sacræ libris, & Religione Christiana. Quò pertinet quod inquit. Scriptura omnis si

noua

noua & inaudita proferatur, vel commendetur à paucis, nulla confirmāte ratione, non ei, sed illis qui eam proferunt, creditur. Quamobrem scripturas istas si vos proferetis tam pauci & incogniti, non libet credere: simul etiam contra promissum facitis, fidem potius imperando quàm reddendo rationē. *Quare nec hoc allegatū ad præsentē quæstionem legitimè aptatur. Et obserua, quod postremum hoc in verbis Aug. Manichæos reprehendentis, Pontificij cum Manichæis commune habent, vt imperent potius fidem, quam rationem reddant.*

Septimum Testimonium, ibidem cap. 17. eos tantum reprehendit, qui suapte freti ingenio doctorum interpretationes aspernantur. Nequaquam vero docet, interpretationem, aliunde quam ex ipsa scriptura petendam esse.

Octauum Testimonium, Tomo 7. de Bapt. contra Donatist. lib. 7. cap. 53. & contra Crescon. lib. 10. cap. 33. Quæstio est, Vtrum approbandum sit baptisma, quod ab eo qui non accepit, accipitur, & vtrum nihil intersit, quo animo accipiat ille, cui datur ille, &c. Unde patet nō hic agi de obscuritate scripturæ, sed de difficultate quæstionum, quas ibi tractat. Fertur ergo testimonium hoc planè quod dicitur extra oleas. Aliàs non diffitemur in obscuris quæstionibus scrutanda esse antiquitatis decreta, & grata mente recipienda, si cum scriptura sacra concordēt. Alterū dictum August. contra Cresconiū, lib. 1. cap. 33. quia infra repetitur ab Aduersariis, nos explicationem eius, ad illum locū vsq; differimus.

Nonum Testimonium Irenæi, lib. 2. cap. 47. hoc solum docet, scripturam tam esse profundū mare sapientiæ & cognitionis, vt in hoc sæculo non possit vniuersum exhauriri, sed semper aliqua discenda restent. Quod ipsum nos quoquè sonora voce profitemur. Manet autem nihilominus firmum, quod ea omnia, quæ ad consecutionem salutis sunt cognitu necessaria, satis lucidè sint in scripturis tradita. Quid vero iudicet Irenæus de his, qui sacrā scripturā imperfectionis, ambiguitatis, & obscuritatis insimulant, in nostris allegatis ostensum est ex lib. 3. cap. 2.

Decimo, Origenes lib. 7. contra Celsum dicit, multis locis scripturam esse obscuram nec tamen indicat totam esse obscuram, præsertim in ijs, quæ cognitu sunt necessaria. Imò non obscurè testatur sensum scripturæ posse erui, cum ait; Cordatos viros scrutando scripturam intellectum eius inuenire potuisse. Quod pro nobis facit contra Pontificios.

Vndecimo; Idem Homil. 12. in Exod. nominat scripturā librum obsignatum. Respondeo quis negat mysteria regni cœlestis in sacris literis descripta esse, nobis natura ignota, & quasi obsignata? Non est de hoc quæstio, sed quòd ex contextu liquet, reprehendit Origenes negligentiam hominum in tractandis

sacris literis, & è conuerso indicat, pijs precibus à Deo contendendum esse, vt agnus de tribu Iuda librũ scripturæ aperiat. Quod fieri demonstrat, si in timore Domini studiũ adhibeatur accuratũ, id est, si cõsiderentur præcedentia & consequentia, si examinetur Phrasis, si scopus attendatur cuiusq; loci, si item scripturarum inter se fiat collatio. Obseruet autem Lector hanc potestatem aperiendi scripturas non Pontifici adscribi, sed agno.

Duodecimo; Ruffinus, lib. 11. histor. cap. 9. Respondeo nos quoq; non aspernamur quadam præsumptione aliorum, seu veterum seu Neotericorum labores, quibus scripturam sunt interpretati, sed grata mente ijs vtimur; ita tamen vt (quemadmodũ Patres & maiores ipsi requirunt) ea interpretationes quæ deprehenduntur, textui, scopo, phrasi, perpetuoq; consensui, scripturæ & analogiæ fidei consentaneæ recipiantur, cætera verò cum illorum pace repudientur.

Decimo tertio, Chrysostomus hom. 40. in Ioan. nobis planè nihil aduersatur. Nã ne nos quidem statuimus scripturæ sensũ cuiuis statim esse obuiũ, etiam sine diligenti scrutatione & inuestigatione: sed hoc demũ est, quod in cõtrouersiã venit, anne scripturæ sensus ita sit abditus, vt ad eruendũ illũ scriptura ipsa sibi nõ sufficiat? Respondeat ipsemet Chrysostomus ex homil. sua 9. cap. 4. poster. ad Cor. semper (*inquit*) quando (*Paulus*) aliquid obscurum loquitur, seipsum iterum interpretatur. *Et rursum homil. 13. in Genesin.* scriptura cum nos aliquid docere vult, seipsam exponit.

Decimo quarto. Greg. homil. 6. in Ezech. scribit quidẽ esse aliqua in sacris literis obscura, quorum inuestigatione, pius animus exerceatur, verũ ipsemet suã mentẽ declarat, asserens in quibusdã locis *esse obscura: non dicit vniuersã scripturã esse obscuram, multo minus in ipsis articulis, tantã eius esse obscuritatẽ vt nullus certus sensus, ne quidem per adhibitã quidẽ diligentiã inde possit erui; nisi lumẽ alienũ ei inferatur, & Põtifex prætoria potestate præcipiat, quis scripturæ sensus esse debeat. Quomodo aliàs Gregorius ipse secum cõciliari posset, quando in Pastorali, cap. 44. asserit, scripturam prophetici sermonis in tenebris vitæ præsentis, factum esse nobis Lucernam & lumen itineris?*

Decimo quinto. Eadem est sententia Hieronymi in præfat, in Epist. ad Ephes. & certè nobis in mentem non venit, vt eam perspicuitatem tribuamus sacris literis, quasi in cunctis suis partibu, vix dum inspecta illico intelligantur: quin fatemur studio opus esse in ijs scrutandis, neq; negligendã doctorum virorum hac in parte præstitam operam & diligentiam: quandoquidem Spiritus Sanctus sua dona, cum primis etiã donum interpretationis scripturæ distribuit, vt vult, 1. Cor. 12. Proinde non modò vtilis, sed etiam necessaria est, communicatio sententiarum in enodandis obscurioribus sacræ scripturæ locis.

Decimo

Decimo sexto. Idē in Epistola ad Algasiam, quæstione 8. asserit, Epistolam ad Romanos esse difficilem intellectu: quod respectu quarundam partium, verū esse non negatur, idq; Petrus etiā subinnuit, 2. Epist. 3. Nec tamen recte concluditur, tantam eius obscuritatem esse, vt non nisi per Romani Pontificis interpretamentum ea tolli possit. Nam idem Hieron. in Apol. de lib. contra Iouinianum Tom. 2. pag. 109. ex ipsis scripturis interpretationem esse petendam, monet.

Decimo sept. Idē Epist. 75 ad Vigilantium ostendit, maiorem laborem requiri, ad sensum Prophetarum & Apostolorum explicandum, quam ad degustandum vinum. Hæc verò quis negat? & quid tandem id πρὸς Διόνυσον

Decimo oct. Idē Epist. 142 ad Damasum dicens, in scriptura multa esse abscondita, aliud literam significare, aliud sensum mysticum: Verum est hoc secundum quid & in aliquibus. Pleraq; enim solum literalem sensum admittunt, præsertim quæ adduci solent ad confirmationem dogmatum, de qua potissimum inter nos & Pontificios controuertitur.

Decimo nono. Porro quod in prooemio, lib. 8. com. in Esaiam affirmat Hieron. Esaiā magnis obscuritatib. esse inuolutū: expedita est responsio. Nam cōcedimus Esaiæ vaticinia non pauca obscura esse, præsertim verò ea capita, de quibus illic Hieron. in specie disserit. Sicut autē in vaticinijs de excidio variarum gentium, haud leuis occurrit perplexitas: sic vicissim in vaticiniis de regno Christi, deq; dogmatibus fidei clarius est, & si qua difficultas apparet, tollitur beneficio interpretationis, iuxta modos supra notatos instituendæ. Itaq; non rectè ab obscuritate vaticiniorum quorundam concluditur, ad inferendam obscuritatem scripturæ in tradendis dogmatibus religionis. Eoq; minus valet argumentū à parte ad totum, hoc est ab Esaiæ libro, ad totam scripturā, quod constat obscuriora loca Esaiæ in scriptura noui Testamēti fusissimè explicata, quin & vaticinia per rerum prædictarum euentum illustrata esse.

Vicesimo. Locus Hieron. Tomo 8. Comment. in caput 7. Ecclesiastis, non ferit nos, siquidem extra litem est, esse scripturam immensum quoddā pelagus, vt quo longius in eis meditatione & cognitione progreditur homo, eo plura sese offerant, porrò discenda, nec omnia in hoc sæculo addisci queant, quandoquidē ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. 1. Corin. 13. quodquè Hieron. de mysteriorum agat notitia, non ambiguè docet annexa antithesis, qua cognitio huius sæculi cum alterius vitæ consummata scientia manifestè contenditur. Hoc interim perstat inconcussum, omnia ea quæ ad salutem scitu sunt necessaria, satis dilucide esse tradita in diuinis literis. Et apparet ex inspectione Hieronymū eo loco, nempè super 4. cap. Epist. ad Eph. minimè disputare de dog-

sunt, quibus illud, quodcunquè exurget, nouitium, ideoquè prophanum; & absquè vlla ambage prodatur, & sine retractatione damnetur. Sed eorũ duntaxat patrũ sententiæ conferendæ sunt, qui in fide & communione catholica sanctè, sapienter, constanter viuentes, docentes, & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo fæliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est, vt quicquid vel omnes, vel plures, vno eodemq; sensu manifestè, frequenter, perseueranter, velut quodam consentiente sibi magistrorũ concilio, accipiendo, tenendo, tradendo, firmauerint, id pro indubitato, certo ratoquè habeatur. Quicquid verò quamuis ille sanctus & doctus, quamuis confessor & martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias & occultas & priuatas opiniunculas, à communis, publicæ, ac generalis sententiæ authoritate secretum sit, ne cum summo æternæ salutis periculo iuxta sacrilegam hæreticorum & schismaticorum consuetudinem, vniuersalis dogmatis veritate admissa, vnius hominis nouitium sectemur errorem,

Cap. 40. Docet, & confirmat beatorum Patrum sanctum Catholicumquè consensum non posse contemni, quin Deus contemnatur.

Capit. 41. Diximus *inquit*, in superioribus hanc fuisse semper, & esse hodieq; Catholicorum consuetudinem, vt fidem veram, duobus his modis approbent. primo diuini Canonis authoritate. Deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione, non quia Canon solus non sibi ad vniuersa sufficiat; sed quia verba diuina pro suo pleriq; arbitratu interpretantes, varias opiniones, erroresq; concipiant, atque ideò necesse sit, vt ad vnam Ecclesiastici sensus regulam, scripturæ cœlestis intelligentia dirigatur, in ijs duntaxat præcipuè quæstiõibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur. *Et paucis interiectis.* Item diximus, *inquit*, in ipsa Ecclesiæ vetustate duo quædam vehemẽter studioseq; obseruanda, quibus penitus inhærere deberent, quicunq; hæretici esse nolint, id est, siquid esset antiquitus ab omnibus Ecclesiæ Catholicæ sacerdotibus vniuersalis Concilii authoritate decretum. Deinde si qua noua exurgeret quæstio vbi id minimè reperiretur, recurrendum ad SS. Patrum sententias, eorum duntaxat, qui suis quique temporibus, & locis, in vnitate communionis & fidei permanentes, Magistri probabiles extitissent, & quicquid vno sensu atquè consensu tenuisse inuenirentur, id Ecclesiæ verum & catholicum absq; vllo scrupulo iudicaretur.

Quod *inquit Cap. 42.* ne præsumptione magis nostra, quàm authori-

thoritate Ecclesiastica promere videremur, exemplum adhibuimus sancti Cōcilij, quod ante triennium fermè, in Asia apud Ephesum celebratum est, viris clarissimis, Basso, Antiochoq; consulibus. Vbi cum de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illis forsitan prophana nouitas in modum perfidiæ Ariminensis obreperet, vniuersis sacerdotibus; qui illò ducenti ferè numero conuenerant, hoc catholicissimum, fœlicissimum, atq; optimum factu visum est, vt in medium Sanctissimorum Patrum sententiæ proferrentur, quorum alios Martyres, alios confessores, omnes verò Catholicos Sacerdotes fuisse & permansisse constaret, vt scilicet ritè atq; solenniter ex eorum consensu atq; decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanæ nouitatis blasphemia cōdemnaretur. Quod cum ita factum foret, iure meritoq; ille Nestorius catholicæ vetustati cōtrarius, B. verò Cyprianus sacrosanctæ antiquitati consentaneus iudicatus est.

IBIDEM; *vbi etiam inter alios SS. Patres, iuxta quorum concordē sententiam controuersia in eo Concilio est definita, numerat S. Fœlicem & S. Iuliū, Romanæ vrbis Episcopos, quorum epistolas ait fuisse lectas in dicto Concilio. Et propter eosdem Romanos Pontifices ait, caput orbis illi iudicio testimonium perhibuisse. Deniq; ibidem ait. Episcopos qui dicto Concilio interfuerunt, fuisse doctissimos, & penè ex maiori parte Metropolitanos; additq; cap 43. eandeiam dictam synodum Ephesinam fuisse totius penè Orientis Episcoporum.*

Cap. vltimo, authoritate duorum summorum Pontif. Rom Sixti videlicet & Cœlestini (quorum sedem apostolicam vocat) item S. Cyrilli, & supra dictæ Synodi Ephesinæ confirmat, id solum esse tenendum, quod sacrata sibiq; in Christo consentiens SS. Patrum tenuit antiquitas, & iam dictorum Pontificum Romanorum decreta vocat Apostolica atq; Catholica.

Hæc Vincentius Lirinensis. Aduertendum porro est diligenter Vincentium accepisse doctrinam istam à Maioribus, eamq; fuisse communem sanctitate & doctrina præstantium virorum, illius ætatis, neq; eum tam fuisse authorem, quam relatorem eiusdem doctrinæ, sicut ipsemet testatur, tum in præfatione istius libelli; tum postea sæpius, nempè cap. 1.38.41. &c. Quocirca testimonium ex isto libello pro nostra sententiæ confirmatione allatum, non est simplex, sed multiplex, non priuatum sed catholicum et commune.

TERTVLLIANVS, *qui floruit Anno Christi 200. in libello de præscript. aduersus hæreticos (quem ab ipso scriptum esse, dum adhuc esset catholicus, & Romanæ adhæreret Ecclesiæ, tum aliunde, tum ex cap. 30.35.38. eiusdem libelli apertè cōstat.) plura subministrat pro cōfirmatione supra dictæ veritatis catho-*

lica. Et inprimis, cap. 15. disertè docet, quamuis Aduersarii, (id est, hæretici,) de scripturis suadere velint, & ad eas prouocent, & eas obtendant, ipsos tamen non esse admittendos ad vllam de scripturis disputationem, sed disputandum esse cum eis de hoc; Vtrum videlicet eis competat possessio scripturarum an non: vult enim ad scripturas non admittendum esse illum, cui ea nullo modo competunt.

Cap. 19. Ergo *inquit*, non ad scripturas prouocandum est, nec in his constituendũ certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita euaderet collatio scripturarum, vt vtramq; partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est, quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturæ, à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit veritas scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.

Cap. 21. Hanc igitur *inquit*, dirigimus præscriptionem; si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit, quia nec alius patrem nouit, nisi filius, & cui filius reuelauit, nec alijs videtur reuelasse filius, quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, vtiq; quod illis reuelauit; Quid autẽ prædicauerint, id est, quid illis Christ⁹ reuelauerit, ex his præscribam, non aliunde probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua (quod aiunt) voce, quam per Epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus & Originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: Reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei &c.

Cap. 28. & 29. Age nunc *inquit*, omnes errauerint, *Et paucis interiectis.* Neglexerit officium Dei villicus, Christi Vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipse per Apostolos prædicabat. Ecquid verisimile est, vt tot ac tantæ (*Ecclesiæ*) in vnam fidem errauerint? Nullus inter multos euentus est vnus exitus: Variasse debuerat error doctrinas Ecclesiarum. Cæterum quod apud multos vnum inuenitur non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos errasse, qui tradiderunt. Quoquomodo sit erratũ tam diu vtique regnauit error,

quam

quàm diu hæreses non erant. Aliquos Marcionitas & Valētinianos liberanda Veritas exspectabat: interim perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperā functa, tot deniq; martyria perperam coronata; Aut si nec perperam, nec in vacuum, quale est, vt ante res Dei currerent, quam cuius Dei notum esset? &c.

Ibidem *Cap. 31. Ex parabola de semine. Math. 13. colligit id esse Dominicum & verum, quod est prius traditum, id autem extraneum & falsum quod posterius est immissū, ac deinde ista subiungit:* Ea sententia manebit aduersus posteriores quasq; hæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendā sibi veritatem. Cæterū si quæ audent *(inquit) cap. 32.* interserere se ætati apostolicæ, vt ideò videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere. Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionē ab initio decurrentē, vt primus ille Episcopus, aliquē ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit authorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt, sicut smyrnæorū Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatū edit. *Et paulo post.* ad hanc itaq; formam prouocabuntur ab illis Ecclesiis quæ licet nullum ex Apostolis, vel Apostolicis authorem suum proferant, vt multò posteriores, quæ deiq; quotidie instituūtur: tamen in eadem fide conspirantes non minus Apostolicæ deputantur, pro consanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreses, ad vtramq; formam à nostris Ecclesiis prouocatæ, probent se quaqua putant Apostolicas &c.

Ibidem *& infra*; His definitionibus, *inquit*, prouocatæ à nobis, & reuictæ hæreses omnes, siue quæ posteræ, siue quæ coætaneæ Apostolorū dummodo diuersæ: siue generaliter, siue specialiter notatæ ab eis, dummodo prædamnatæ, audeant respondere, & ipsæ aliquas eiusmodi præscriptiōes aduersus nostram disciplinam: si enim negant veritatem eius, debent probare illam quoq; hæresim eadem forma reuictam, qua ipsæ reuincuntur. &c.

Cap. 36. pro cognitione veræ doctrinæ remittit ad primarias ab Apostolis institutas Ecclesias, inter quas numerat Romanam, quam vocat statu fœlicem cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt &c. & vnde nobis quoq; *inquit*, authoritas præsto est statuta.

Cap.37. Si hæc inquit, ita se habeat, vt veritas nobis adiudicetur, quicunque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit, constat ratio propositi nostri definientis, non esse admittendos hæreticos ad ineundam de scripturis prouocationem, quos sine scripturis probamus, ad scripturas non pertinere. Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt, non à Christo habendo, quæ de sua electione sectati hæreticorum nomine admittunt. Ita non Christiani nullum ius capiunt Christianarum literarum; ad quos meritò dicendum est. Qui estis? quando & vnde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo deniquè Marcion iure siluam meam cædis? Qua licentia, Valentine, fontes meos transuertis? Qua potestate Apelles limites meos commoues? Mea est possessio. Quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, &c.

Cap.45. sed nunc quidem, *inquit*, generaliter actum est à nobis aduersus hæreses omnes, certis & iustis & necessariis proscriptionibus, repellendas à collatione scripturarum, &c. *Quæ omnia ex Vincentio Lirinensi & Tertulliano citata, longè adhuc clarius pro nobis sonant, si integri illi libelli citati legantur. qui perinde ad nostrum propositum accommodati sunt, tanquam si ex instituto contra Aduersarios in præsenti causa, fuissent conscripti.*

IDEM *Tertullianus de Corona militis, cap.3, sic scribit, quod ex parte iam suprà quoq; recitatum est.* Et quamdiu, *inquit*, per hanc lineam, serram reciprocabimus, habentes obseruationē inueteratā, quæ præueniēdo statū fecit? Hanc si nulla scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in traditionis obtentū exigenda est, inquis, authoritas scripta. Ergo quæramus, an & traditio non scripta, non debeat recipi. planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præiudicent aliarum obseruationum, quas sine vllius scripturę instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Deniq; vt à baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius: Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Euangelio determinauit. Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus, &c. frontem crucis signaculo terimus.

IBIDEM *Cap.4.* Harum, *inquit*, & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem

legem expostules scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur auctrix consuetudo confirmatrix & fides obseruatrix: Rationē traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit disces &c.

His exemplis renunciatum erit, posse etiam non scriptam traditionem in obseruatione defendi confirmatam consuetudine, idonea teste probatæ tunc traditionis ex perseuerantia obseruationis. Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit Lex: nec differt scriptura, an ratione consistat, quando & legem ratio commendet.

Huc etiam imprimis spectant testimonia illa, quæ à nobis de obscuritate scripturæ recitata sunt, ex Tom. 6. August. contra epistol. Manich. cap. 5. Ego verò Euangelio non crederem, &c. *& illud valde consimile de vtilitate credendi, cap. 14.* Christum ipsum, &c. *& in testimoniis de traditionibus, illud Irenæi, lib. 3. cap. 4.* tantæ ostensiones.

Quod si, vt aduersarij, omnia persequi & recitare voluissemus, iam nō pauculos tantū quaterniones, sed integros eis Tomos opponere potuissemus: Sicut omnino pro nostra parte nihil magis optamus, quàm vt non pauca quædam & mutila SS. Patrū testimonia, sed integri eorum tractatus legantur ab ijs qui veritatem syncere amant. Videbunt profectò longè adhuc clarius rectissimè à nobis in hac causa vsurpari posse, quod olim ab Athanasio in simili causa contra hæreticos prolatum est, in lib. de decretis Nicænæ Synodi, contra Eusebium. Ecce nos quidem ex patribus ad patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus, vos autem O noui Iudæi, & Caiphæ filij, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores? *Quam ridiculum est autem, quod ex iure quoq; Canonico quædam pro suo errore testimonia citant, cum planum sit & apertum, tot eos ex eodem iure Canonico argumentis confutari, quot in eo leguntur canones, quorum singuli apertè demonstrant, Pontificem supremum esse fuisseq; & caput & Iudicem Ecclesiæ, vt qui toti semper Ecclesiæ ius dicere solitus sit? Quod si Aduersarij adhuc specialia pro summa Romani Pontificis auctoritate testimonia requirunt, legant, si placet opus Nicolai Sanderi; de visibili Monarchia Ecclesiæ lib. 7. in quo singula percurrens sæcula, ab Apostolorum vsq; temporibus, vsq; ad hoc nostrum, in quo viuimus, supra duo millia testimoniorum pro suprema illa Summi Pontificis in Ecclesia authoritate collegit.*

Interim Catholicus quisq; confidenter & optimo Iure Aduersariis opponere potest illud Nazianzeni, epist. 2. ad Chelid. Absconditam *inquit*, post Christum sapientiam nobis annunciát, rem lachrymis dignam. Si enim triginta his annis fides originem habuit; cum quadringenti (*mille quingenti*) ferè anni ab eo tempore fluxerint, quo Christus palam conspectus est, inane tanto tempore fuit Euangelium, inanis etiam fides nostra. Et Martyres quidem frustra martyrium subierunt, frustra etiam tales tantiq; Antistites populo præfuerunt: *Et illud Hieronymi Epist. ad Pāmach. & Ocean. de errorib. Origenis.* Cur post quadringētos (*mille quingentos*) docere nos niteris, quod antè nesciuimus? vsque in hanc diem sine ista doctrina mūdus Christianus fuit. *Et illud quoq; Hilarij lib. 6. de Trinit.* Ab his ergo, *inquit* quæ teneo, edoctus sum, his imedicabiliter imbutus sum. Et ignosce omnipotens Deus, quia in his nec emendari possum, sed commori possum. Tardè mihi hos pijssimos (*aliâs impijssimos*) quantum ego arbitror, Doctores ætas nunc huius sæculi protulit. Sero hos habuit fides mea, quam tu erudisti, magistros, &c.

Laus Deo, & Deiparæ Virgini, & omnibus Sanctis.

NO-

NOTATIONES.

Ad titulum Aduersariorum.

IN titulo nullus est consequentiæ nexus, cum dicitur, scripturam esse obscurã, & difficilem intellectu. Ac proinde præter scripturam admittendas esse quoq; traditiones non scriptas. Quia enim dicuntur traditiones non scriptæ nomen ipsum indicat, eas in scriptura non esse fundatas, quomodo igitur ad obscuritatem scripturæ tollendam possunt adhiberi?

Ad primæ partis titulum.

Monendus initio est lector de statu quæstionis inter nos & Aduersarios. Is non est, an quædam, vel etiam multa sint in sacris literis obscura. Hoc namque fatemur ipsi. Sed neq; hoc quæritur, an ad acquirendam intelligentiam scripturæ duce nobis opus sit: concedimus enim & hoc, & perspicuè docemus, supremum ducem ac magistrum fidei esse IESVM CHRISTVM, *Matth. 23. esse Spiritum sanctum docentem nos per verbum sicut scriptum est: Ipsa vnctio docet nos, 1. Ioann. 2. Ad hæc asserimus opus esse dono Prophetiæ seu interpretationis scripturæ, quod donum concessit Deus Ecclesiæ suæ, quæ non prætoria potestate statuit de sensu scripturæ, sed eundem in difficilioribus locis eruit, ex ipsa scriptura attendendo phrasin Spiritus Sancti, scopum cuiusq; dicti, totius contextus* κατηγτισμὸν *siue connexionem, & scripturas cum scripturis, hoc est obscuriora loca cum alijs planioribus conferendo & illorum obscuritatem per hac euoluendo & explicando. Verus ergo status quæstionis in hoc omnino cardine vertitur, an ea sit in tradendis articulis ad salutem scitu necessarijs, obscuritas scripturarum sacrarum, vt ad sui explicationem ipsa sibi natiuo suo lumine non sufficiat, sed opus sit aliunde (non ex ipsamet scriptura) interpretationem quasi mutuo sumere? præsertim verò a Romano Pontifice, vel sine, vel cum Concilio definiente.*

Quod attinet primum Testimonium August. Tomo 6. de vtil. cred. cap. 7. disputat ibi contra Honoratum contendentem, absurda quædam in sacris literis contineri. Hanc ergò impietatem refellit, & simul Honorati præsumptionem redarguit, quod illotis quasi manibus scripturam inuadat, eamq; sui intellectui putet ita obuiam, vt in illius sententia exquirenda, nullo prorsus egeat præceptore aut interprete. Quid autem hoc contra nos? Siquidem nemo nostrũ vnquam somniauit, adeo claram & facilem esse scripturam, vt quiuis eam primo velut intuitu statim intelligat, etiam citra operam docentium. Quorsum enim institutũ esset ministerium docendi in scholis pariter, & in Ecclesijs. Hinc luce clarius apparet, hoc allegatum nihil quicquam facere ad propositum.

Secundum Testimoniũ extat Tom.3.sent.67. in eo commendat D. Augustinus profunditatẽ recondita sapientia diuinorum mysteriorum. Nec tamẽ inficiatur eam ex ipsamet scriptura (quantum ad salutem est satis) posse aperiri & erui. Hoc enim Augustinus ipse passim, pracipuè verò in dictis nostro catalogo insertis manifestè docet.

Tertium Testimonium, Tom.3.de doct. Christ. lib.2.cap.6. nihil aliud habet, quã esse quadam in sacris literis, qua obscuritatem habeant, maximè apud eos, qui (vt inquit) temerè legunt aliud pro alio sentientes. *Estq́; memorabile, quod Augustinus eo ipso capite scribit*, nihil ferè de illis obscuritatibu erui; quod non planissimè alibi dictum reperiatur. *Qua verba si attendissent aduersarii, vidissent perfacilè suum allegatum ad scopum quaestionis minimè pertinere.*

Quartum testimonium legitur. Tom 3. de Genesi ad literam. lib.6.cap.9. Ad id respondemus S. Augustinum, loqui non de verborum obscuritate, sed mysteriorum profunditate, quorũ aliàs verba apertissimè posita ipsemet asseuerat eo ipso plane loco. Quod autem ea mysteria non possint ex ipsamet scriptura (quantũ quidẽ sufficit ad salutẽ) explicari, sed opus sit Pontificem Romanum consulere, aut Ecclesiam eius, id verò nec in contextu August. demonstrare possunt Aduersarii, nec inde probabili saltem consequentia deducere.

Ad Quintum Testimonium, Tom. 6. cont. Epist. Manich. cap.5. Respondemus primo, quando scribit Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ moueret authoritas; *loquitur illic de initio fidei, quod ad Euangelii fidem sit adductus cum prius fuisset Manichæus, quod videlicet mediante pradicatione catholicorum permotus sit ad credendum Euangelio. Secundo notandum quod illic non de quauis Ecclesia sed* ῥητῶς *ac notanter de primitiua disserat, qua Dominum Jesum viderat aut certè Apostolos eius, & de scriptis illorum testificari poterat. Hunc in modum Joann. Gerson Cancellarius Parisiensis lib. de vita spirituali anima, lect.2. Corollario 7. dictum Augustini interpretatur dicens Aug. in ijs verbis* (Euangelio non crederem, &c.) *Ecclesiam sumere pro primitiua congregatione fidelium eorum, qui Christum viderunt, audierunt, & sui testes extiterunt.*

Ad sextum Testimoniũ quod producitur ex 6. Tomo de vtil. cred. cap. 14. Respon. Augu. mentẽ non esse, quod non etiam propter Euangelica & Apostolica scriptura testimonium credat ea, qua de Christo prodita sunt: sed iuxta subiectam materiam loqui de primitiua Ecclesia, cuius testimonio motus plus fidei tribuat Catholicis, quam Manichais in testificatione de scriptura sacra libris, & Religione Christiana. Quò pertinet quod inquit. Scriptura omnis si

noua

noua & inaudita proferatur, vel commendetur à paucis, nulla confirmãte ratione, non ei, sed illis qui eam proferunt, creditur. Quamobrem scripturas istas si vos protereris tam pauci & incogniti, non libet credere: simul etiam contra promissum facitis, fidem potius imperando quàm reddendo rationẽ. *Quare nec hoc allegatũ ad præsentẽ quæstionem legitimè aptatur. Et obserua, quod postremum hoc in verbis Aug. Manichæos reprehendentis; Pontificij cum Manichæis commune habent, vt imperent potius fidem, quàm rationem reddant.*

Septimum Testimonium, ibidem cap. 17. eos tantum reprehendit, qui suapte freti ingenio doctorum interpretationes aspernantur. Nequaquam vero docet, interpretationem aliunde quàm ex ipsa scriptura petendam esse.

Octauum Testimonium, Tomo 7. de Bapt. contra Donatist. lib. 7. cap. 53. & contra Crescon. lib. 10. cap. 33. Quæstio est, Vtrum approbandum sit baptisma, quod ab eo qui non accepit, accipitur, & vtrum nihil intersit, quo animo accipiat ille, cui datur ille, &c. Unde patet nõ hic agi de obscuritate scripturæ, sed de difficultate quæstionum, quas ibi tractat. Fertur ergo testimonium hoc planè quod dicitur extra oleas. Aliàs non diffitemur in obscuris quæstionibus scrutanda esse antiquitatis decreta, & grata mente recipienda, si cum scriptura sacra concordẽt. Alterũ dictum August. contra Cresconiũ, lib. 1. cap. 33. quia infra repetitur ab Aduersariis, nos explicationem eius, ad illum locũ vsq; differimus.

Nonum Testimonium Irenæi, lib. 2. cap. 47. hoc solum docet, scripturam tam esse profundũ mare sapientiæ & cognitionis, vt in hoc sæculo non possit vniuersum exhauriri, sed semper aliqua discenda restent. Quod ipsum nos quoquè sonora voce profitemur. Manet autem nihilominus firmum, quod ea omnia, quæ ad consecutionem salutis sunt cognitu necessaria, satis lucidè sint in scripturis tradita. Quid vero iudicet Irenæus de his, qui sacrã scripturã imperfectionis, ambiguitatis, & obscuritatis insimulant, in nostris allegatis ostensum est ex lib. 3. cap. 2.

Decimo, Origenes lib. 7. contra Celsum dicit, multis locis scripturam esse obscuram nec tamen indicat totam esse obscuram, præsertim in ijs, quæ cognitu sunt necessaria. Imò non obscurè testatur sensum scripturæ posse erui, cum ait; Cordatos viros scrutando scripturam intellectum eius inuenire potuisse. Quod pro nobis facit contra Pontificios.

Vndecimo: Idem Homil. 12. in Exod. nominat scripturã librum obsignatum. Respondeo quis negat mysteria regni cœlestis in sacris literis descripta esse, nobis natura ignota, & quasi obsignata? Non est de hoc quæstio, sed quod ex contextu liquet, reprehendit Origenes negligentiam hominum in tractandis

Decimo sexto. Idē in Epistola ad Algasiam, quæstione 8. asserit, Epistolam ad Romanos esse difficilem intellectu: quod respectu quarundam partium, verū esse non negatur, idq́; Petrus etiā subinnuit, 2. Epist. 3. Nec tamen recte concluditur, tantam eius obscuritatem esse, vt non nisi per Romani Pontificis interpretamentum ea tolli possit. Nam idem Hieron. in Apol. de lib. contra Iouinianum Tom. 2. pag. 109. ex ipsis scripturis interpretationem esse petendam, monet.

Decimo sept. Idē Epist. 75. ad Vigilantium ostendit, maiorem laborem requiri, ad sensum Prophetarum & Apostolorum explicandum, quam ad degustandum vinum. Hæc verò quis negat? & quid tandem id πρὸς διόνυσον.

Decimo oct. Idē Epist. 142. ad Damasum dicens, in scriptura multa esse abscondita, aliud literam significare, aliud sensum mysticum: Verum est hoc secundum quid & in aliquibus. Pleraq́; enim solum literalem sensum admittunt, præsertim quæ adduci solent ad confirmationem dogmatum, de qua potissimum inter nos & Pontificios controuertitur.

Decimo nono. Porro quod in procœmio, lib. 8. com. in Esaiam affirmat Hieron. Esaiā magnis obscuritatib. esse inuolutū: expedita est responsio. Nam cōcedimus Esaiæ vaticinia non pauca obscura esse, præsertim verò ea capita, de quibus illic Hieron. in specie disserit. Sicut autē in vaticinijs de excidio variarum gentium, haud leuis occurrit perplexitas: sic vicissim in vaticiniis de regno Christi, deq́; dogmatibus fidei clarus est, & si qua difficultas apparet, tollitur beneficio interpretationis, iuxta modos supra notatos instituendæ. Itaq́; non recte ab obscuritate vaticiniorum quorundam concluditur, ad inferendam obscuritatem scripturæ in tradendis dogmatibus religionis. Eoq́; minus valet argumentū à parte ad totum, hoc est ab Esaiæ libro, ad totam scripturā, quod constat obscuriora loca Esaiæ in scriptura noui Testamēti fusissimè explicata, quin & vaticinia per rerum prædictarum euentum illustrata esse.

Vicesimo. Locus Hieron. Tomo 8. Comment. in caput 7. Ecclesiastis, non ferit nos, siquidem extra litem est, esse scripturam immensum quoddā pelagus, vt quo longius in eis meditatione & cognitione progreditur homo, eo plura sese offerant, porrò discenda, nec omnia in hoc sæculo addisci queant, quandoquidē ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. 1. Corin. 13. quodque Hieron. de mysteriorum agat notitia, non ambiguè docet annexa antithesis, qua cognitio huius sæculi cum alterius vitæ consummata scientia manifestè contenditur. Hoc interim persistat inconcussum, omnia ea quæ ad salutem scitu sunt necessaria, satis dilucide esse tradita in diuinis literis. Et apparet ex inspectione Hieronymū eo loco, nempè super 4. cap. Epist. ad Eph. minimè disputare de dog-

tib, ſed de moralib. duntaxat, cur videlicet, & quo ſenſu vox πλεονεξίας *coniungatur in textu Paulino, cum peccatis ſexto præcepto vetitis. Quæ obſcuritas ex ſola illa vocula emergens; in dicto non articulum aliquem ſed moralia concernente, num ad inſtitutum præſens quicquam faciat, lectori iudicandum relinquitur.*

Ultimum quoq; teſtimonium Hieron. impertinenter allegatur. Haud imus inficias in Pſalmis eſſe quaſdam ſententias obſcuras, ſed illa vel non attingunt dogmata, vel ſi attingunt, explicantur alibi copioſiſſimè in ipſamet ſcripturæ partim veteris, partim noui Teſtamenti: vt neceſſe non ſit, earum interpretationem à Papa requirere. Nam Hieron. in proœmio in Pſalmos, viam præmonſtrat, & modum quo deueniri queat ad Pſalmorum intelligentiam, dicens: per titulum intelligitur, vnicuiuſque pſalmi intellectus. Quid eſt titulus niſi clauis? vt ita dixerim, in domũ non ingreditur niſi per clauem. Ita & vniuſcuiuſq; pſalmi intellectus per Clauem, hoc eſt per titulũ intelligitur: in cuius perſona cantatur: aut in perſona Chriſti, aut in perſona Eccleſiæ, aut in perſona Prophetæ.

NO

NOTATIONES AD TESTIMONIA PATRUM, QUÆ CITANTUR AB ADVERSA PARTE pro stabiliendis traditionibus non scriptis.

PRIMUM *Testimonium August. quod legitur, Tom. 7. de Baptis. contra Donatist. lib. 5. cap. 26. palam agit de traditionibus scriptis, quod ocularitèr, ostendit contextus, qui sic habet:* quod autem nos admonet (*Cyprianus*) vt ad fontē recurramus, id est, ad apostolicā traditionē, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimū est, & sine dubitatione faciendū (*hucusq; allegatio Jesuitica: pergit verò Aug.*) Traditū est ergo nobis, sicut ipse commemorat ab Apostolis, quod sit vnus Deus & vnus Christus, & vna spes, & vna Fides, & vna Ecclesia, & Baptisma vnum. *Hæc verba desumpta esse ex 4. cap. ad Ephes. negare non possunt Aduersarij. Proinde nihil quicquam facit iste locus pro traditionibus in scriptura Apostolica non comprehensis. Idem iudicium est de secundo testimonio August. in Tom. 10. serm. de tempore 191. quòd integrè positum ita sonat.* Ecclesiæ regula sanctaquè Patrum traditio atq; iudicia, in perpetuum firma solidaque permaneant, (*hucusq; allegatio Jesuitica, pergit vero B. August.*) est autem Patrum nostrorum fides hæc: Credimus in Deum Patrem omnipotentem, cunctorum visibilium & inuisibilium conditorem. Credimus & in Dominum Iesum Christum. *Quæ vna cum sequentibus ad vnum omnibus in sacra scriptura expressis testimoniis fundata & comprehensa extant. Unde miramur, cur hunc locum ad traditiones non scriptas (vt ipsorum habet titulus) aduersa pars detorquere fuerit ausa.*

Tertium Testimonium, Tom. 6. contra Faustum Manich. *lib. 28. cap. 2. agit non de aliqua traditione dogmatica, sed de testificatione Ecclesiæ primitiuæ historica: quâ de re cū sit copiosè dictum in Colloquio, superuacaneum arbitramur, quicquam his superaddere.*

Idem planè iudicium est de 4. Testimonio Augustini, quod sumptum est ex lib. 11. contra Faust. Manich. vbi similiter non tractat de dogmaticis traditionibus; Sed de discrimine librorum Canonicorum & Apocryphorum, deq; primitiuæ Ecclesiæ testimonio de illis, contra eos qui dicebant, libros sacros Canonicos esse falsatos.

De perpetua Virginitate S. MARIÆ Dei Genitricis, de qua loquitur testimonium 5. abunde dictum est in colloquio, præsertim vero num ea ex Sacris literis idoneè deduci queat.

SextumTestimoniũ August. de Baptis. contra Donatist. lib. 2. cap. 7. agit de Baptizatis ab hæreticis non rebaptizandis. In qua explicanda quæstione Aug. ad saluberrimam Ecclesiæ consuetudinem prouocat, quam ex Apostolica traditione venisse credit. Sed nos non oppugnamus vel vniuersales Ecclesiæ consuetudines, Sacris literis consentaneas, vel traditiones in iis fundatas, qualem & hanc traditionem esse (quod ab hæreticis baptizati rebaptizandi non sint) in colloquio demonstrauimus argumentis ex scriptura per bonam consequentiam deductis. Alia est ratio earum traditionum quæ nec in scripturis extant, nec inde bona consequentia deduci queunt.

IDEM Respond. ad 7. & 8. Testimonium. Vbi circa 8. notanda sunt hæc verba August. quæ in eo tractatu sequuntur, Dicit vero sequimur sane nos in hac re etiam Canonicarum authoritatem certissimam scripturarum.

Nonum Testimonium vt & 10. & 15. quod extat lib. 4. contra Donatistas cap. 24. sonat de Pædobaptismo, quem August. traditionem Apostolicam appellat, non quod in scriptura Apostolica non contineatur (ipsemet enim Augustinus Baptismum paruulorum ex scriptura probat, maxime ex loco Ioan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.) sed quod Pædobaptismum Apostoli scripto simul & viua voce tradiderunt, & quoad praxim illum publice exercuerint. Quodque hæc traditio non sit ἄγραφος sed ἔγγραφος inde in colloquio firmiter est demonstratum.

Vndecimum Testimonium, August. Ex Epistola 118. nihil agit de dogmatibus, sed de ritibus & consuetudinibus Ecclesiasticis, quarum vnum recitat exemplum de anniuersariis sollennitatibus festorum, quæ in nostra quoq; Ecclesia celebrantur.

Duodecimum Testimonium (quod Basilij est) ex dist. 11. citatum canone Ecclesiasticorum, quoniam infra repetitur, ideo nostram de eo mentem infra declarabimus.

Decimotertio, dicto (quod Epistol. 86. ad Casulanum Episcopum legitur) nihil de dogmatibus aut articulis fidei agitur, sed de ritibus & cæremoniis diuersarum Ecclesiarum monens, vt quisq; se ad instituta illius Ecclesiæ, cuius se profitetur membrũ, accommodet, ne contentionem excitet non necessariam, præcipue vero tractatur de ieiunio, de quo scribit in eadẽ epistola, quibus dieb. oporteat ieiunare, vel non ieiunare, præcepto Domini vel Apostolorum, non inuenio definitum, & rursum Epistola 118. ad Ianuarium ita scribit. Totum hoc genus de

ijs ritibus & Cæremoniis, quæ per loca terrarum, regionesq; variantur, totum hoc genus, liberas habet obseruationes.

Decimoquarto, Dicto August. sermo. 14. de Verbis Apostoli, negatur infantibus Baptizatis fides propria. Quia vero quisq; iustus non aliena sed sua fide viuet, atq; insuper ex scriptura fides paruulorum baptizatorum potenter astruitur, nos ab Augustino hac in parte libere dissentimus.

De Decimo quinto Testimonio supra respondimus.

Decimumsextum, Testimonium ex Epistola 108. non agit de vlla aliqua traditione, sed de quibusdam circumstantiis: vt quod in scriptura non sit expressum, quando baptizati sint Apostoli. Hac circumstantia temporis, quando vel Apostoli vel gentes baptizata sint, nec traditionem aliquam constituit, nec scitu necessaria est, nec Pontificii ipsi norunt eam. Ideoq; prorsus est hic locus impertinens. Satis est scire quod Apostoli & Gentes sint baptizata, quod August. ait constare ex scriptura documentis: quando autem sint baptizata, nec ex scriptura, nec ex traditione scimus, vel nos vel Pontificii, neq; adeo scire necesse est.

Reliqua testimonia quatuor ex Epistola 118. & 119. ad Ianuarium Diui August. nihil agunt de dogmatibus in doctrina fidei (de quibus inter nos & Pontificios vnice controuertitur) sed tantum de ritibus & consuetudinibus Ecclesia partim vniuersalibus, partim vero particularibus. Vniuersales vult obseruari ab omnibus, cuiusmodi sunt anniuersaria solennitates festorum, natiuitatis Christi, passionis, resurrectionis, ascensionis in cœlum, & missionis Spiritus Sancti. Quas solennitates ipsi fatemur in vniuersa Ecclesia esse obseruandas, non propter aliquod peculiare DEI mandatum, sed ne si temere conuellatur, laudabilis illa consuetudo Ecclesia iam inueterata & salubri cōsilio inde ab Apostolorum temporibus indroducta, occasio detur schismati; atq; hinc tranquillitas Ecclesiarum turbetur. Et distinguendum est inter consuetudines, qua suam originem referūt ad atatem Apostolorum, quando Ecclesia Dei status adhuc erat incolumis, & inter vniuersales consuetudines, qua multo post inclinato iam Ecclesia statu per fraudem Romanorū Pontificū, sese in Ecclesiam Dei furtim insinuarunt, de quibus idem pronunciare fas non est, quod Augustinus, de primaeuis illis ritibus pronunciat. Nam in hoc casu ipsiusmet August. regula, lib. 3. de Baptismo contra Donatist. cap. 6. seruetur: Veritate *inquit,* manifestata, cedat cōsuetudo veritati: Nemo consuetudinem rationi & veritati præpōat, quia cōsuetudi-

nem ratio & veritas ſemper excludit. *Iam quod attinet ritus particulares, apparet manifeſtè ex verbis Auguſt: eos primis illis ſæculis, non ſub opinione vel neceſſitatis, vel cultus obſeruatos, ſed liberè fuiſſe pro ratione circumſtantiarum variatos, quod Auguſtini formalia verba clariſſimè teſtantur. Vnde colligere promptum eſt, non in cenſu rerum neceſſariarũ; ſed indifferentium fuiſſe habitos, quamobrem etiam nihil contra nos inde concludi poſſe.*

QVONIAM *teſtimonia Patrum ab Aduerſarijs, pro ſuæ ſententiæ cõfirmatione allegata, ſerius, quã par erat, nobis ſunt exhibita, nec Patrum commentarios omnes, qui ab aduerſa parte citantur, habere licuit, & nunc tempus ipſum imperat, manum vltimam operi imponere, vt hæc noſtra Reſponſio ad Protocollon iam iam obſignandũ reponi queat, idcirco à nobis per temporis anguſtiam excluſis, plena Reſponſio ad omnia illa dicta, hac quidẽ vice, confici non potuit. Conſtitutũ autẽ nobis eſt, per Dei gratiam, ad ea etiam quæ reſtant, ſuo tempore reſpondere. Actum Ratisbonæ die 13. Decembris, Anno ſalutis humanæ 1601.*

CVM EX MANDATO SER.mi PRINCIPIS ac Domini Domini MAXIMILIANI Comitis Palatini Rheni vtriuſq; Bauariæ Ducis, &c. Domini noſtri Clementiſſimi, ad cõſcribẽda ea, quæ in huius colloquij actu, à Dominis collocutoribus vtriuſq; partis dicebantur, tanquã Notarij, conſtituti fuerimus, ideò non ſolum omnibus & ſingulis totius colloquij ſeſſionibus, & collationibus deſuper factis, pro officio præſentes interfuimus, ſed etiã omnia & ſingula vtriuſq; partis dicta, ea fide, diligentia, & dexteritate excepimus, ac in notã ſumpſimus, qua potuimus pro virili & ratione procedendi Dominorum Collocutorum, imprimis catholicorum noſtræ partis, qui iuxta leges vtriuſq; partis conſenſu poſterius latas, extra quartum, quintum, ſextum, ſeptimum, & octauum conſeſſum, ad calamum non dictabant, ſed mentem, ſententias, & argumenta ſua conſueto alioquin inter diſputandum loquendi modo explicabant, & quoniam finita iam diſputatione, Sereniſſimorum

& Illuſtriſ-

Illustrissimorum Principum voluntate, ex omnibus quatuor vtriusq; partis protocollis, vnum quoddã vtriq; commune conficiendũ erat, deputatis etiam ad hoc, ex vtraq; parte, præter nos & reliquos Notarios constitutos, alijs Dominis Directoribus, nos bona fide, ac diligenter in id semper incubuimus, vt priorum protocollorum fides, quam integerrima consisteret, prout etiam in hoc ipso opere, quod prædicto modo ex originalibus istis Protocollis conflatum, & in publicam fidem redactum est, integrũ consistere, imprimis Dominorum Reuisorum, deinde nostrarum manuum subscriptione, & sigillorum fide, ad perpetuam rei memoriam, testamur. Actum Ratisbonæ 24. Decemb. 14. Anno millesimo sexcentesimo primo.

Nos infra scripti omnibus supra dictis, actis & scriptis, ab initio vsq; ad finem, simul atq; collationi, & reuisioni Protocollorum, tanquam à Serenissimo Principe Maximiliano Vtriusq; Bauariæ Duce, &c. deputati Commissarij interfuimus, eaq; omnia bona fide acta fuisse, nominum subscriptione, sigillorumq; nostrorum appressione testatum facimus. Actum Ratisbonæ, vt suprà.

VVolffgangus Hanneman SS. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Cathedralis Frisingensis Canonicus, ac ad D. Petrum Monachij Decanus, Serenissimi vtriusq; Bauariæ Ducis Maximiliani, &c. Consiliarius.

Ioannes Baptista Ficklerus I. V. D. Eques Auratus, sacri Palatij Lateranensis Comes, Serenissimi Vtriusq; Bauariæ Ducis Maximiliani, &c. Consiliarius &c.

Ita testificor ego Leonhardus Treitvvein, V. I. D. imperiali authoritate publicus Notarius, Consiliarius Episcopalis & Syndicus Capitularis Cath. Ecclesiæ Ratisbonæ.

Idem profiteor & ego Ioannes Ernestus V. I. L. & in Ducali Regimine Landishutano causarum Patronus, Notarius imperialis publicus.

CVM ex Mandato & authoritate Illustrissimi Principis, & Domi-

ni Domini, Philippi Ludouici Comitis Palatini Rheni, Ducis Bauariæ, Comitis Veldentij, & Sponhemij, Domini nostri Clementissimi, nos infra dicti Notarij, ad consignanda ea, quæ in huius Colloquij actu solenni ab vtriusq; partis Dominis Collocutoribus sunt proposita, sub fide iuris iurandi fuerimus designati, testamur nos omnibus & singulis consessibus interfuisse, omniumq; dicta quantum per processum licuit, optima fide & diligentia excepisse. Quamquam enim non omnia & singula Dominorum Collocutorum vtriusq; partis verba annotari potuerunt, præsertim in illis consessibus in quibus non tantum ad calamum dictatum vtrinq; non fuit, sed etiam crebris interpellationibus sermones Dominorũ Collocutorũ nostræ partis fuerunt interrupti: necessaria tamen & ad rei substantiam spectantia momenta, à nobis diligenter & fideliter esse consignata, aperte profitemur. Cumq; finito iam colloquio ex vtriusq; Principis dispositione deputatis ex vtraq; parte Commissariis Theologis & politicis, peculiaris instituta reuisio, & ex quatuor illis Notariorum Originalibus, præsens hoc communis protocoli syntagma fuerit confectum; Nos in id optima fide ac diligentia incubuimus, vt priorum Protocolorum in ipso actu colloquij exceptorum fides, salua & integerrima conseruaretur, nec noui quicquã cuius vestigia in Originalibus non extarent, adderetur. Quod & nos & imprimis præfati Domini Reuisores manuum nostrarũ subscriptione, & subsigillorum nostrorum fide ad perpetuam rei memoriam testamur. Actum Ratisbonæ, in curia 24. Decembris. Anno salutis 1601.

14.

David Rungius S.S. Theologiæ Doctor & Professor in Academia VVitebergensi.

Christophorus Morolt. S.S. Theologiæ Doctor, Superintẽdens Baroniæ Palatinæ Heydecensis.

Georgius Gauglerus, Secretarius Palatinus, huius Colloquij Notarius iuratus.

Andreas Osiander S.S. Theologiæ Doctor, Abbas Monasterij Adelbergẽsis, in Ducatu VVirtembergico, & Superintendens generalis.

Caspar Heuchelin V.I.D. Consiliarius Palatinus Neoburgicus.

M. Ioannes Bernardus Gass Augustanus, huius Colloquij Notarius.